COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XV



ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
P
CB

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMX

27248

v. 15
1910

Collationes Brugenses

PII PAPÆ X

EPISTOLA

ad Episcopum Brugensem

Quas olim in utilitatem Cleri conscripsit Reverendissimus Episcopus *Meditationes Theologicas,* nunc gallica lingua versas edidit (1) in favorem illorum laïcorum qui, quum exculti, tumpenitioris sibi acquirendæ cognitionis de doctrina catholica sint solliciti. Non apologeticam, proprie dictam, commonere intendit Auctor, sed theologiam proponere: scientiam nempe illam quæ, fide supposita, per ratiocinium stabita est et communiter traditur in scholis catholicis, absque controversiis quæ in varias partes dividunt theologos, indiatis tamen hinc inde quæstionibus circa quas ulterior adhuc desideratur explanatio. Amplissimæ illius cognoscendi materiæ, ad perfectam unitatem redactæ, expositionem ab Illustrissimo Auctore pro sua satis nota peritia confectam nemo attente legerit quin et addiscat multa de Deo O. M. et ardamorem subjectionemque erga Illum excitetur necnon adjuvetur.

Operis autem descripti laudem cum gaudio simul ac reverentia audient lectores ex ore ipsius Summi Pontificis qui ad Auctorem dignatus est hanc mittere epistolam:

---

(1) G. J. Waffelaert, S. T. D., Evêque de Bruges. *Méditations théologiques.* Bruges, Ch. Beyaert, 1910. 2 vol. in-16, XXIV-677 p. et 425 p.

Venerabili Fratri
Gustavo Josepho Episcopo Brugensi
Brugas.

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem — *Meditationes Theologicas* quæ a te latine conscriptæ jam in Collationibus Brugensibus prodierunt, easdem mox, ut nuntias, editum iri conversas gallice, Nobis quidem pergratum est. Ita tuus iste labor, quum Clero plurimum profecerit, proficiet etiam eruditioribus e populo; quibus quidem expedit christiana dogmata eorumque nexum altius nosse, quo catholicam fidem et constantius retineant, et cum vitæ sanctimoniæ felicius conjungant, et ab impugnationibus validius defendant. Nos autem non modo id consilii vehementer probamus, sed, ut constet etiam opus tuum magni a Nobis fieri, damus libenter, ut in Nostro nomine appareat: frugiferum vero ipsum esse, uti cupimus, velit, precamur, Deus. Cujus auspicem munerum ac testem benevolentiæ Nostræ, tibi, Venerabilis Frater, tuoque gregi Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVII Junii MCMIX, Pontificatus Nostro anno sexto.

PIUS PP. X.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Juxta principia in responsis ad quæstiones pro Conferentiis mensis Julii et Octobris posita, explica* Jos., 10, 12-15.

R. *12. Tunc locutus est Josue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Aialon. 13. Steteruntque Sol et Luna, donec ulciscerctur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. 14. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel. 15. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ.*

I. **Textum explicamus** breviter, inspecto textu primigenio: quæ enim de inspiratione et inde consequente inerrantia S. Scripturæ asseruimus, primario et directe de genuinis ejus textibus primigeniis tantùm valent (1). Locus explicandus pericopam claudit, ubi clades quinque regibus a Josue inflicta narratur: *Jos.*, 10, 1-15.

12. *Tunc*, sc. *in die qua tradidit* (Dominus) Amorrhæos (Israelitis), *locutus est Josue Domino,* præsentibus bellatoribus Israelitis, ea quæ dicuntur vv. 12, 13 et probabilius 14 et quæ ornate ac poetice proponuntur, e **cantico (Libri Justorum) adducta.**

Sol ne movearis seu sta super *Gabaon* et *Luna* super valle *Aialon*. Quidam interpretes post Corn. a Lapide

1 Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 510.

autumant lunam nominari propter solum rhytmum poeticum, ut *Gabaoni* et *Aialoni* objiciantur *sol* et *luna*. Alii contrà, ex mentione lunæ facta, concludunt Josue precem suam Domino direxisse mane, quando sol in Oriente, luna in occidente adhuc conspici poterant.

13. Ad precem Josue... hebr. et stetit *Sol et* stetit *Luna* donec etc. Observat de Hummelauer (1), non esse adstruendum miraculum, ut præter leges naturæ luna toto eo die sit conspecta: vespere forsan conspiciebatur rursum, at è latere opposito, oriente.

Nonne scriptum est hoc (quod exponitur vv. 12-14) *in libro justorum* hebr. recti (du Juste) vel rectitudinis (2). Persuasum erat auctori libri Josue, auctoritatem libri Justi a nemine in dubium vocatum iri.

Stetit itaque sol in medio cœli i. e. non præcise in puncto meridiano, sed in linea quam in medio firmamento sol decurrere apparet. *Et non festinavit* (ut synonymum ponitur ad v. *stare*) *occumbere spatio unius diei,* hebr. sicut dies completus i. e., ut plures aiunt, sicut die completo fieri consuevit.

14. Hic v. hebr. ita habet: *Non fuit dies* sicut dies illà neque *antea* neque *postea*, ut audiret Jahve vocem viri (i. e. ut exaudiret Dominus precem Josue), etenim Jahve pugnavit *pro Israel*. Ergo textus primigenius non affirmat, ut Vulgata, nec antea nec postea fuisse diem *tam longam,* sed asserit memoriâ ævi de quo et ævi in quo scripsit auctor « Libri Justi », non fuisse diem quo Dominus vocem viri exaudierit tam evidenter et instantanee (3).

---

(1) *Commentarius in librum Josue,* Parisiis 1903, p. 235.

(2) Nomen libri inde derivari potuit, quod in eo (rhytmo seu metrice ac poetice) celebrarentur exempla virorum rectorum seu justorum. Ex eodem fonte scripto derivatus est Planctus David super Saul et Jonathan, *II Reg.*, **1**, 18 ss.

(3) Talis dies fuerat ævo Mosaico præcedente, quando Moyse attollente non vocem, sed virgam, aquæ maris Rubri absorbuerunt Ægyptios, ubi eadem atque hîc portenti ratio assignatur: *Ex.* **14**, 25.

15. Hic v. ponitur anticipative, nam non *est reversus Josue in castra Galgalæ,* antequam facta sunt quæ infra v. 15 ss. narrantur. Cum deficiat in cod. Vaticano et apud LXX, Auctores quidam conjiciunt hunc v. esse interpolatum. Certocertius non est e libro Justi depromptus (1).

Antequam principia circa Scripturæ S. inerrantiam applicemus, juvat paucis notare quomodo Auctores integrum locum 10, 12-14 intelligant.

Communior sententia tenet Deum miraculose lucem diurnam spatio unius diei naturalis (v. 14) *prolongasse*, sive juxta apparentias sol (re ipsâ terra) steterit per spatium diei naturalis, ità ut lux diurna illa die circiter 24 horas duraverit, sive extraordinario modo nobis ignoto (e. g. creatione luminaris soli similis, deviatione quadam radiorum solis seu insolita lucis refractione) lux diurna prolongata sit. Hæc sententia sequitur magis sensum Vulgatæ et nititur auctoritate *Eccli*, 46, 5: « Annon in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo » ; heb.: Nonne ad nutum ejus stetit sol, dies unus factus est dies duo? (2)

Altera sententia, nixa præsertim textu hebræo et forma poetica citationis e libro Justi desumptæ (3), contendit *solem apparenter non stetisse, neque illum diem fuisse solito longiorem*. Densissimæ, aiunt, nubes tenebrosæ, grandine (seu lapidibus grandinis v. 11) gravidæ solem et lunam (adeoque mane) abstrahebant ab aspectu bellatorum. Hi, ignorantes qua ratione sol et luna e conspectu evanuissent, putabant ipsa se subduxisse astra. Petiit Josue forma poetica, juxta librum Justi, elementis imperans, *lucem* sine qua hostes insequi non

(1) De extensione tamen citationis non habetur, ut jam innuimus, unanimus Auctorum consensus.

(2) Cf. DE HUMMELAUER, *o. c.*, p. 237.

(3) Pariter, observat in portentoso miraculo in communiori sententia asserto, proportionem desiderari finem inter et medium illud portentosum, quale ad dictum finem non requirebatur.

poterat. Lux illico (v. 14) solis Hebræis restituta est, iterum comparuerunt sol et luna : vox *stare* hebr. sæpe significat *apparere*. Ad Josue vocem *stetit* sol i. e. *non festinavit* (v. 13[a]), consueto modo deinceps descendit ad occasum, quando tandem, peracta Amorrhæorum strage, occubuit, habebatur dies *completus* (v. 13[b]) — Ad textum *Eccli*, 46, 5 quod spectat, nulla, aiunt, difficultas : *dies unus fieri potest dies duo* sive quando lux diurna horis pluribus excedit durationem diei naturalis ; sive quando intra limites unius diei naturalis habetur bis transitus a tenebris ad lucem. Prius portentum Gabaone evenisse non eruitur e textu : obest v. 13 (hebr.) *sicut dies completus*. Dies completus habetur, quando lux diurna consueto tempore perseverat. Quando lux diurna consuetum tempus excedit, dies longior die completo habetur.

Miraculum, aiunt, in hac sententia tribus constat : grandine mortifera, tenebris (v. 11) et restituta subito luce (v. 12 s.); his tribus modis Dominus « pugnavit pro Israele » (1).

Hæc altera explicatio, attento textu hebræo, haud improbabilis apparet. Attamen ipsi obstare videtur sensus obvius *Eccli* 46, 5. Ad modum quod spectat, quo miraculum lucis effectum fuerit, nihil præter conjecturas proponi potest : difficile apparet modum statuere juxta quem divina omnipotentia præter naturæ leges operata sit.

II. **Applicatio principiorum de inspiratione et inerrantia S. Scripturæ.**

1/ Textus explicatus in vv. 12, 13 et 14 (2) continent

---

(1) Plura videri possunt apud DE HUMMELAUER, *l. c.*; H. LESÊTRE, *Revue pratique d'apologétique*, t. IV, p. 351 ss. Cf. etiam CRAMPON, *La Sainte Bible*, Paris-Rome-Tournai, t. II, p. 34 ss.; PELT, *Histoire de l'Ancien Testament*, Paris 1904, T. I, p. 335.

(2) Iterum monemus Auctores de extensione citationis non unanimes reperiri : verùm ad præsentem quæstionem ille dissensus parum referre videtur.

citationem explicite adductam formula : *Nonne scriptum est hoc in libro justorum.* Imprimis auctor libri Josue fuit inspiratus ad citandum, adeoque ipsa *citatio* est inspirata : consequenter inerrantia S. Scripturæ requirit ut textus ille revera allegatus sit e « libro justorum » desumptus.

2/ Præterea inspirata sunt *ea quæ citantur* (1). Etenim ut diximus, ipsa citationis formula hagiographum citata formaliter approbare seu sua facere satis ostendit, ut hoc testimonio victoriam Hebræis miraculose concessam authentico testimonio confirmet. Inde consequitur judicia in citatione occurrentia exhibere sensa seu judicia auctoris principalis, Dei. (Cf. quæ diximus apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 511 ss.). In citatione igitur nullum invenitur judicium erroneum in sensu quem hagiographus intendit, quodvis habeat objectum (Cf. *ibid.*, p. 565 ss.).

Cum hagiographus, quemadmodum auctor profanus, vere judicium non profert, rem vere affirmat aut negat, nisi *quatenus eam affirmare seu judicare vult,* interpretis est solvere quæstionem *facti :* quænam in citatione approbata occurrant judicia et quodnam sit eorum objectum (cf. *ibid.*, p. 567 s.). Ad hanc quæstionem facti solvendam, multum juvat determinare *genus litterarium* ab auctore usurpatum.

Jamvero a/ dicta citatio est metro et *poetice* conscripta : inde fit ut quidam Auctores mentionem lunæ ut ornamentum poeticum habeant, putentque jussum Josue dramatice hujus precem ad Deum exhibere. Utrumque igitur judicium non ad litteram et materialiter esset sumendum.

b/ Dicta citatio ea tangit quæ spectant disciplinas physicas seu *scientias naturales.* Et sive cum sententia communiori dicatur solem stetisse et diem fuisse solito longiorem ; sive cum altera sententia asseratur intra

(1) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 145.

limites unius diei naturalis, bis fuisse transitum a tenebris ad lucem, hoc certum est: *auctorem citationis approbatæ (adeoque hagiographum) de phænomenis astrorum locutum esse sermone vulgari juxta externas apparentias.*

Jam vero, ut apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 645 ss. satis superque demonstravimus, optime potuerunt hagiographi (sicut nos melius de illis phænomenis edocti, imò sicut viri scientifici ipsi) salva inerrantia S. Scripturæ, sequi externam apparentiam et vulgarem loquendi modum in ea fundatum. Etenim de sola externa et sensibili apparentia judicium proferre volunt, ea enuntiantes *phænomena* omnibus nota et vera, quæ populares sui iisdem verbis seu eodem communi sermone significare solent.

Nolumus quidem negare judicium subjective erroneum de intima phænomeni natura apud auctorem « libri Justi », imò apud hagiographum cum vulgari locutione fuisse conjunctum. Verùm categoricum judicium circa intrinsecam phænomeni naturam sermone suo vulgari ac nullatenus scientifico, proponere minime vult neque reipsa proponit. Sicut homines quilibet, vulgari sermone utentes, hagiographus ab intima rerum natura simpliciter abstrahit: quomodo igitur scientificam veritatem lædere posset? (1)

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. F. Kaulen, *Geschichte der Vulgata*, Mainz 1868, p. 43 cit. apud N. Peters, *De Roomsch-Katholieke Kerk en de Bijbelcritiek* (nederlandsche vertaling van A. Bruynseels, Brussel 1907) p. 50: « De schrijver van het boek Josuë, indien hij Jos. **10**, 13 gemeld had: Daar stond de aarde in haren loop rond de zon stil, zou bij zijne eerste lezers (en vele eeuwen daarna) twijfel verwekt hebben nopens de betrouwbaarheid van zijn bericht, vermits hij schijnbaar in de punten der meest gewone begrippen niet ervaren was ». Cf. L. Fonck, *Zeitschrift für Katholische Theologie*, 1907, p. 412, 421 et Auctores laudatos apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 650.

II

Q. *Expone qua ratione Deus operetur, ut causa* efficiens, *in omni operante.* Cf. S. Thomas, I, Q. CV, a. 5.

R. In tractatu de *Deo Creatore*, postquam demonstratum fuit omnia fuisse a Deo *creata,* h. e. ex nihilo producta (1), omniaque a Deo, ut existere pergant, necessario *conservari* in esse (2), etiam demonstratur Deum *cooperari* in actionibus agentium creatorum. Hanc magni momenti quæstionem de *cooperatione* vel de *concursu* Dei conabimur in sequentibus responsis exponere atque solvere ad mentem S. Thomæ Aquinatis.

Inde occurrit hæc prima et universalis propositio:

Deus operatur ut causa efficiens *in omni* operante.

Prænotandum. Quæ propositio ut recte intelligatur, ante omnia notemus nos hic inquirere de operatione Dei, ut causæ *efficientis,* in ipso OPERANTE, qua tali: S. Thomas enim, I, Q. CV, a. 5, inquirit utrum Deus operetur in omni *operante,* et *formaliter* loquitur: quod ipsi mos est, et quod cœteroquin patet ex ipso articulo. Inquirimus proinde utrum et qua ratione Deus EFFICIAT ipsum OPERARI, AGERE, creaturæ. Ab ipso *operari* distingui, saltem ratione, debet *terminus* operationis, seu entitas *effecta,* prout egressa a causa (3): in illa entitate etiam influxum Dei agnoscimus et de hoc influxu in alia responsione loquemur. Claritatis gratia, in præsenti responso de ipsa OPERATIONE creaturæ inquirimus quomodo a Deo dependeat.

Propositio declaratur.

Nulla creatura est suum agere, sed agere est ejus

---

(1) Cf. JUNGMANN, *De Deo Creatore,* n. 6; VAN NOORT, *De Deo Creatore,* Amstelodami, 1903, n. 2; *Collat. Brug.*, t. I, p. 528, 591, t. VIII, p. 461.

(2) Cf. JUNGMANN, *o. c.*, n. 44; VAN NOORT, *o. c.*, n. 46; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 561; t. VII, p. 217, 417.

(3) Cf. DE BAETS, *De operationibus divinis,* Lovanii, 1903, p. 115; DE REGNON, *La Métaphysique des causes,* 2e Edit., Paris, 1906, p. 565.

accidens; præterea creatura, qua talis, est in potentia ad agendum; deinde saltem multæ creaturæ, et nominatim viventes, quandoque sunt in actu quarumdam operationum, quandoque sunt in potentia ad illas (1). Actio ipsa est id quo agens constituitur actualiter causans, et definitur: *actualitas virtutis operativæ* (2).

Omnis creatura totaliter dependet a Deo, ab Ipso ultimatim habet quidquid est, sive secundum essentiam, sive secundum proprietates. Inde concluditur a Deo *dari* et in esse *conservari* omnem formam secundum quam agit creatura: quatenus Deus ita est a/ *dans* et b/ *conservans* omnem virtutem operativam, eatenus jam dicitur operari in omni operante. Sed c/ *tertia* est ratio secundum quam Deus operatur in omni creatura *incipiente* agere, quatenus Deus est APPLICANS *ad agendum;* d/ *quarta* tandem ratio datur secundum quam Deus operatur in operante creato, quatenus Deus *influit esse* actionis creaturæ. Secundum illos quatuor modos operatur Deus ut causa *efficiens:* de *primo* et *secundo* modo nihil occurrit specialiter dicendum et de hoc non datur controversia; de *quarto* modo agemus ex professo in alia responsione; nunc de *tertio* modo explicatio est tradenda.

Demonstratur. Nihil potest a semetipso solo transire de potentia ad actum, sed ad hoc indiget ut moveatur ab alio; atqui quando creatura *incipit* agere transit de potentia ad actum; ergo creatura quando incipit agere debet moveri ab alio. — Sed ille alius est Deus. Ergo

---

(1) Cf. SCHIFFINI, *Institutiones philosophicæ in compendium,* Augustæ Taurimorum, 1893, t. I, n. 368 ss., DE JARGHER, *o. c.,* n. 256.

(2) Cf. S THOMAS, I. Q. LIV, a. 1; *De spiritualibus creaturis,* a. 11. Abstrahimus a quæstione utrum actio *transiens* dicenda sit esse in *agente,* vel in *patiente,* sed tenemus *actionem* semper importare aliquid reale, *aliquam physicam entitatem,* qua subjectum constituitur *formaliter agens.* Si quis hoc negaret, deberet negare ipsum *agere.* Cf. MATTIUSSI, *Fisica razionale,* (manoscritto), t. I, p. 232, n. 192; BILLOT, *De Gratia,* Romæ, 1908, p. 128.

creatura incipiens agere debet moveri a Deo, seu quod idem est, a Deo applicari ad agendum.

a/ *Major* declaratur. Quod est in potentia ad actum est capax recipiendi perfectionem, sed hanc non habet in se et proinde nequit omnino hanc sibimetipsi dare: quia nemo dat quod non habet. Ut ergo ens acquirat sibi perfectionem, qua hic et nunc caret, debet adjuvari ab alio, seu, in casu, moveri ab alio.

b/ *Minor prima* declaratur. Res creatæ quando incipiunt agere, *ipso exercitio activitatis* transeunt de potentia agendi ad ipsum agere et sic physice perficiuntur, physice in perfectione et in realitate augescunt: plus enim est actu agere quam non agere, seu sola agendi potestate gaudere. — Hæc est præcise perfectio, qua in hypothesi, carent creaturæ, nempe ipsum *exercitium* agendi: ad hanc debent moveri seu applicari ab alio. — Stat igitur prima conclusio (1).

c/ *Minor secunda* declaratur. Perfectio quæ creaturæ est tribuenda est ipsum *agere:* hæc est perfectio transcendentalis sicut ipsum esse; proinde ab illo ente produci debet quod est per essentiam *agere*. Attamen ens corporeum potest ad operandum applicari *proxime* ab alio corpore, sed hoc corpus non applicat seu movet nisi et ipsum applicetur et moveatur a tertio: quia autem in moventibus motis non est procedere in infinitum, oportet pervenire ad primum movens quod est Deus. Entia vero immaterialia non possunt applicari ad agendum nisi proxime ab ipso Deo. — Ergo omne ens creatum *incipiens* agere, ad agendum *applicatur* ab

---

(1) Cf. Capreolus, in II, D. I, q. II concl. 6[1]; Goudin, *Philosophia*, Coloniæ Agripinæ, 1693, t. IV, p. 498 ss.; Liberatore, *Institutiones philosophicæ*, Prati, 1883, t. II, p. 529; Zigliara, *Summa philosophica*, 12[a] Edit., Parisiis, 1900, p. 490, 514; Remer, *o. c.*, t. II, p. 459, n. 204; De Munnynck, *La prémotion physique*, in *Revue néo-scolastique*, 1901, p. 370; Ill[mus] ac Rev[mus] Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. VI, p. 562; *Elementa philosophica in usum alumnorum minoris seminarii in S. Nicolai*, Gandavi, 1909, p. 509.

aliquo movente extrinseco, et consequenter a Deo et quidem *immediate*, vel immediatione *virtutis* tantum, vel immediatione et *virtutis* et *suppositi* (1). — (Præterea quum ipsum agere sit aliquod *ens*, nempe accidens reale, seu physica entitas accedens substantiæ in suo esse primo constitutæ, hæc entitas attingitur immediate a Deo quatenus est causa universalissima omnis *esse:* sed hic Dei influxus pertinet ad *quartum* modum, suprà indicatum, quo Deus cooperatur in operante creato: de illo modo erit alibi sermo).

Adnotatio. 1. Refutatam supposuimus doctrinam *Occasionalistarum* (2) qui tenebant creaturas non realiter *agere,* non *efficere ut aliquid sit*, sed tantum esse *occasiones,* quibus positis, ipse Deus solus efficit quidquid de novo fiat. Tenemus proinde creaturas vere *agere*, *propria actione* aliquid efficere, effectumque qua talem physice dependere a causa secunda influente.

2. In citato articulo, S. Thomas dicit quod Deus in quolibet operante operatur primo *secundum rationem finis*. Hoc importat quod Deus est *finis* omnium operantium. Quod sic intelligitur: omne agens agit propter finem, seu propter aliquod bonum: si est agens, intellectu præditum, agit propter bonum, quod ut finem intendit; si est agens irrationale agit propter bonum ad quod natura sua impellitur: hoc autem fit dupliciter: vel appetitu *elicito,* si est *cognitione* præditum, vel appetitu tantum *innato,* si cognitione caret (3). In omni hypothesi, agens agit propter bonum, sive verum sive apparens; atqui omne bonum, sive verum, sive apparens, est aliqua similitudo Summi Boni, quod est Deus; ergo omne agens ultimo appetit, sive directe,

(1) Cf. Cajetanus, in 1, Q. VIII, a. 1; Ferrariensis, *in Summam contra Gentiles*, L. III, c. 70; Pignataro, *o. c.*, p. 510; Billot, *De Gratia*, Romæ, 1908, p. 16 s.; Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, *Collat. Brug.*, t. VII, 219 ss.

(2) Cf De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1909, n. 276.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 651.

sive indirecte, sive implicite, sive explicite, ipsum Deum ut finem. Ergo Deus in omni operante operatur *secundum rationem finis* (1). Hæc causalitas finalis pertinet ad motionem quæ venit ab *objecto* (2). De qua motione alibi erit sermo. Causalitas finalis hic indicanda erat ut bene distingueretur ab alia causalitate, quæ est *secundum rationem efficientiæ.*

J. Van der Meersch.

III

Q. *Sponsus confitetur sese fornicatum esse cum tertia persona. Quomodo dijudicanda est species peccati admissi, et quid censendum est de valore sponsalium?*

R. I. **Species peccati.**

Est 1° peccatum *luxuriæ* quo nempe graviter læditur virtus castitatis juxta naturam.

2° Est peccatum *injustitiæ*, cum graviter violari censeatur jus sponsæ, erga quam obligationem suscepit sponsus non reddendi corpus suum deterius in ordine ad matrimonium: argumentis autem ab intrinseco et ab extrinseco ostendimus, apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 695 s., quomodo per fornicationem reputetur etiam sponsus graviter pollutus coram sponsa, saltem ubi agitur de honestis familiis (3).

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XLIV, a. 4; Pignataro, *De Deo Creatore*, Romæ, 1905, p. 508; De Jaegher, *o. c.*, n. 291 ss.

(2) « Sicut influere causæ efficientis est *agere*; ita influere causæ finalis est *appeti* et *desiderari* ». S. Thomas, *De Veritate*, Q. XXII, a. 2. In entibus, cognitione præditis, bonum influit in quantum apprehenditur. Bonum apprehensum, seu finis, *nihil imprimit in appetitum* quasi aliquid antecedens ipsum actum appetendi aut desiderandi, non *physice* movet appetitum ad suum actum. Cf. Remer, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, t. I, p. 365.

(3) Jam in ipso *Jure Romano* ex sponsalibus censebatur oriri species adulterii, et signanter sponsa ut adultera punitioni erat obnoxia, juxta rescriptum Severi et Antonini (l. 13 § 3, Dig. XLVIII, 5); « etiam in *sponsa* hoc idem (quod in uxore, scil. adulterium) vindicandum, quia

3° Accedit species *incestus*, si copulam fornicariam instituit sponsus cum *sponsæ consanguineis infra 1^m gradum*, cum sponsæ scil. sorore, matre vel filia. Per sponsalia namque peculiaris erga dictos sponsæ consanguineos conjunctionis vinculum contraxit, publicæ honestatis nuncupatum (1), adeoque erga ipsos specialis reverentiæ officio adstringitur, ac exinde peculiari titulo a carnali cum ipsis commixtione prohibetur.

II. **Valor sponsalium.**

Distinguenda est duplex hypothesis: vel fornicatio est admissa cum *sponsæ consanguinea infra 2^m gradum*, vel cum alia persona, sive extranea, sive consanguinea ultra 2^m gradum.

Porro in utraque hypothesi sponsalia redduntur *solubilia* ad nutum seu arbitrium sponsæ (2), sed diversis titulis inducitur dissolubilitatis causa, prouti obtinet una vel altera hypothesis. Nimirum

In *altera hypothesi, duplici* præsertim titulo dissolubilia evadunt sponsalia: tum a/ quatenus fornicatio sponsi, uti ex dictis sub I liquet, notabilem in illo mutationem attulit respectu sponsæ honestæ (3); tum b/ quatenus, juxta eadem dicta sub I, importat renuntiationem contractui, ex inobservatione obligationis in contractu contentæ de servanda corporis integritate (4).

---

neque matrimonium qualecumque *nec spem matrimonii* violare permittitur ». Pariter in antiquo *Jure Germanico*. Cf. LAFOURCADE, *Étude historique des Fiançailles*, Bordeaux, 1902, p. 41 s. et 72.

(1) ILLE WAFFELAERT, *De Prudentia, Fortitudine et Temperantia*, Brugis, 1889, n. 150 s.

(2) Sponsalia nempe ipso facto non solvuntur, sed manent, integra relicta obligatione a sponso contracta; ast sponsa potest pro lubitu sponsalibus valedicere (quod si contingat, sponte sua solvuntur), vel potest urgere fidei sponsalitiæ executionem, in quantum aliunde nihil obstat. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 641 s.

(3) Quod ob solam mutationem notabilem in una parte rescindi possint sponsalia ab altera parte, ex eo est quod sponsi meritò censentur promisisse matrimonium incundum cum persona *moraliter eadem* cum qua sponsalia sunt contracta.

(4) Posset etiam tertius titulus ad dissolubilitatem invocari: quatenus

In *priori hypothesi*, qua nempe persona complex fuerit consanguinea sponsæ infra 1m gradum: *novus* adhuc accedit titulus ex quo solubilia redduntur sponsalia; eo namque ipso contraxit sponsus respectu sponsæ dirimens impedimentum affinitatis illegitimæ: hujusmodi autem impedimentum, utpote dispensabile, non dissolvit sponsalia prævia, sed illa reddit rescindibilia contra partem ex cujus facto impedimentum est contractum, seu ad nutum partis innocentis, uti latius exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 643 ss.

IV

Q. *Sponsa gravi laborat defectu corporali occulto. An tenetur illum manifestare sponso, et an potest eumdem propalare medicus defectûs conscius?*

R. **Ad 1m.**

Distinguendum est inter defectus occultos alteri parti *damnosos aut probrosos* et defectus reliquos, futuræ comparti *non nocivos* directe, quatenus scil. nuptias quidem reddant comparti minus gratas, grave autem damnum non afferant.

Prioris speciei foret vel morbus contagiosus, puta syphilis, vel status prægnantiæ ex alio viro; alterius speciei esset notabilis virium debilitas, infirmitas non contagiosa, qua nempe mulier reddatur minus idonea oneribus matrimonii, quin valetudo viri in discrimen vocetur (1).

Porro 1° quod spectat defectus alteri parti *non graviter nocivos:* Non debet sponsa illos manifestare

---

nempe hujusmodi fornicatio sponsalibus succedens suspicionem ingerit infidelitatis: quæ causa, ratione habita naturæ provisoriæ contractus sponsalitii et favoris præstandi matrimonii libertati ac stabilitati, potest per se sufficere ut solubilia evadant sponsalia.

(1) Supponimus, sub hoc primo puncto, defectus tales esse qui servent aptitudinem ad matrimonium ejusque essentialia officia: secus nempe matrimonium esset sponsæ absolutè interdictum.

sponso, imo potest eos, seclusa fraude, occultare. Ratio est quia nemo tenetur suos proprios defectus prodere ad meram vitandam displicentiam alterius, inde grave nocumentum non passuri.

Quod eo vel magis valet quia passim solent ex utraque parte accuratæ fieri investigationes circa valetudinem nupturientium.

2° Quod spectat defectus futuræ comparti graviter *damnosos* aut *probrosos:* videtur sponsa regulariter *ex justitia* teneri ad propalandos hujusmodi defectus, si nolit a nuptiiis abstinere.

« Sicut enim in aliis contractibus non licet tradere rem occulto defectu laborantem, ex quo alteri damnum imminet, ita non licet cum occulto defectu pernicioso sponsalia aut matrimonium contrahere » (1).

Unde non posset occultari nec silentio premi existentia morbi syphilitici, adeo exitiosos effectus producentis in compartem; ac etiam jus haberet sponsus ut moneatur sponsam obnoxiam esse phtysi, quotiescumque, judicio periti medici, censetur grave periculum inducere contagionis, quemadmodum non rarò accidere experientia compertum est (2).

Nota: a/ Præstat multùm ut defectus, si qui sint, etiam non noxii, mutuò cognoscantur, ne postea inde discordiæ exsurgant et pax turbetur; imo potest ad hoc adesse obligatio *charitatis*, ex qua tamen obligatione excusaret grave malum revelanti imminens, ut si puella inde prævidetur mansura innupta.

b/ Notum est in Hollandia legem præparari nuptu-

---

(1) Theol. Mechl., *Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 5ª, n. 18.

(2) Hanc revelationis obligationem strictius urgere opinamur respectu defectus *corporalis*, seu morbi nocivi, quam respectu status *fortunæ* graviter affectæ et ruentis: licet nempe ille status importet defectum gravem valde, eumque graviter damnosum alteri parti, possent tamen in favorem silentii circa illum servandi invocari mores vigentes et communis æstimatio populi, coram quibus facilius excusantur sponsi a manifestando statu fortunæ utut malè affectæ.

rientes cogentem ad examen subeundum ex parte medici, cujus relatio sponsis mutuò esset communicanda. Sane talis disciplina, si sanctionem legalem unquam nanciscatur, non levibus difficultatibus et periculis erit obnoxia in praxi, in se autem censetur justa, hoc salvo moderamine quod, ad normam distinctionis factæ, restringatur testimonium medici ad solos defectus corporales indicandos *alteri parti graviter nocituros.*

Ad 2^{m}.

Pro quæstione altera solvenda, utrum nempe *medicus* possit occultum sponsæ defectum sponso ejusve parentibus manifestare, distinctione est opus:

1° Si medicus defectum novit ex sibi commisso *secreto professionali,* quatenus notitiam acceperit a sponsa consilium exquirente eumque qua medicum fidenter adeunte, stricte tenetur silentium servare, quomodocumque defectum naturæ matrimonii repugnare repererit, vel quantumcumque damnum exinde alteri parti imminere prævideat.

Universim namque valet ratio quam apud *Collat. Brug.,* t. XI, p. 707, adduximus, ad ostendendum quomodo secretum professionale excuset a revelando impedimento matrimonii: nimirum res est de *bono publico,* quod exigit ut homines tutò et confidenter adire possint hujusmodi personas ex officio præpositas ad hoc ut aliis ope et consiliis præsto sint: multùm autem minueretur fiducia ac promptitudo in consiliis exquirendis si notum esset notitiam ita concreditam dicto modo posse adhiberi ac manifestari (1).

2° Si defectus *aliunde* quam ex secreto professionali in notitiam venerit medici, posset defectus sponsæ, saltem graviter probrosos aut damnosos, vel ipsi matrimonii substantiæ contrarios, manifestare sponso ejusve

(1) Inde etiam est quod testimonium medicale, de quo in suprà memorata legis propositione, postulandum præscribitur ab alio medico quam a medico respectivæ familiæ consiliario.

parentibus consilium exquirentibus: supponitur non timeri graviora mala.

Nota. Medicus sponsæ qui, juxta dicta sub 1°, non posset sponso patefacere defectum corporalem, quo scientia professionali novit eam laborare, deberet dictam sponsam instanter hortari ac urgere ut *ipsa* defectum graviter perniciosum futuræ comparti manifestet vel manifestari sinat, aut nuptiis valedicat: cœlibatus namque, nisi altioris ordinis motiva et speciatim animæ salus contrarium suadeant, regulariter præstat in casu, ac imo unicum constituit remedium si defectus medico innotescens reperiatur substantiæ matrimonii repugnans.

A. De Smet.

V

Q. *Indiquez les circonstances qui ont amené le premier concile œcuménique de Nicée et les mesures qui y furent prises contre l'arianisme.*

R. I. Le concile de Nicée fut amené principalement par les événements qui succédèrent à la révolte ouverte d'Arius (318 à 325), et par l'état d'agitation qu'ils créèrent en Orient (1).

Saint Alexandre, bon et paisible de caractère, avait d'abord essayé de ramener son prêtre par la douceur; il fit discuter les doctrines suspectes dans les assemblées du clergé alexandrin, et ce fut seulement quand on avait bien établi qu'elles étaient contraires à la

(1) Sur la doctrine d'Arius et l'origine des difficultés, voir *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 662. Les mêmes sources et les mêmes travaux nous ont servi ici. Les lettres de saint Alexandre, d'Arius et d'Eusèbe de Nicomédie, qui se rapportent directement à cette phase, constituent les sources principales; seulement, il est à remarquer, que ces documents n'ont pas de date certaine et ont été à ce point de vue diversément jugés; il est donc difficile de déterminer avec certitude la marche des événements. Nous suivons surtout: Mgr Duchesne, *Hist. Anc. de l'Eglise*, t. II, p. 125 ss. et Héfélé, *Hist. des Conciles*, nouv. trad. franç., t. I, 1.

tradition, qu'il se prononça contre Arius et ses adhérents (1). Ceux-ci, prêtres et diacres, furent priés, puis sommés de renoncer à leurs innovations; mais ils s'y refusèrent obstinément et continuèrent, malgré la défense de l'évêque, à exercer leurs fonctions et à pervertir le peuple. Comme ils étaient relativement nombreux, Alexandre crut devoir renforcer l'autorité de sa décision, en faisant intervenir tout l'épiscopat égyptien; il réunit, vraisemblablement en 320, un synode où se trouvèrent près de cent évêques de l'Égypte et de la Libye; Arius y fut anathématisé avec ses partisans: deux évêques, ainsi que six prêtres et six diacres d'Alexandrie (2).

A la suite de cette condamnation, les ariens se décidèrent à quitter l'Égypte, ils passèrent en Palestine et trouvèrent bon accueil auprès d'Eusèbe, évêque de Césarée (3), plus ou moins imbu des idées subordinatiennes d'Origène. Arius profita de son séjour à Césarée pour s'attacher les évêques de la Palestine, de la Phénicie et de la Syrie (4); c'est de là encore qu'il

---

(1) Ces réunions synodales du clergé alexandrin se placeraient entre 318-320; mais il reste impossible d'établir les phases chronologiques des pourparlers, des déclarations d'Arius et de la rupture définitive. La conduite hésitante de l'évêque d'Alexandrie nous est rapportée par Sozomène, *H. E.*, I, 15; on peut y voir peut-être un indice de la popularité dont Arius jouissait à Alexandrie.

(2) Détails fournis par la *lettre encyclique* d'Alexandre, conservée par Socrate, *H. E.*, I, 6. (*P. G.* XVIII, 572). Dom Don. De Bruyne vient d'en publier (*Rev. Bénéd.* 1909, p. 93) une ancienne version latine inédite. Les deux évêques condamnés sont Théonas de Marmarique et Secundus de Ptolemaïs.

(3) On a peine à séparer la cause du célèbre historien de celle d'Arius; sa pensée toutefois a toujours été flottante: tantôt il maintient la divinité du Verbe contre les ariens, tantôt il s'élève contre les orthodoxes pour affirmer l'infériorité du Fils. Il n'a jamais compris l'importance dogmatique de la lutte contre les ariens.

(4) Pour gagner ces évêques à sa cause, Arius leur fit accroire, que la condamnation d'Alexandre les visait autant que lui. Plusieurs de ces évêques en effet étaient imbus d'origénisme. Voir lettre d'Arius à Eusèbe de Nicomedie, conservée par Saint Epiphane, *Hær.* LXIX. (*P. G.*, t. XLII, 210).

écrivit à un autre Eusèbe, celui de Nicomédie, prélat intriguant, ancien condisciple de l'hérésiarque à l'école de Lucien d'Antioche. L'appui demandé ne fut point refusé ; Eusèbe de Nicomédie, qu'Arius alla bientôt rejoindre, fut dès ce moment le chef militant du parti arien (1). Sans tarder il inonda l'Orient et l'Asie-Mineure de lettres adressées aux évêques pour les engager à prendre parti pour Arius et à le soutenir contre son évêque, en réclamant de celui-ci qu'il revint sur sa sentence. Arius rédigea un exposé de sa doctrine, sous forme d'une lettre adressée à son chef hiérarchique ; on la fit circuler pour recueillir des adhésions (2).

Saint Alexandre comprit qu'il fallait lutter sur le même terrain et contrebalancer l'influence des deux Eusèbe ; il réunit de nouveau son clergé ainsi que celui de la Maréote et leur fit souscrire une lettre encyclique, destinée à renseigner tous ses collègues de l'épiscopat sur le véritable état des choses. Cette *epistula encyclica* résume à grands traits l'hérésie arienne, donne les noms des condamnés et proteste surtout contre l'ingérence d'Eusèbe de Nicomédie. Tandis qu'Arius recueillait des signatures pour sa profession de foi, les envoyés d'Alexandre faisaient de même signer partout leur protestation. Par cette lettre et une autre, adressée à Alexandre (de Byzance ?), qui nous a été également conservée, on peut se faire une idée de l'agitation qui regnait en ce moment à Alexandrie (3) ; le désordre fut

---

(1) Cette adhèsion fut un immense appoint pour l'hérésiarque. Devenu par ses intrigues (*Ep. encyclica,* d'Alex.) évêque de Nicomédie, résidence habituelle de l'empereur, Eusèbe gagna beaucoup d'influence à la cour, surtout auprès de Constantia, sœur de Constantin (Sozomène, I, 15). Il était même apparenté à la famille impériale (Ammian. Marcell. XXII-9). On peut juger de son prosélytisme ardent et de ses idées nettement ariennes, par sa lettre à Paulin de Tyr, conservée par Theodoret, I, 5. (*P. G.*, t. LXXXII, 914)

(2) Cette lettre est conservée par Saint Athanase, *De Synodis*, 16 (*P. G.*, t. XXVI, 708) et par Epiphane (*P. G.*, t. XLII, 213).

(3) La plupart des auteurs considèrent cette lettre à Alexandre (de Con-

porté à son comble par le retour d'Arius. Celui-ci en effet et ses adhérents ne prétendaient rien moins que d'être réadmis à la communion, se faisant forts d'une décision prise en leur faveur par deux synodes, tenus l'un en Bithynie sous la présidence de l'évêque de Nicomédie, l'autre en Palestine sous la présidence d'Eusèbe de Césarée (1). L'évêque d'Alexandrie tint bon, bien que ses adversaires n'épargnassent aucun moyen, aucune ruse pour lui forcer la main; des pamphlets et même des chansons circulaient pour exciter le populaire et l'intéresser aux opposants. Ce n'était donc plus une querelle entre clercs; les fidèles se divisaient, les femmes surtout se mêlaient de l'affaire (2). Au dehors, l'épiscopat était également de plus en plus divisé, et la confusion qui régnait à Alexandrie se constate un peu partout en Orient; les choses en vinrent à un tel point, que le public païen y trouvait une occasion de s'amuser dans ses théâtres aux dépens des chrétiens (3).

C'est dans cet état d'agitation que Constantin trouva l'Église orientale, lorsque sa victoire sur Licinius le mit en rapport avec elle. Voulant faire de l'unité religieuse un appui de son empire, il songea aussitôt à apaiser la querelle, qu'il semble avoir d'abord considérée comme vaine et oiseuse. Il écrivit en ce sens une

---

stantinople?) comme postérieure à la *lettre encyclique*. Cependant Rogala (*Die Anfänge des Arianischen Streites*, p. 14) la croit antérieure; la description qu'on y trouve se rapporterait donc plutôt à la situation créée par la première comdamnation, avant le départ d'Arius. Voir cette lettre *P. G.*, t. XVIII, 547.

(1) Sozomène, I, 15, résume les documents synodaux qui ne nous sont pas parvenus.

(2) Arius n'avait pas seulement composé sa *Thalie* (pendant son séjour en Palestine); mais d'autres chants encore pour les marins, les menuisiers, etc. propres à disséminer ses erreurs. (Athanase, *Orat. c. arien.*, I, 2-10, Philostorgue, II, 2). Epiphane (*Hæres.* LXIX. 3) parle de 700 vierges consacrées à Dieu, séduites par les idées d'Arius.

(3) Eusèbe. *Vita Const.*, I, 61. (*P. G.*, t. XX).

lettre commune à Alexandre et à Arius (1), et la fit porter par Hosius de Cordoue, son conseiller ecclésiastique, qui l'avait suivi en Orient. Hosius cependant ne parvint pas à calmer les esprits ; il revint à Nicomédie, où séjournait l'empereur, l'informa du peu de succès de sa mission et ne fut pas sans doute étranger à la décision que prit alors Constantin de convoquer une réunion générale de tous les évêques de son empire, pour régler la question qu'il n'avait pu étouffer.

II. Le concile projeté et convoqué par Constantin se tint à Nicée en Bithynie, pendant l'été de 325. Quelques évêques arrivés dès le printemps commencèrent, semble-t-il, les discussions dans des réunions privées ; les sessions solennelles, que présidèrent fort probablement Hosius et les représentants du Pape Silvestre, Vitus et Vincent, ne s'ouvrirent qu'après l'arrivée de l'empereur, à la mi-juin (2).

---

(1) Eusèbe, (*Vita Const.*, II, 64-72) donne cette lettre en entier, peut être paraphrasée à sa manière. Sa teneur montre assez que l'empereur ne comprenait rien à la gravité de la question.

(2) Les procès-verbaux du Concile de Nicée, s'il en a été dressé, ne sont pas conservés. Les détails que nous connaissons nous sont fournis par trois témoins présents : Eusèbe, *Vita Constantini*, III-22 ; Saint Athanase, surtout *De decretis Nicænæ Synodi* et *Epistula ad Afros* ; Eustathe d'Antioche cité chez Théodoret I, 7 ; ainsi que par les historiens Socrate, Sozomène. Théodoret, Rufin dans leurs *Histoires ecclésiastiques* et Gélase de Cyzique dans son *Histoire du Concile de Nicée*.

Il n'entre pas dans le cadre restreint de cette réponse de raconter tous les actes du Concile, ni de discuter les questions de détail. Remarquons seulement que l'intervention du pape, saint Silvestre, est suffisamment prouvée, pour reconnaître à l'assemblée de Nicée la puissance souveraine d'un concile œcuménique. Il est certain que la convocation matérielle a été faite par Constantin, sans qu'on puisse établir une intervention directe du pape ; mais le fait d'avoir envoyé des légats pour présider le synode suffit à lui seul pour prouver que le pape entendait ratifier cette convocation ; en d'autres mots il faisait par cela même la *convocation formelle*, (celle qui donnait au concile sa valeur juridique). Le Concile en plus a clairement reconnu la nécessité du concours et de l'approbation du pape, en donnant la *présidence* aux légats de Rome. Ceux-ci en effet, bien que simples prêtres et occidentaux signèrent, avec Hosius, les premiers la formule admise par le Concile. Enfin si l'appro-

Après le discours d'ouverture, dans lequel Constantin exprima vivement son désir de voir renaître la paix et l'union dans l'Église, les débats commencèrent par l'examen de la sentence portée contre Arius. Mis en demeure de se justifier, Arius et ses adhérents s'exprimèrent très franchement, si bien qu'Alexandre n'eut aucune difficulté pour établir le bienfondé de sa décision. La sentence ne fut pas seulement maintenue, mais confirmée par la plupart des évêques, malgré les efforts tentés par les Eusébiens. Ces derniers formaient dans le concile un tiers-parti entre les orthodoxes et les ariens ; bien que plus portés pour Arius qu'ils avaient soutenu jusqu'alors, ils n'osaient cependant trop ouvertement se prononcer au concile. Pour sauver cependant l'arianisme, ils présentèrent des formules adoucies et tâchèrent d'éviter des déclarations trop catégoriques ; ils avaient surtout comme tactique de faire adopter des formules bibliques, assez vagues pour laisser place à une interprétation conciliable avec leurs idées (1). Cette attitude eut comme résultat de pousser davantage les pères orthodoxes à un travail de précision et de détermination. Un premier symbole présenté par Eusèbe de Nicomédie (2), fut unanimement rejeté comme trop fa-

---

bation explicite et solennelle, dont parlent les documents postérieurs, n'est pas prouvée, il n'en est pas moins vrai que les envoyés de Rome apposèrent leurs signatures aux actes, en leur qualité de légats puisqu'ils signèrent avant tous les autres. Puisque d'autre part le pape, mis au courant, ne fit aucune réclamation, on est en droit de dire qu'il confirma le concile de Nicée au moins *praxi et usu*. Voir Héfélé, *trad. citée*, I, 1. Funk, *Kirchengesch. Abhandlungen*, t. I, p. 39 ss., et une étude récente de Kneller, *Das Papsttum auf dem ersten Konzil von Nicäa* (Stimmen aus Maria-Laach, 1909, p. 503-522).

(1) Proposait-on, par exemple, pour signifier que le Logos n'est pas tiré du néant, cette expression : « le Logos est de Dieu » ἐκ τοῦ θεοῦ, les ariens se disaient : acceptons puisque *toutes les créatures sont de Dieu* (II Cor. V, 18). Il en était ainsi de beaucoup d'autres expressions, signalées par Saint Athanase, *Ep. ad Afros*, 19-20.

(2) D'après Théodoret, *H. E.*, I, 7. L'ordre que nous suivons est hypothétique : on ne parvient pas à reconstituer sûrement la suite de la discussion. Cfr. Tixeront, *Hist. des dogmes*, t. II, p. 32 ss.

vorable aux ariens. Un second présenté par Eusèbe de Césarée eût pu passer à la rigueur (1); Constantin, s'il faut en croire Eusèbe lui-même, s'en serait contenté, sauf à y introduire l'ὁμοούσιος qui lui avait plu ; mais les orthodoxes furent plus exigeants : ils acceptèrent la formule de l'évêque de Césarée, mais y introduisirent plusieurs mots, destinés à en préciser le sens et à rendre impossible toute interprétation arienne. C'est ainsi que fut formulé le célèbre symbole de Nicée (2) :

« Nous croyons en un seul Dieu, Père, tout-puissant, auteur de toutes choses, visibles et invisibles ; et en un seul Seigneur, Jésus-Christ, le Fils de Dieu, engendré unique du Père, c'est-à-dire de l'essence du Père, Dieu de Dieu, lumière de lumière, vrai Dieu de vrai Dieu ; engendré et non pas fait (3), consubstantiel au Père (4),

---

(1) Voir ce symbole chez Socrate, *H. E.*, I. 8. Le Verbe y était dit « Dieu de Dieu ..... Fils unique, premier né de toute créature, engendré du Père avant tous les siècles, par qui tout a été fait ».

(2) Le texte est donné en entier par Eusèbe de Césarée dans une lettre, qu'il adressa à son église, pour justifier sa conduite (Socrate, *H. E.*, I, 8); aussi par Saint Athanase dans son *Ep. ad Jovianum*. Nous donnons ici la traduction française de Mgr Duchesne (*o. c.*).

(3) Remarquons l'expression « Fils de Dieu », elle remplace le Logos du texte d'Eusèbe; en l'adoptant on s'écartait davantage de la conception hellénique, source de tant d'erreurs.

Le sens de γεννηθεντα, engendré, se trouve précisé par l'opposition « non pas fait » et surtout par l'explication « c'est-à-dire de l'essence du Père ». Ces derniers mots allaient directement contre la prétention arienne, qui faisait le Fils étranger à la substance du Père, et qui ne voyait en lui qu'un effet de la volonté du Père. Cfr. Tixeront, *o. c.*, p. 35.

(4) En grec ὁμοούσιον τῷ πατρί ; le sens de cette expression est que le Fils a la même essence, la même substance que le Père. Οὐσία indique ce qu'il y a de premier dans l'être, par opposition aux caractères individuels et accidentels. De cette οὐσια, le Concile affirme qu'elle est la même numériquement (ὁμό-) dans le Père et dans le Fils. On pense généralement que ce mot fameux a été intercalé dans le symbole, sur le conseil d'Hosius, et n'est que la traduction du terme *consubstantialis* dont la doctrine de Tertullien avait, depuis longtemps acclimaté l'usage en Occident. En Orient le mot n'était pas inconnu, mais il avait été compris et employé dans un sens modaliste (excluant la distinction des personnes) et reprouvé par le Concile d'Antioche, au temps de Paul de Samosate; dans la suite, il sera encore pour plusieurs une pierre d'achoppement. Cfr. Tixeront, l. c.

par qui tout a été fait; qui pour nous, hommes et pour notre salut est descendu, s'est incarné, s'est fait homme, a souffert, est ressuscité le troisième jour, est remonté au ciel et viendra juger vivants et morts; et au Saint-Esprit. »

Pour condamner les expressions blasphématoires d'Arius, on ajouta un anathématisme, qu'on formula comme suit: « Quant à ceux qui disent: Il fut un temps où il n'était pas; Avant d'être engendré il n'était pas; Il a été fait de rien ou d'une autre substance ou essence (1); Le Fils de Dieu est un être créé, changeable, mutable; ceux-là, l'Église catholique leur dit anathème ».

L'adhésion à ces formules fut donné d'enthousiasme; Eusèbe de Césarée cependant, un peu abasourdi par les modifications graves introduites dans sa formule, demanda quelque répit, l'obtint et trouva bientôt plus sage de se ranger au parti triomphant; Eusèbe de Nicomédie, Théognis de Nicée et peut-être Maris de Chalcédoine refusèrent d'abord de souscrire: ils étaient surtout opposés au terme ὁμοούσιος; plus tard cependant, sous la menace de l'empereur, ils signèrent la formule, mais leur adhésion ne semble pas avoir été sincère. Deux évêques, ariens de la première heure, Théonas et Secundus refusèrent obstinément; il furent exilés avec Arius. En outre, les écrits d'Arius et ceux de ses partisans furent condamnés au feu (2).

Le concile de Nicée, qui mit encore fin au schisme de Mélèce, décida la question de la célébration de la Pâque et fixa quelques règles de discipline ecclésiastique, se termina probablement vers le milieu de juillet. Le Pape Silvestre confirma les actes, tout au moins par son acceptation (3).

R. De Schepper.

---

(1) En grec ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας; le mot *hypostase* n'était pas encore employé dans le sens de personne.

(2) Sozomène, *H. E.*, I, 21.

(3) Voir supra p. 26, note 2.

VI

Q. *In civitatibus ubi plures sunt ecclesiæ cum cœmeterio communi, cuinam ecclesiæ de jure universali competat jus funerandi: 1° extraneos alibi defunctos qui in cœmeterio communi sepulturam elegerunt, non designata ecclesia in qua solemnia funeris exsequenda habeantur; 2° peregrinos qui perfunctorie in civitate commorantur et ibi moriuntur, non electa sepultura, dum ad locum domicilii sui transferri nequeunt* (1).

Prænota. Seponendas duximus conventiones particulares, locorum consuetudines, præscriptionesque synodales, quæ in hac materia præcipue attendendæ sunt.

R. 1°. Casus est illius qui in propria parochia puta Lisseweghe defunctus, in cœmeterio communi Brugensi legitime (2) sepulturam elegit, nulla designata parochiali ecclesia, in qua funera persolvenda sunt. Vectum via ferrea, aut navigabili, aut alia via publica, defertur corpus Brugas, apud consanguineum defuncti, parochianum Sancti Egidii. Quid juris?

a/ Parochus proprius defuncti valet corpus e domo levare et, si lubet, recta tramite (3), per viam breviorem, deducere usque ad limem ecclesiæ tumulantis. Præter hanc in associatione cadaveris præeminentiam, jus habet ad quartam funeralem (4).

---

(1) Conferenda est præsertim *Causa Bredana et Romana* S. C. C., 27 aug. 1904, ex qua et quæstio et responsum, quasi ad verbum, desumuntur. Cf. *Nederlandsche katholieke Stemmen,* 1905, t. V, p. 96; *Rev. théol. franç.*, 1904, t. IX, p. 726-740, adjecto commentario.

(2) Omnes conditiones adsint oportet ut legitima sit electio sepulturæ, proinde ut, attenta *Causa Clavaren.*, 17 jun. 1905, fiat in cœmeterio aut sepulchro canonice erecto, cf. *Collat. Brug.*, 1909, t. XIV, p. 596; *Rev. théol. franç.*, 1905, t. X, p. 658, nota.

(3) Circa sensum hujus vocis, consulatur *Causa Pisaurien.* C. Episc. et Reg. 5 maii 1905, ap. *Il Monitore ecclesiastico,* 1905-1906, t. XVII, p. 249 ss., cum adnotationibus relatoris; *Rev. théol. franç.*, 1906, t. XI, p. 3 ss.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, ed. 7, n° 479 s., p. 400 s.; Alberti, *De sepultura ecclesiastica,* n° 51, p. 35, Romæ, 1901.

b/ Jus funerandi spectat ad ecclesiam cathedralem, si agatur de civitate episcopali; ad ecclesiam principalem, si de aliis civitatibus res sit.

Quæstio controvertebatur (1), variisque parœciis, ab auctoribus decisionibus Congregationum innixis, jus peragendi funera vindicabatur (2), nempe: a/ parœciæ, in qua sita sunt statio viæ ferreæ aut portus; b/ parœciæ per quam transit via qua itur ad cœmeterium; c/ parœciæ ipsius cœmeterii (3); d/ parœciæ propriæ defuncti; e/ parœciæ, quam designarent heredes defuncti vel in qua illi commorantur; f/ demum parœciæ cathedrali aut principali.

Hanc ultimam sententiam pluries nuperrimo tempore amplexa est S. Congregatio Concilii, uti videri est ex *Causa Novariensi*, 22 junii 1895 (4), *Causa Romana et Bredana* 27 augusti 1904, jam citata et præ aliis attendenda (5), *Causa Astiensi*, 26 januarii 1907 ad II (6).

Ita provisum est, modo practico, necessitati assignandi huic defuncto ecclesiam propriam ad ejus funera exsequenda; quæ merito spectare ad Ecclesiam cathedralem vel principalem declaratum est, utpote potioris dignitatis.

2°. Finge agi in secundo casu de viatore Bruxellis domicilium habenti, qui Brugis, in diversorio in parochia Sanctæ Annæ sito, ad paucos dies commorari intendens, in hoc, nulla electa sepultura, ultimam diem

---

(1) Cf. *Causa* cit. *Bredana et Romana*, ubi Ponens varias exponit sententias; *Rev. théol. franç.* 1904, t. IX, p. 729 ss.

(2) In responsis circulorum sex illas obvias habuimus sententias.

(3) Cf. *Causa Cajetana* C. C., 24 aug. 1907, apud *Il Monitore eccles.*, 1907-1908, t. XIX, p. 480; *Causa Astien.* 26 jan. 1907, *ibid.*, p. 9; collato articulo ejusdem periodici, 1909-1910, t. XXI, p. 279 ss.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 758, t. II, p. 93; Alberti, *o. c.*, p. 34.

(5) Quia ut controversiis finis imponatur et habeatur norma in posterum sequenda dubium ab Episcopo Bredano Congregationi ponebatur.

(6) Ap. *Il Monitore*, 1907-1908, t. XIX, p. 9 s.

obiit, dum ad locum domicilii sui, nolentibus heredibus, transferri nequit (1).

a/ Parochus proprius defuncti jus habet ad quartam funeralem.

b/ Jus funerandi aliaque percipiendi emolumenta obveniet ecclesiæ loci, in quo defunctus vitam absolvit.

Et hæc quæstio ansam dedit controversiis. Alii contendebant hunc defunctum sepeliendum esse ab ecclesia cathedrali aut principali civitatis; alii, dari locum præventioni inter ecclesiam cathedralem et ecclesiam loci, in quo vita functus est viator, ita ut alterutrius prior expetita integrum funus peragat; alii, distinguentes inter mere vagos et illos extraneos qui in determinata parochia per aliquot tempus habitaverint, priorum funera ecclesiæ cathedrali, aliorum vero ecclesiæ loci obitus addicebant; alii demum huic soli ecclesiæ solemnia funeris persolvenda vindicabant. Hanc quartam, jam communiorem (2) sententiam secuta est repetitis vicibus (3), S. Congregatio Concilii, et nuper in *Causa Bredana et Romana* citata ad II^dum^. Et merito quidem, cum proprius parochus ad hunc effectum ille censetur, in cujus parœcia aliquis decessit, quamvis brevi tempore et perfunctorie in ea sit moratus, quia habet fundatam in jure præsumptionem super omnibus proventibus qui in parœcia contingunt et quia jura funeris præ aliis parochis agnoscenda sunt illi, qui officium habet sacramenta intra limites parœciæ graviter decumbentibus ministrandi.

A. De Meester.

---

(1) Quandonam ad propriam parochiam transferri nequeat, res est ex adjunctis dijudicanda. Nec plerumque obstabit distantia, cum via ferrea cadaveris translatio fieri possit. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 459 s.; Alberti, *o. c.*, p. 30, nota 1.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 408; *Collat. Brug.*, t. V, p. 460, t. VII, p. 128 ss.; Alberti, *o. c.*, p. 29 s.; Lex, *Das kirchliche Begräbnisrecht*, p. 131; *Rev. théol. franç.* 1904, t. IX, p. 736.

(3) Cf. *Causa Urbevetana*, 11 aug. 1894, ap. *Acta S. Sedis*, 1894-1895, t. XXVII, p. 220-229.

Quid docuerint S. Thomas et Molina

de cooperatione Dei in creaturarum operationibus.

In responso suprà, p. 14, dato, exposuimus principium fundamentale in solutione quæstionis propositæ, et ab admisso vel rejecto illo principio originem, si logicum ordinem spectes, habet celebris disputatio quæ a tribus jam sæculis viget inter catholicos theologos.

Hæc autem controversia publice agi cœpit anno 1582, in universitate Salmanticensi, occasione defensæ theseos de libertate Christi (1).

(1) Cf. MANDONNET, ap. VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. BANEZ. Mirum forsitan videbitur controversiam fuisse ortam ex quæstione de libertate Christi: sed hæc est connexa cum notione libertatis in genere, deinde propter errores Protestantium, tunc temporis damnatos a Concilio Tridentino, specialiter inter theologos agitabantur quæstiones de influxu Dei in liberum arbitrium, de justificatione, de prædestinatione: quorum omnium tradendæ sunt explicationes necessario ad invicem connexæ. Controversia quum fuerit exorta, res etiam ad aliquod tribunal S. Inquisitionis, in Hispania, delata fuit et improbatæ sunt 16 propositiones, inter quas notatu dignæ sunt præcipue sequentes:

1ª. Si Christus habuit præceptum moriendi impositum a Patre, necessitabatur quoad impletionem illius, sic adeo ut nihil libertatis haberet in substantia operis moriendi et consequenter non meruit in substantia operis.

3ª. Si præceptum moriendi Christo impositum determinavit non tantum substantiam operis sed etiam intensionis modum et reliquas circumstantias, tolleret omnino meriti rationem quia tolleret libertatem.

4ª. Non quod Deus voluit me loqui ego loquor, sed contra: quod ego loquor Deus voluit me loqui.

6ª. Deus non est causa operationis liberæ sed causat tantum esse causa.

9ª. Dei providentia non determinat voluntatem humanam aut quamlibet aliam particularem causam ad bene operandum, sed potius particularis causa determinat actum divinæ providentiæ.

11ª. Conferente Deo æquale auxilium duobus hominibus absque ullo superaddito, potuit alter illorum converti, alter vero renuere.

13ª. Impius in justificatione sua determinat auxilium Dei sufficiens ad actualem usum per voluntatum suam.

Tunc temporis, ab anno 1580 ad 1604, theologiæ professor, in dicta Universitate, erat Dominicus Bânez O. P. (1). Suas opiniones exposuit in suis operibus, nempe: *Commentaria in I partem Angelici Doctoris D. Thomæ usque ad sexagesimam quartam complectentia*, anno 1584; *Commentaria in II^am-II^æ ... usque ad XLVI quæstionem*, anno 1584; *Commentaria super cæteras I^æ partis quæstiones*, anno 1588; *Commentaria in II^am-II^æ a quæstione LVII ad LXXVIII*, anno 1594.

Anno 1588, Ludovicus Molina, S. J., opus ex professo de disputatis tunc quæstionibus conscripsit, et edidit Olyssipone, sub titulo: *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione ac reprobatione, ad nonnullos I Part. D. Thomæ articulos, doctore Ludovico Molina, primario quondam in Eborensi Academia Theologiæ professore, e Societate Jesu auctore.* Anno sequenti nova facta est ejusdem operis editio, cum appendice complectente responsiones ad objectiones factas a quibusdam qui, quum *Concordia* vix in lucem prodierat, de sanitate ejusdem doctrinæ aliqua ex parte dubitarunt (2).

Magis ac magis tunc ferbuit lis: anno 1595 Bânez conscripsit opus cujus titulus: *Apologia Fratrum Prædicatorum in provincia Hispania sacræ theologiæ professorum, adversus novas quasdam assertiones cujusdam doctoris Ludovici Molinæ nuncupati.*

Quum jam ab anno 1594 res fuisset Romæ delata, ab anno 1598 incœperunt in Urbe *Congregationes de auxiliis*, in quibus ab utraque parte disputatum est usque ad

---

15ª. Deus et voluntas impii mutuo et simul se determinant in justificatione.

Patet illas propositiones nunc libere defendi posse ab auctoribus; utiles sunt cognitu illi qui de origine celebris controversiæ rectam sibi vult notionem acquirere.

(1) Idem fuit spiritualis director S Theresiæ ab anno 1562 ad 1582, quo anno mortua est S. Theresia.

(2) Ultima editio facta est Parisiis, 1876: hac utimur.

annum 1607. Summus Pontifex de ipsa doctrina nihil definivit nec pronuntiavit, prohibuit vero *ne quis partem suæ oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret* (1).

Amplissimam et valde extensam esse materiam, numerosas et diversas quæstiones, circa quas versabatur controversia, elucet ex solo titulo libri Molinæ et latet neminem qui vel parum versatur in theologica scientia; cui etiam innotescit solutionis difficultas, quia agitur de objecto altissimæ metaphysicæ. In præsenti nostra dissertatiuncula inquiremus tantum de ipsa cooperatione Dei in operibus creaturarum tum in ordine naturali, tum etiam, quoad aliquid, in ordine supernaturali. Scopus est non quidem quæstionem dirimere, sed exponere quid de ea docuerint ipse S. Thomas et Molina: dixi: *ipse S. Thomas:* quia non agemus de conclusionibus quas quidam interpretes *deduxerint* ex S. Doctoris sententia.

I

De S. Thomæ sententia.

A. De cooperatione Dei in ordine naturali.

1. In omni *operante* creato operatur Deus, uti suprà, p. 14, vidimus, quatuor modis; sed hic ante omnia consideramus tertium modum qui consistit in hoc quod Deus *movet* creaturam *ad agendum* seu *applicat* illam ad *ipsam actionem*.

a/ In *Summa theologica,* I, Q. CV, a. 5, docet S. Thomas Deum operari in omni operante creato quatenus Deus *movet* (2) ad agendum, quasi *applicando* formas et virtutes

(1) Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* Freiburg i. Br. 1908, n. 1090.

(2) Ut perspiciamus qualis sit significatio vocabuli *movere* apud S. Thomam, consideremus: « Movere nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum ». I, Q. II, a. 3. — « Oportet ut id quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid quod est in actu; et hoc est

rerum ad operationem, sicut artifex applicat securim ad scindendum (1).

« Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, *non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo*... Non solum autem a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actus intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo : uno modo inquantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit; alio modo inquantum ab ipso *movetur ad agendum* » I-II, Q. CIX, a. 1. Cfr., *l. c.*, a. 9.

b/ Præcipuus locus est Q. III, *De Potentia*, a. 7, cujus conclusio est : « Sic ergo Deus est causa *actionis* cujuslibet inquantum *dat* virtutem agendi, et inquantum *conservat* eam, et inquantum APPLICAT ACTIONI, et inquantum ejus *virtute* omnis alia virtus agit ». Notemus quod in corpore articuli S. Thomas explicite docet hoc, quod dicitur *applicare actioni*, esse *aliud* ac dare et conservare virtutem agendi : « Sed quia nulla res *per seipsam movet* vel *agit*, nisi sit movens non motum, *tertio* modo (duo priores sunt a/ *dare*, b/ *conservare* virtutem operativam) dicitur una res esse *causa actionis* alterius inquantum *movet ad agendum : in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ*, sed APPLICATIO *virtutis* AD ACTIONEM ». Tandem hæc applicatio ad agendum recipitur in ipsa *causa* secunda (non in effectu) : « Virtus naturalis, quæ est in rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed *id quod a Deo fit* in re naturali, *quo actualiter agat*, est ut *intentio sola* habens esse quoddam *incompletum* ». l. c., ad 3 (2).

c/ « Necesse est quod omnia agentia per quæ Deus ordi-

---

movere ». I-II, Q. IX, a. 1. — « Movere potentias animæ ad suos actus est applicare eas ad operationem ». Ibid., Q. XVI, a. 1. Cf. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*, Parisiis, 1886, p. 13.

(1) Cf. DUMMERMUTH, *o. c.*, p. 60; ZIGLIARA, *o. c.*, p. 509, n. VI.

(2) Hoc opus *De Potentia* a S. Thoma scriptum est, ut videtur, infra annos 1269-1271, consequenter post Primam partem Summæ theologicæ. Cf. DE GROOT, *Het leven van den H. Thomas*, Utrecht, 1907, p. 129, 197. Quod si ita est, non in articulo citato ex *Summa* retractavit S. Thomas quæ habentur in opere *De Potentia*, sed in hoc opere magis enucleate sententiam exposuit.

nem suæ gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant. *Agere* igitur cujuslibet ipsorum a Deo *causatur, sicut* et *motus mobilis a motione moventis* ». *Compendium theologiæ,* c. CXXX (1).

Præ aliis notandum est a S. Thoma doceri operativum creaturæ facultatem *applicari* a Deo *ad agendum* et proinde Dei influxum cadere in *ipsum operantem*, ut sic, et terminari ad ipsum *operari* seu *agere*.

2. Hæc applicatio ad agendum est, in creatura, aliqua *motio* a Deo ipsi operativæ facultati *immissa,* qua hæc *exercet suum agere* seu effundit suam operationem.

« *Id* quod a Deo *fit* in re naturali, *quo* actualiter agat, est ut intentio sola, *habens esse quoddam incompletum*... Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens... ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa *permanens,* non autem *vis* qua agit ad esse ut *instrumentum primæ causæ* .. nec iterum virtuti naturali conferri potuit *ut moveret se ipsam*... unde sicut patet quod instrumento artificis conferri non oportuit quod operaretur *absque motu artis;* ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur *absque operatione divina* ». *De Potentia,* Q. III, a. 7, ad 3.

Hæc operatio divina, prout recipitur in creatura, est ipsa *motio* et ad hanc creatura mere passive se habet:

« In operatione qua Deus operatur *movendo* naturam, *non operatur natura* ». *Ibid.*, ad 2.

Ideo creaturæ operatio est *tota* a Deo et etiam *tota* a creatura, tamquam a causis efficientibus *subordinatis:*

« Non sic *idem effectus* causæ naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim a naturali agente fiat, sed *totus* ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti totus ». *Summa contra Gentiles*, L. III, c. 70.

---

(1) Hoc opusculum est inter ultima scripta S. Thomæ; cf. De Groot, *o. c.*, p. 352.

Ille influxus a Deo in causa secunda receptus, quo causa secunda *applicatur* ad *agendum*, recte vocatur *præmotio physica,* licet S. Thomas hac denominatione non utatur : dicitur *physica,* quia est aliqua realis entitas recepta in ipsa facultate ; dicitur *motio,* quia præcise est applicatio virtutis activæ ad agendum ; quia autem hæc motio est *natura prior* ipsi operationi ad quam terminatur, ideo dicitur : *præmotio.*

3. Hucusque S. Thomam audivimus docentem de cujuslibet creaturæ operatione ; nunc de ipsa *voluntatis* operatione est audiendus de qua specialis est difficultas.

a/ In *voluntate duplex motionis genus* est agnoscendum (1) : *unum* quod est *ab objecto*, nempe *a bono*, quod apprehendit intellectus : bonum apprehensum eatenus movet quatenus *allicit* appetitum, sed non *physice* influit, nec *efficienter* producit *actionem* voluntatis, seu *exercitium* actus ; *alterum* genus est a *causa efficiente,* nempe ab eo qui *physice* et interius *inclinat* voluntatem, seu exercitium actus producit.

« Voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter : uno modo sicut *ab objecto* suo, sicut voluntas immutatur ab appetibili... Alio modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo *per modum causæ efficientis* ». *De veritate,* Q. XXII, a. 9.

« Voluntas... a duobus moveri potest : uno modo *ab objecto,* sicut dicitur quod appetibile apprehensum movet appetitum ; alio modo, ab eo quod *interius inclinat* voluntatem ad volendum ; hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas vel Deus (2) ». I-II, Q. LXXX, a. 1.

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ,* in *Collat. Brug.*, t. V, p. 587 ; Del Prado, *De gratia et libero arbitrio,* Friburgi Helvet, 1907, t. I, p. XVIII, t. II, p. 143 ss., t. III, p. 13, 98 ss. : in hoc nimis verboso opere multa scitu utilia inveniuntur. Longe tamen sumus ab admittenda omni interpretatione quam de mente S. Thomæ tradit cl. A. Displicet etiam loquendi modus quo ironice nonnunquam, imo et injuriose, impugnat adversarios.

(2) Interna inclinatio voluntatis est *et* a voluntate, ut a causa secunda, *et* a Deo, ut a causa prima. Nam « motus voluntatis directe procedit a voluntate et a Deo qui est causa voluntatis, qui *solus* in voluntate operatur et voluntatem *inclinare* potest in quodcumque voluerit », *De Malo,* Q. III, a. 3. Cf. *S. Thomas,* I, Q. CV, a. 4, Q. CVI, a. 2.

Illud duplex motionis genus ulterius declaratur et ostenditur quomodo unum sit quoad *specificationem* actus, alterum quoad *exercitium* ejusdem:

« In tantum aliquid indiget moveri ab aliquo, in quantum est in potentia ad plura; oportet enim ut id quod est in potentia reducatur in actum per aliquid quod est in actu; et hoc est moveri. Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur esse in potentia ad diversa: uno modo quantum ad agere vel non agere; alio modo quantum ad agere hoc vel illud: sicut visus quandoque videt actu, et quandoque non videt; et quandoque videt album et quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente quantum ad duo; scilicet quantum ad *exercitium* vel usum actus, et quantum ad determinationem (h. e. specificationem) actus; quorum primum est ex parte *subjecti,* quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens; aliud autem est ex parte *objecti,* secundum quod *specificatur* actus. I-II, Q. IX, a. 1.

b/ De motione, quoad ipsum *exercitium* actus, loquens, docet S. Thomas quod voluntas, sicut omnis operativa facultas creata, *quando incipit agere,* debet *applicari* ad agendum, et quidem ab *ipso Deo.*

« Eo modo quo movetur quantum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Omne enim quod quandoque est agens in actu, et quandoque in potentia, indiget movere ab aliquo movente. Manifestum est autem quod voluntas incipit velle aliquid cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem, sicut dictum est (art. præc.), ipsa movet seipsam inquantum per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit; et per talem cogitationem pervenit ad hoc quod potest sanari per medicum, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inceperit velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita. Non autem est pro-

cedere in infinitum. Unde necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat *ex instinctu* alicujus *exterioris* moventis ». *Ibid.*, a. 4.

« Quod motus voluntarius hominis sit ab aliquo principio *extrinseco* quod non est causa voluntatis, est impossibile. Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quam *Deus*. Et hoc patet dupliciter. Primo quidem ex hoc quod voluntas est potentia animæ rationalis, quæ a solo Deo causatur per creationem.... Secundo vero ex hoc quod voluntas habet ordinem ad universale bonum; unde nihil aliud potest esse voluntatis causa, nisi ipse Deus qui est universale bonum. Omne autem aliud bonum per participationem dicitur, et est quoddam particulare bonum; particularis autem causa non dat inclinationem universalem; unde nec materia prima, quæ est in potentia ad omnes formas, potest causari ab aliquo particulari agente ». *Ibid.*, a. 9.

c/ Quoad *exercitium* actus voluntatis sedulo est distinguendus duplex actus: *unus*, quo voluntas *incipit* agere, transeundo de potentia agendi ad ipsum agere; *alter*, quo voluntas jam actu volendo finem, *eligit*, h. e. vult ea quæ sunt ad finem. De singulis quædam summi momenti perpendenda occurrunt.

α/ Actus quo voluntas incipit agere, nempe quoties in vita transit de non volendo ad volendum, est *amor*: « primus motus voluntatis et cujuslibet appetitivæ virtutis est amor » (1) et hic motus est prima et communis radix omnium appetitivarum passionum (2). — Ille primus actus voluntatis est *naturalis*, non liber ea libertate quæ dicitur libertas indifferentiæ (3); ille actus etiam vocatur *voluntas ut natura* (4).

Ille actus *specificatur* ab objecto, nempe a bono quod

---

(1) S. Thomas, I, Q. XX, a. 1; cf. I-II, Q. XXVI, a. 1.

(2) Cf. Id., *ibid.*, Q. XXVI et ss.; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 384.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, *Collat. Brug.*, t. V, p. 373; De Jaegher, *o. c.*, n. 452 ss.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 409, ubi citatur textus S. Thomæ, in III, Dist. XVII, Q. I, a. 1, q. 3 ad 1.

apprehenditur ab intellectu; ille actus *ad exercitium reducitur* ab ipso Deo, nempe per præmotionem physicam qua voluntas applicatur ad agendum: sub hac motione voluntas est mota a Deo, ut clare docet S. Thomas in textibus modò citatis.

6/ Quando vero voluntas actu amat bonum, ut finem, illo naturali actu, quem descripsimus, tunc, mediante intellectus consilio, *eligit:* « *eligere* est unum recipere, alio recusato » (1). Inde « electio non est de fine sed de his quæ sunt ad finem » (2). In hoc actu electionis consistit proprie libertas indifferentiæ: « Dicendum quod proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere, et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet » (3).

Specificatio electionis dependet ab intellectu, nempe a *consilio*, a quo ponitur ultimum judicium practicum; sed ipsa voluntas potestatem habet in ferendo ultimo judicio practico (4). Summopere autem hîc est notandum quod ipsa electio, nempe determinatio ad unum præ alio volendum, est libera, non necessaria, et proinde nequit electio determinari ab alio quam ab ipsa voluntate; præterea inter *objecta,* quæ sunt bona particularia, et circa quæ proinde eligere potest voluntas, est etiam ipsum *velle* voluntatis: potest nempe voluntas *eligere* non ulterius *agere* circa aliquid (5). Audiamus S. Thomam:

« Homo non ex necessitate eligit; et hoc ideo quia quod possibile est non esse, non necesse est esse... Quidquid ratio

(1) S. Thomas, I, Q. LXXXIII, a. 3.

(2) Id., *o. c.*, Q. LXXXII, a. 1, ad 3. Cf. I-II, Q. XIII, a. 3.

(3) Id., I, Q. LXXXIII, a. 3. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 83.

(4) De consilio, cf. S. Thomas, I-II, Q. XIV.

(5) Non dicimus quod voluntas potest *agere* vel *non agere,* sed dicimus quod voluntas potest *eligere* (et hoc est voluntatis actio) ulterius non velle, vel non cogitare circa aliquid. Ideo omnis *omissio* peccaminosa radicaliter consistit in actu positivo. Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis,* Romæ, 1894, p. 18.

potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. *Potest* autem *ratio apprehendere ut bonum,* non solùm hoc quod est velle aut agere, sed hoc etiam quod est non velle et non agere. Et rursum in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicujus, et defectum alicujus boni quod habet rationem mali; et secundum hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere ut fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali aut alicujus defectus; et ideo ex necessitate beatitudinem homo vult... Electio autem cum non sit de fine sed de his quæ sunt ad finem, ut jam dictum est, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit ». I-II, Q. XIV, a. 6. (1)

Exercitium vero ipsius *actus electionis* est *efficienter* ab *ipsa voluntate,* non immediate a Deo movente physice voluntatem: sed voluntas, physice et immediate *mota* a Deo ad actum, quo vult finem, uti suprà audivimus, potest tunc ipsa sese physice determinare ad volendum ea quæ sunt ad finem, seu ad *eligendum.* Iterum S. Thomæ verba alia perpendamus:

« *Utrum voluntas moveat seipsam.*

... Intellectus per hoc quod cognoscit principium, *reducit seipsum de potentia in actum,* quantum ad cognitionem conclusionum; et hoc modo movet seipsum; et similiter voluntas *per hoc quod vult finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem* ». I-II, Q. IX, a. 3.

« Voluntas non secundum idem movet et movetur; unde nec secundum idem est in actu et in potentia; sed in quantum actu vult finem, *reducit se de potentia in actum* respectu eorum quæ sunt ad finem, *ut* scilicet *actu* ea *velit* ». *Ibid.*, ad 1.

« Non eodem modo voluntas movetur ab intellectu et a seipsa; sed ab intellectu quidem movetur secundum rationem *objecti;* a seipso vero quantum ad *exercitium actus* secundum rationem finis ». *Ibid.*, ad 3.

« Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor

(1) Idem docet S. Thomas, I-II, Q. X, a. 2, exponens non necessario moveri voluntatem ab *objecto* quod est *particulare* bonum.

ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem (h. e. mediante intellectus consilio) determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens. — Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam. *O. c.*, Q. X, a. 6, ad 3 (1).

Notemus bene in his textibus agi de motione voluntatis quoad *exercitium* actus *electionis* et audiamus Cajetanum interpretantem S. Thomæ sententiam I, Q. LX, a. 2: « Dilectio *naturalis* ex parte *objecti* est causa finalis *electivæ*, quia propter naturaliter dilectum diligimus alia. Ex parte vero actus (h. e. electionis) est causa per modum *efficientis*, sicut cognitio principii est causa efficiens cognitionis conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis *facit* se volentem alia, facit autem libere utendo volitione naturali ad causandam dilectionem electivam. Unde non adimitur libertas ex concursu hoc, sicut nec ex concursu alicujus habitus ad electionem » (2).

Tandem quum docuerat S. Thomas voluntatem moveri physice a Deo tamquam ab exteriori principio movente, inquirit explicite utrum a Deo moveatur *de necessitate:* clarissime exponit cur *non de necessitate* moveatur ad unum quando *eligit*, et e contrario de necessitate moveatur ad ea ad quæ *naturaliter* movetur, h. e. quando voluntas *ut natura* vult finem. En verba:

« Ad Providentiam divinam non pertinet naturam corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad

(1) Hoc infrà explicabitur.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 372.

unum (1), sed indifferenter se habens ad multa (2); sic Deus ipsam movet, quod *non ex necessitate ad unum determinat,* sed remanet ejus motus *contingens,* et non necessarius, *nisi in his ad quæ naturaliter movetur* ». I-II, Q. X, a. 4 (3).

Conclusio hîc occurrit necessaria : cum doctrina S. Thomæ incompossibilis est sententia asserens physice a Deo prædeterminari ad unum voluntatem in ipso actu *eligendi.*

B. De cooperatione Dei in ordine supernaturali.

De eo quod theologi nunc vocant *gratiam actualem* parum loquitur S. Thomas : ejusdem asserit *necessitatem :* a/ ut homo adultus sese præparet ad gratiam sanctificantem recipiendam : tunc enim debet homo converti ad Deum tamquam ad *specialem finem,* h. e. ad finem *supernaturalem :* hæc autem conversio non fit « nisi per auxilium Dei interius moventis ». I-II, Q. CIX, a. 6 (4); b/ ut homo, jam in gratia constitutus, valeat vitare omnia peccata : indiget homo gratia actuali ut dirigatur, protegatur et moveatur propter carnis infirmitatem et ignorantiam in intellectu : *ibid.,* a. 9 ; c/ ut justus perseveret in justitia ; *ibid.,* a. 10.

De *essentia* ejusdem gratiæ docet S. Thomas hanc consistere in aliquo mentis nostræ motu interiori ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum.

« Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur.

---

(1) Bene notemus non determinari voluntatem ad unum per aliquam formam ipsi impressam, sicut intellectus determinatur ad unum per speciem ipsi impressam.

(2) Nempe ad omnia bona apprehensa ut *particularia,* ut suprà vidimus.

(3) Hæc scripsit S. Thomas postquam in I P. Summæ egerat de scientia et de providentia Dei. — Etiam notemus hæc S. Thomæ verba : « Homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excluditur quin moveat seipsum per liberum arbitrium, et *ideo* per suum actum *meretur* vel *demeretur* apud Deum ». I-II, Q. XXI, a. 4, ad 2. Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 97, 513.

(4) Cf. *o. c.,* Q. CXII, a. 2.

Uno modo, inquantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas (1), sed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto est motus... Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animæ infunditur ». I-II, Q. CX, a. 2 (2).

Recte proinde, ut videtur, sententia S. Thomæ explicatur dicendo quod sicut in ordine naturali præmotionem physicam admittit qua creatura applicatur ad agendum, quotiescumque a non agendo fit actu agens, ita in ordine supernaturali admittit præmotionem physicam supernaturalem qua homo (vel angelus) prædeterminatur ad aliquid cognoscendum vel volendum: actus illi cognoscitivi vel volitivi, qui sunt termini immediati prædictæ præmotionis, sunt actus illi *indeliberati*, de quibus loquuntur theologi. Secundum hoc intelligitur id quod S. Thomas habet: « Interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam (3).

S. Thomas distinguit motionem internam, qua Deus movet ad volendum vel agendum, in *operantem* et *cooperantem:* « gratia operans et cooperans est *eadem* gratia, sed distinguitur *secundum diversos* effectus »: (4) ut videtur, gratia dicitur *operans* quatenus producit primum voluntatis motum ad bonum: quo in motu voluntas est mere *mota*, et non se movens; dicitur *cooperans* quatenus voluntas, consentiendo huic motui, *eligit* bonum: qua in electione voluntas non est tantum mota sed *et movens seipsam* (5).

---

(1) Quidam theologi, non immerito, ut videtur, censent hanc motionem, quam describit S. Thomas, non esse quidem proprie qualitatem, sed tamen pertinere *reductive* ad genus qualitatis.

(2) Cf. *De veritate*, Q. XXIV, a. 5; *Quodlibetum I*, Q. IV, a. 7.

(3) I-II, Q. X, a. 6, ad 3: v. suprà, p. 43.

(4) *O. c.*, Q. XI. a. 2, ad 4.

(5) Cf. S. Thomas, *l. c.*, corp. art.; Cajetanus, in h. l. S. Thomas

II

De Molinæ sententia (1).

A. De cooperatione Dei in ordine naturali.

1. Molina omnino negat quod Deus *in* CAUSAM *secundam*, prout hæc est *causa*, agit, *applicando* ipsam ad suam operationem, et tenet Deum tantum in *effectu* h. e., in *operatione*, quatenus jam *egressa* e causa secunda, concurrere : in hac sententia evidenter discedit a S. Thoma.

En verba Molinæ, in art. 13, quæst. XIV, disp. 26 :

« Divus Thomas, I, Q. CV, a. 5 docet Deum duplici ratione dici operari cum causis secundis. In primis, quia virtutes illis tribuit ad operandum, easque actu conservat... Deinde quia ita eas *ad agendum movet*, ut quodammodo formas et virtutes eorum *applicet ad operationem*. Duo autem sunt quæ mihi difficultatem pariunt circa doctrinam hanc D. Thomæ. Primum est quod non videam quidnam sit motus ille et

---

gratiam etiam *sanctificantem* distinguit in operantem et cooperantem, non quod agnoscat duas gratias entitative distinctas, sed quatenus diversi sunt effectus unius ejusdemque gratiæ sanctificantis. S. Thomas non explicite loquitur de divisione gratiæ in *excitantem* et *adjuvantem ;* distinctio quam exponit inter *prævenientem* et *subsequentem* (I-II, Q. CXI, a. 3) aliter accipitur ab ipso ac a modernis auctoribus et iterum respicit varios *effectus* gratiæ, non ipsam entitatem ejus.

(1) Molinæ opus « Concordia » compositum fuit tamquam commentarius in quosdam articulos I P^is^ Summæ theologicæ S. Thomæ, scilicet : in art. 8 quæst. XIV : disputatio 1 ; in art. 13 ejusdem quæst.: disputationes 53; in art. 6 quæst. XIX : disputationes 3; in quæst. XXII : disputationes 2; in art. 1, 2 et 3 quæst. XXIII : disputationes 3; in art. 4 et 5 ejusdem quæst.: disputationes 4.

De *concursu* Dei cum causis secundis agit ex professo Molina in commentario supra art. 13, quæst. XIV, a disputatione 25 ad 35 : hæc autem pars sic subdividitur : 1/ de concursu Dei cum *omnibus* causis secundis ; 2/ de concursu Dei cum *libero arbitrio* ad actiones *naturales* (disp. 29-30); 3/ de hoc quod Deus non est causa nostrorum *peccatorum* (disp. 31-33), 4/ de ipsa contingentia rerum (disp. 34-35).

De *auxiliis gratiæ* deinde agit Molina a disp. 36 ad 46.

De *scientia* Dei expositio habetur a disp. 48 ad 53.

applicatio in causis secundis... Secundum quod mihi difficultatem parit est quia, juxta hanc divi Thomæ doctrinam, Deus non concurrit immediate immediatione suppositi ad actiones et effectus causarum secundarum... (1). — Dicendum itaque est Deum.... concurrere cum causis secundis... ita ut quemadmodum causa secunda immediate elicit suam operationem et per eam terminum seu effectum producit; sic Deus concursu quodam generali immediate influat cum ea in eamdem *operationem*, et per operationem seu actionem terminum illius atque effectum producat (2). Quo fit ut concursus Dei generalis *non* sit influxus Dei in *causam* secundam, *quasi illa prius eo mota agat* (3)... »

Et in fine disputationis sententiam suam explicat celebri exemplo: « At cum dicimus, neque Deum per concursum universalem, neque causas secundas esse integras, sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate *causæ*, ut vocant, non de partialitate effectus: totus quippe *effectus* et a Deo est, et a causis secundis; sed neque a Deo neque a causis secundis ut a tota causa, sed ut a parte causæ, quæ simul exigit concursum et influxum alterius: *non secus ac cum duo trahunt navim totus motus* (h. e. effectus productus) *proficiscitur ab unoquoque trahentium*, sed non tamquam a tota causa motus, siquidem quivis eorum *simul efficit cum altero* omnes ac singulas partes motus (4)... Ex dictis intelligetur, quando causæ subordinatæ sunt inter se... *necesse non esse ut superior* in eo ordine semper *moveat* inferiorem, *etiamsi essentialiter subordinatæ sint inter se*... sed satis esse si immediate influant *in effectum* ».

2. Proinde rejicit omnino præmotionem illam physicam qua ad ipsum *exercitium actus* applicatur causa secunda, et consequenter negat causam secundam, qua

---

(1) Conabimur illas objectiones refutare in nostris responsis sequentibus.

(2) Iterum notemus non a nobis negari influxum immediatum Dei in *effectum*, sed etiam asseri alium Dei influxum, nempe in ipsam *causam*, qua talem.

(3) Eadem repetit MOLINA, *o. c.*, disp. XXIX.

(4) In opusculo « *Contra errores Græcorum* », cap. XXII, S. Thomas asserit quod *nequit dici* creaturam cooperari cum Creatore *eo modo* quo duo simul portant aliquod pondus vel *quo plures simul trahunt navim*.

est causa, dependere in agendo a Deo vel illi subordinari et consequenter statuit concursum Dei cum creatura esse *mere simultaneum:* « Dicendum est *non prius* (nec naturæ, nec temporis prioritate, ut ex contextu patet) Deum concurrere concursu universali ad effectus causarum secundarum quam causas secundas, aut e contrario, neque prius existere unum influxum quam alium; sed utrumque esse *immediatum* in *actionem* et *effectum* producendum, atque ad se invicem dependere ut existant ». *O. c.*, disp. 30, in fine.

3. De ipsa *voluntate.* Licet Molina loquatur de exercitio actus et de ejusdem specificatione (1), non tamen eodem sensu hanc distinctionem accipit ac S. Thomas: etenim secundum S. Thomam, uti suprà, p. 41 vidimus, actus in quo proprie habetur libertas indifferentiæ est *electio:* electio autem est actio voluntatis: et non habetur libertas actualiter exercita nisi in ipso *actu* eligendi. E contrario, Molina censet voluntatem in hoc esse liberam quod possit simpliciter *agere* vel *non agere* (2).

Sicut circa omnem creaturæ operationem, ita etiam circa voluntatis operationem censet Molina non cooperari Deum in voluntate *operante*, qua tali:

« Concursus generalis Dei cum causa operante per actionem immanentem, ut cum intellectu ad intellectionem, et voluntate ad appetitionem, non est influxus Dei *in causam,* ea ratione qua *agens* est, quasi eo prius mota et excitata, agat; sed cum causa, ea ratione qua agens est, *in ipsammet* ea ratione qua *patiens* est, atque in se suscipit effectum ab eadem causa, atque a Deo, *partiali* influxu utriusque *simul* productum ». *O. c.*, disp. 29, p. 171 s.

Quoad cooperationem Dei in voluntatem, nullam

---

(1) *O. c.*, disp. 2, p. 11; cf. in art. 4 et 5 quæst. XXIII, disp. 1, membr. 7, p. 471.

(2) Inde non potest absque distinctione et explicatione admitti Molinæ definitio: « agens liberum dicitur quod, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere et non agere, aut ita agere unum ut contrarium etiam agere possit ». *Ibid.*, p. 10.

etiam differentiam agnoscit Molina inter actum quo voluntas *ut natura* agit et actum quo agit *ut ratio*, inter actum, quo vult finem, et actum, sc. electionem, quo vult ea quæ sunt ad finem; sed omnes actus censet æqualiter, quoad exercitium, effici a voluntate, sese determinante ad agendum, quin *physice* a Deo *applicetur* ad agendum. Qua in sententia etiam manifeste discedit a S. Thoma (1).

B. De cooperatione Dei in ordine supernaturali.

Generalem quamdam differentiam inter concursum Dei in ordine naturali et Ejusdem concursum in ordine supernaturali indicat Molina his verbis:

« Dicendum (est) concursum Dei *particularem* (h. e. in ordine supernaturali), gratiamque prævenientem, semper vel tempore vel natura *antecedere* influxum liberi arbitrii ad actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum facientem disponitur, tanquam causam principiumque efficiens in liberum arbitrium immissum, quo mediante Deus ulterius una cum libero influxu ejusdem arbitrii in hujusmodi operationes supernaturales influit. At vero cum Deus per concursum *universalem* (h. e. in ordine naturali) et causa secunda immediate influant *in effectum* causæ secundæ, tanquam duæ partes unius integræ causæ, quarum neutra illis præcise influxibus singularibus influit in alteram, sed utraque immediate in effectum, fit ut neutra, illis præcise influxibus singularibus, *prius* altera concurrat ». *O. c.*, disp. 30, in fine (p. 178).

Igitur in ordine naturali nullus datur concursus vel cooperatio Dei *prior* natura ipsi operationi creaturæ; sed in ordine supernaturali datur talis cooperatio *prior*, nempe quatenus Deus *gratia præveniente* movet, *moraliter*, h. e. *alliciendo*, creaturam ad actum salutarem: in hoc ultimo puncto consentiunt omnes theologi catholici.

Si de *essentia* gratiæ actualis (nominatim præve-

(1) Cf. Molina, *o. c.*, in art. 13 quæst. XIV, disp. 27 ss., p. 158 ss.

nientis) inquiritur, censet Molina illam consistere in ipsis *actibus vitalibus,* tum intellectus, tum voluntatis (1). Non admittit Molina dari præmotionem physicam supernaturalem ad ipsos actus vitales, tum intellectus, tum voluntatis: præmotionem nempe qua ipse intellectus, vel ipsa voluntas, *supernaturaliter prædeterminatur* ad aliquid cognoscendum vel ad aliquid volendum, scilicet ad ipsos actus indeliberatos.

Nota. Hac Molinæ sententia considerata, exsurgit magna difficultas ad cognoscendum cur præcise illi actus sint *supernaturales*. Quum enim Molina rejiciat omnem Dei influxum in ipsam *causam*, ut *agentem*, jam non intelligitur quomodo actio, egrediens a causa secunda, possit esse ENTITATIVE supernaturalis. Et videtur Molinam necessitari ad admittendum actus quos vocat supernaturales, *non esse entitative* naturales : nam dicit :

« Illud est observandum, in actibus fidei, spei et charitatis supernaturalibus non dari aliquid re aut formaliter distinctum, quod tanquam pars actus, etiam metaphysica, dicatur ac sit influxus Dei: neque item ibi dari aliquid quod sit naturale et aliquid quod sit supernaturale, sed totum actum esse supernaturale, quoad genus et differentiam, tametsi genus, per accidens supernaturale, quia conjunctum in ea specie cum differentia speciei supernaturalis... Quare actio tota, ut præcise est a causis naturalibus, et ut sic a nobis consideratur, est influxus causarum naturalium; ut vero a Deo supernaturaliter influente, est influxus Dei, *solaque* proinde *consideratione nostra,* cum fundamento in re, distinguitur in ea actione influxus Dei ab influxu causarum secundarum... Hinc liquet Dei *influxum* in actum supernaturalem fidei aut in quemcumque alium, nostra sententia, non esse differentiam essentialem, distinctivam, vel intrinsecam actus supernaturalis a naturali de eodem objecto, sed supernaturalem *actum* habere suam propriam differentiam et essentialem... » *O. c.*, disp. 38, p. 215.

(1) Cf. *o. c.*, disp. 8, p. 35, et disp. 45, p. 256.

Si bene intelligo, hæc explicatio Molinæ ad hoc redit: actus non ideo est supernaturalis quia ab aliquo physico principio supernaturali simul ac a naturali nostra operandi facultate procedit, sed quia *ex genere suo* est diversus ab actu naturali correspondente: v. gr. actus fidei *naturalis,* ut est *fidei* actus, est genere diversus ab actu *supernaturali* fidei, etiam ut *fidei* est actus. Sed Dei influxus, qui dicitur supernaturalis, non est aliquid *physici*, intrinsece actum elevantis: nam ille Dei influxus, non realiter, sed tantum ratione, distinguitur ab ipso actu, quatenus hic actus *egreditur* ex nostra naturali facultate operandi: igitur ipsa *entitas* illius actus, ipsum *esse accidentale*, in quo consistit ille actus, non est *realitas supernaturalis:* est actio qua *aliter* agit creatura ac in ordine naturali, sed non est *actio immediate* a Deo *elevata* in sua entitate (1).

Hæc nobis *conclusio* videtur admittenda quod *radicalis oppositio* viget inter S. Thomam et Molinam in sententia de cooperatione Dei cum creaturarum operationibus, tum naturalibus, tum supernaturalibus.

J. Van der Meersch.

---

(1) Ex exposita Molinæ sententia, jam sequitur quod, quoad rem, non eadem est apud ipsum distinctio inter *operantem* et *cooperantem* gratiam actualem, licet, quoad modum loquendi, consentiat S. Thomæ. Cf. *o. c.*, disp. 42, p. 241 ss.

Ex S. Congr. de Prop. Fide

Facultas excipiendi confessiones durante itinere.

Rev^me^ Domine,

Procurator istius Congregationis ab Immaculato Mariæ Corde nuper petiit ut quidam ejusdem Iustituti alumni, mox *per Siberiam in Sinas* profecturi, possint durante itinere ad invicem confiteri. Porro hæc S. Congregatio, utens facultatibus sibi a SS^mo^ D. N. Pio PP. X tributis, per præsentes facultatem concedit ut prædicti missionarii, *dummodo legitime approbati,* possint perdurante itinere, alter alterius sacramentalem confessionem excipere. Sinas autem cum fuerint ingressi, viget in eorum favorem decretum in Collectanea S. hujus Congregationis relatum, vi cujus usquedum pervenerint ad missiones sibi respective assignatas, possunt non solum inter se confiteri, sed etiam confessiones audire sociorum itineris, quamvis adhuc non præstiterint præscriptum juramentum circa ritus Sinenses.

. . . . . .

Tibi denique fausta cuncta et felicia precor a Domino.
Romæ, die 30 aug. 1909.

Tuus, Rev^me^ Domine,
Addictissimus servus
Fr. H. M. Card. Gotti, *Præf.*
Aloysius Veccia, Secret.

Adnotationes.

Circa exercitium jurisdictionis sacramentalis *durante itinere* plura hisce ultimis annis lata sunt decreta, quibus derogatur normæ de necessitate approbationis ab Ordinario loci impetrandæ.

In specie a/ per decretum C. S. O., 4 Apr. 1900, concessum est « sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodò *a proprio Ordinario* confessiones excipiendi facultatem habeant, posse *in navi,* toto itinere durante, fidelium *secum navigantium* confessiones

excipere, quamvis forte, inter ipsum iter, transeundum vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis » (1).

b/ Decretum C. S. O., 23 Aug. 1905, jurisdictionis excercitium infra descriptos limites indulget iisdem sacerdotibus, sive approbati fuerint ab Ordinario proprio, ex cujus scil. diœcesi discesserint, sive ab Ordinario portus in quo navem conscenderint, sive etiam ab Ordinario portus cujuslibet intermedii (2).

c/ Vi decreti C. S. O. 12 Dec. 1906, possunt sacerdotes navigantes, durante itinere, confessiones excipere, quando navis consistit, non tantùm in navi, sed etiam *extra navim*, ipsis scil. obiter in terram descendentibus, modò nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facilè loci Ordinarius adiri nequeat; possunt autem confessiones excipere in ipsa navi fidelium secum navigantum, vel quavis causa navim ascendentium, extra vero navim, posita conditione invocata, etiam aliorum qualiumcumque (3).

d/ Tandem, die 4 Febr. 1907, a S. Congr. de Prop. Fide peculiaris concessio est facta in favorem sacerdotum, qui *ad Sinenses missiones destinati in littore Sinensi appellunt*: ipsos nempe, si « duo vel numero plures consociati ad littora Sinensia *appellunt*, *durante toto itinere terrestri aut fluviali*, usquedum pervenerint ad missionem sibi respective assignatam, dummodò ad sacramentales confessiones *fuerint legitimè approbati* (Regulares scil. a proprio saltem Superiore regulari, alii autem sacerdotes vel a proprio Ordinario ex cujus diœcesi discesserunt, vel ab Ordinario portus in quo

---

(1) *Collat. Brug.*, t. V, p. 636 s. In hoc mutata est disciplina inducta per decr. C. S. O. 17 Martii 1869, quatenus ad hujus decreti normam requirebatur approbatio Ordinarii loci unde navem solvebat sacerdos. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 602.

(2) Tenorem decreti cum subnexa interpretatione exhibent *Collat. Brug.*, t. XII, p. 307 ss.

(3) *Ibidem.*

navem conscenderunt, vel etiam ab Ordinario cujuslibet portus intermedii per quem in itinere transierunt), posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et fratrum laicorum cum ipsis iter agentium et etiam religiosarum sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad missiones destinatas, imo quoque vehicula aut cymbas ducentium vel sarcinas per iter ferentium vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum: non obstante Constitutione Benedicti XIV *Ex quo*, data die 5 Julii 1742, quæ vetat missionariis exercitium sacri ministerii ante emissum juramentum circa ritus Sinenses, aliisque quibuscumque non obstantibus » (1).

Porro hæc hucusque data decreta S. Sedis spectant, explicite saltem, solos sacerdotes *iter transmarinum* instituentes, vel *ex itinere maritimo Sinas appellentes* (aanlanden). Præsenti verò decreto indulgetur et declaratur

1° ut Missionarii alumni Congregationis ab Immaculato Mariæ corde, *per Siberiam in Sinas profecturi,* possint, *durante itinere hoc terrestri*, ad invicem confiteri, et alter alterum sacramentaliter absolvere, dummodò legitime approbati sint (2).

2° ut Sinas ingressi fruantur privilegio concesso per supra relatum decretum anni 1907: vi cujus, usquedum pervenerint ad suam respectivam missionem, possunt se mutuò absolvere, et confessiones excipere fidelium secum itinerantium, *licet juramentum circa ritus Sinenses nondum præstiterint.*

Circa quæ nota *primò* priorem facultatem restringi ad confessiones a missionariis *inter se* instituendas, exclusa facultate absolvendi alios in itinere socios: ad

(1) Cf. VERMEERSCH, *De Religiosis — Periodica*, III, 1907, p. 75 ss.

(2) Laudati missionarii, utpote ad Institutum non exemptum pertinentes, subsunt juri communi quoad confessionem sacramentalem, adeoque de regula generali indigent jurisdictione et approbatione Ordinarii loci, etiam pro mutua ad invicem confessione.

Hanc a S. Thoma admitti indubium videtur. Nam in Q. III *De Potentia*, a. 7, ad 3, dicit: « *Id* quod *a Deo* FIT in re naturali, *quo* actualiter agat, est ut *intentio sola* habens *esse quoddam incompletum* ». Ergo in ente creato quod jam habet suam naturalem operandi facul-

(1) Cf. VAN NOORT, *l. c.* et DURAND, *Les Etudes*, t. LXXXIX, p. 448 ss.

(2) Cf. GOUDIN, *Philosophia*, Coloniæ Agripinæ, 1693, t. IV, p. 448, 504; ZIGLIARA, *Summa philosophica*, 12ª Edit., Parisiis, 1900, p. 514; DE MUNNYNCK, in *Revue thomiste*, t. 12, 1904, p. 116.

tatem, quæ in ipso habet esse ratum et firmum, seu permanens, *fit aliquid* a Deo : en physicus influxus; id quod fit a Deo est id *quo* creatura actualiter *agit;* hæc entitas est ut *intentio sola*, h. e. nihil facit nisi *intendere* facultatem operativam, facit facultatem actu *tendere in objectum*, actu operari (1); hic autem influxus est *esse quoddam incompletum:* quia nec est facultas operativa, nec est ipsa operatio: secundum propriam rationem non pertinet ad aliquod genus accidentium; sed nihil aliud est quam *motio transiens* et *fluens*, qua educitur de potentia ipsum *agere*, et quæ est intermedia inter facultatem operativam et ipsam actionem, seu actum secundum.

2/ Hæc motio optime describitur et ejus nominis ratio bene traditur a Goudin : « Præmotio physica est influxus causæ primæ receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis *actualem efficacitatem inspirat*, quo eas movet et applicat... physice et active, interius inclinando, applicando, determinando (2), ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo : et ideo dicitur *motio physica*. Sed quia motio et applicatio virtutis activæ ad agendum est *prior natura* quam *ipsa actio*, sicut omnis via est prior suo termino et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur *prævia motio*, seu *præmotio* » (3).

---

(1) Videtur sic posse explicari mentem S. Thomæ, quia I-II, Q. XII, a. 1, dicit : « *intentio*, sicut ipsum nomen sonat, significat *in aliud tendere*. In aliquid autem tendit et actio moventis et motus mobilis; sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit, ab actione moventis procedit ». Alia tamen probabilis interpretatio traditur : cf. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*, Parisiis, 1886, p. 50.

(2) Non inconveniens est dicere hanc motionem *determinare :* tota quæstio est ad *quid* determinet. Postea agemus de præmotione in voluntate.

(3) *O. c.*, p. 449. Ex dictis satisfit, ut videtur, primæ difficultati Molinæ opponentis se non videre quidnam sit ille motus et applicatio in causis secundis, v. suprà, p. 46 s.: nam motionis necessitas demonstratur et ejus essentia sufficienter determinatur. Cf. DUMMERMUTH, *o. c.*, p. 49, n. 12.

3/ Ex dictis elucet jam quomodo Deus sit *totalis* causa actionis creaturæ, quatenus Deus formaliter *applicet* ad agendum seu ad ipsum *agere:* etenim creatura *recipit* ipsam applicationem ad agendum, et QUATENUS *recipit* præmotionem, EATENUS non ipsa agit (licet eodem instanti, quo movetur ad agendum, realiter agat). « In operatione qua Deus operatur *movendo* naturam, *non operatur natura* » (1). In alia responsione explicabimus qua ratione creatura in agendo sit *instrumentum* Dei.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Expone, addita probatione, quasnam species theologicas et morales contrahat delectatio morosa castitati opposita* (2).

R. Probabile saltem est delectationem morosam, — præter gravitatem et speciem moralem quam desumit tum ex parte subjecti qui delectatur, — tum ex parte objecti seu actus mali de quo delectatur, — non contrahere malitiam circumstantiarum actus cogitati, nisi præcise earum quas voluntas positive intendit (3).

Explicatur et probatur per partes :

I. Certum est delectationem morosam gravitatem et speciem desumere :

---

(1) S. THOMAS, *De Potentia*, Q. III, a. 7, ad 2.

(2) Quæstionem hanc et sequentem solvimus, præ oculis habendo delectationem morosam, gaudium et desiderium, quæ adversantur *virtuti castitatis*. Eadem, proportione servata, valent in quacumque materia.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 577. — Patet peccata hæc interna, sive delectationis morosæ, sive desiderii sive gaudii, specie differre a peccatis externis, quum profecto aliud sit fornicari *de facto* et fornicari *desiderare* etc. — Non raro tamen fiet hos actus internos numerice non distingui a peccato externe consummato, sed esse partes ipsius integrantes, ut si desiderio moraliter perduranti additur ipsa exsecutio externa, vel si ad actum externum satis proxime sequitur gaudium tanquam continuatio ejusdem interioris voluntatis malæ. Cfr. ILL. WAFFELAERT, *De Prud. Fort. et Temp.*, n. 200.

1/ ex parte **subjecti.** — Ita persona sacra non potest non contrahere, præter speciem contra castitatem, etiam speciem gravem sacrilegii: etsi enim vellet, expressa intentione, abstrahere ab hac sua qualitate, semper manebit ipsam *esse* personam sacram et tamen luxuriosis occupari, proindeque necessario adest luxuriosa tractatio personæ sacræ, id est sacrilegium.

2/ ex parte **objecti secundum substantiam considerati.** — Ita solutus qui morose delectatur de cogitata copula cum soluta, necessario incurrit, specie imperfecta quia actu interno, malitiam gravem fornicationis: hanc enim concupiscit amatque, si non ad exsequendum eam, saltem ad se delectandum in mente: concupiscere autem et amare quod malum est, est malum. — Estque hæc malitia fornicationis specifice alia ac illa quam quis contraheret puta ex delectatione morosa de copula sodomitica.

Ad num. 2/ refer casum illius qui v. g. visa muliere conjugata, jam expresse præscindens a circumstantiis personæ, inciperet morose delectari de cogitata copula cum muliere *in genere*, non vero præcise cum hac determinata; hoc enim casu mulier *hæc* tantummodo fuit occasio, et nulla ratione objectum delectationis aut circumstantia objecti.

II. Ast quæstio movetur quousque delectatio morosa contrahat malitiam **ex circumstantiis objecti** circa quod versatur delectatio morosa: puta ex adjunctis loci, temporis, qualitatis accidentalis personæ. Ita: solutus qui morose delectatur de cogitata copula cum tali persona determinata conjugata, vel sacra, vel in loco sacro, etc., an, præter malitiam simplicis fornicationis, necessario contrahit etiam speciem adulterii, sacrilegii, etc.? — Quæ quæstio sic solvenda videtur:

1/ Malitiam illam certo contrahit, si dictam circumstantiam *formaliter intendit*, seu, aliis verbis, si voluntas earum delectabilitate movetur, delectans nempe de copula cum tali persona *quia* conjugata, *quia* sacra, (puta

quia sic injuriam inferet ipsius marito cui infensus, quia damnum inferet religioni).

2/ Si vero illam circumstantiam *non formaliter intendit*, saltem probabile est (1) eum malitiam specialem non contrahere (2).

Ratio est: delectatio morosa est peccaminosa quia et quatenus opus cogitatum placet et delectat; jamvero in casu delectat quidem actus carnalis, sed nullomodo delectat quod persona sit conjugata, quod sit sacra, etc.; dicitur: nullomodo, neque *expresse,* nam supponitur homo non expresse intendere hanc circumstantiam; neque *interpretative,* seu actu exercito, nam non intendit exsequi ipsum opus de quo cogitat.

Et in hoc differt delectatio morosa tum ab ipsa exsecutione operis, tum a desiderio et gaudio: si quis enim actum carnalem cum persona sacra exsequitur, vel absolute desiderat, vel de eo olim habito gaudet, potest utique intentione sua *expressa* nolle intendere hanc circumstantiam quod sit sacra, attamen eam necessario

---

(1) Dicimus: saltem probabile est..., potius ob existentiam controversiæ apud antiquos et modum loquendi recentiorum. Sententiam in textu propositam, quam valde probabilem dicebat S. Alphonsus, tenent Lugo, Bonacina, aliique citati apud S. Alphonsum, l. 5, c. 1, dub. 2, art. 2, n. 15; imo Lessius, *de Just. et jure,* l. 4, c. 3, n. 123 et Sanchez, *Decal.*, l. 1, c. 2, n. 11, qui proinde immerito citantur pro sententia opposita apud Salmant, Tr. 20, c. 13, n. 30 ss. — Docent communiter moderni, saltem ut probabilem: Ill. Waffelaert, *o. c.*, n. 206, Lehmkuhl, I, 245. (Non placent quæ habet circa ipsam notionem delectationis morosæ n. 255, item de desiderio inefficaci nn. 244. 253); Noldin, *De sexto præcepto* (ed. 10), n. 62; Ballerini-Palmieri, n. 162; Genicot-Salsmans, I, n. 172. Oppositum tenuerunt Cajetanus, in 2-2, q. 154, a. 4, ad 2m; Sylvius, in 1-2 q. 74, a. 8, q. VII, concl. 2 et 3, Salmant., *l. c.*

(2) Hinc si persona sacra delectatione morosa occuparetur in materia luxuriæ, peccabit quidem sacrilegio ex parte subjecti, ut dictum est; non tamen, generatim, ex parte objecti aut circumstantiarum ejusdem. Dicitur: generatim; excipe enim casum, sane rarum, quo actus cogitatus placeret qua peccatum personæ sacræ; quo ergo casu ex duplici titulo adesset sacrilegium, etsi unum tantum peccatum. Vide infra, p. 85, cum *nota* (3).

intendit *interpretative:* etenim in exsecutione necessario conjunguntur malitia fornicationis et malitia sacrilegii, adeoque qui actum talem exsequitur vel illum desiderat vel de illo gaudet, necessario utramque malitiam admittit, in utramque, ipso opere exercito, consentit. Hoc non obtinet in delectatione morosa: etenim non intendit exsequi ipsum opus, nec olim factum iterum approbat, sed unice delectatur de actu quem et quatenus ipse eum sibi repræsentat: jamvero menti facile est diversas circumstantias distinguere, et ex iis talem vel talem tantum, sine aliis, sibi repræsentare, ita ut desit omnis affectus ad alias.

Nota. a/ In expositis agitur de delectatione morosa qualem eam definivimus apud *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 576 ss. — In praxi sæpius confunditur hæc cum variis plus minus connexis; sæpius revera additur desiderium vel gaudium, vel imo inchoata jam aut perfecta exsecutio operis: hoc autem casu jam contrahuntur species ex circumstantiis objecti, ut exponitur resp. ad qu. seq. — De malitia quæ forte addi potest ex effectu physico venereo ad talem actum internum consequente, vide *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 533 ss., 597 ss., 673 ss.

b/ In casu quo adest sola delectatio morosa, naturæ valde consonum est ut voluntas non feratur in quasdam circumstantias, puta quod mulier nupta sit, quod sacra, quod consanguinea, cum hæ potius aptæ sint ad retundendum quam ad excitandum appetitum (1).

IV

Q. *Expone, addita probatione, quasnam species theologicas et morales contrahant gaudium et desiderium castitati opposita* (2).

R. Est desiderium, sicut et gaudium, — in quantum

(1) Genicot-Salsmans, *l. c.*
(2) Recole notam (2), supra, p. 81.

sunt peccaminosa, — ejusdem gravitatis et speciei moralis ac ipsum opus externum quod concupiscitur vel de quo gaudium habetur, ideoque contrahit speciem tum a parte subjecti, — tum a parte objecti actus, — tum a variis circumstantiis eidem adnexis et sufficienter a mente apprehensis.

Explicatur et probatur per partes.

I. Desiderium et gaudium desumunt gravitatem et speciem moralem:

1/ ex parte **subjecti**; de quo valent dicta supra de delectatione morosa.

2/ ex parte **objecti secundum substantiam considerati.** Etenim qui desiderat actum vel de eo gaudet, voluntate sua fertur in hunc actum tanquam in objectum quod approbat; jamvero actus interni moralitatem suam desumunt ab objecto in quod tendunt (1).

3/ ex parte **circumstantiarum objecto adnexarum** et sufficienter a mente apprehensarum. Etenim qui desiderat actum determinatum committendum vel approbat denuo actum determinatum commissum, necessario voluntate sua fertur in ea omnia quæ novit cum existentia actus esse necessario connexa, ideoque ea necessario interpretative saltem intendit (2).

Hinc persona sacra quæ desiderio actus carnalis postea committendi occupatur, præter quam committit peccatum contra castitatem, etiam violat virtutem religionis, illudque ex duplici radice: ex parte subjecti: est enim persona sacra quæ luxuriosis occupatur seu quæ hic et nunc peccat contra castitatem; et ex parte circumstantiæ actus desiderati: voluntate enim sua fertur in actum carnalem committendum a persona sacra. Attamen in casu unicum esset sacrilegii peccatum, quum duplici quidem titulo peccet, sed tamen ex eodem virtutis motivo oriatur utraque deordinatio (3).

(1) Cf. Matth., V, 28.

(2) Vide supra, p. 83 s.

(3) Bene tamen fieri posset hanc duplicem malitiæ speciem separatim

Nota. Potest aliquis desiderare vel gaudio approbare peccatum committendum vel commissum sive *a seipso* sive *ab alio:* in priore casu aderit species violatæ obligationis *directæ* castitatis, qua nim. prohibemur ne ipsi violemus nec consequenter velimus violari per nosmet virtutem castitatis; in altero casu aderit species violatæ obligationis *indirectæ,* qua nim. prohibemur ne faciamus violari nec consequenter velimus violari per alios eamdem virtutem.

II. Dicta valent de desiderio et gaudio, **in quantum sunt peccaminosa.** Etenim

1/ dari potest **gaudium** in re venerea de se non pravum, ut si viduus vel conjux approbat denuo copulam in legitimo matrimonio habitam.

Intelligitur autem gaudium de sola complacentia voluntatis et operis ut præteriti, — hac enim sola ratione habetur approbatio licita actus liciti. — Hinc si quis opus præteritum, tunc quidem licitum, nunc vero illicitum, iterum sibi cogitatione qua præsens repræsentaret et de eo qua præsenti hic et nunc sibi delectaret, jam non gaudium, sed delectatio morosa, eaque prava haberetur.

2/ dari possunt **desideria conditionata** (quæ inefficacia dicuntur), quorum conditio adnexa de se, vel partim vel ex integro auferat malitiam desiderii. Ut si sponsi copulam futuram desiderant, vel si quis desiderat copulam cum tali persona sub conditione quod esset uxor ipsius; — quibus casibus malitia ex integro aufertur, quum voluntas jam non feratur in aliquid illicitum; item si quis desiderat copulam cum persona soluta nisi ipse esset matrimonio junctus; quo casu malitia partim

---

inveniri: ita persona non sacra desiderans peccatum carnale committendum ab aliis personis sacris, ipsa sacrilegii reatum incurrit ratione *objecti* desiderati; e contra persona sacra desiderio conditionato desiderans fornicari nisi esset persona sacra, sacrilegii reatum incurrit ratione *subjecti* desiderio suo hic et nunc contra castitatem peccantis. Cfr. SUAREZ, *De virt. et statu religionis,* t. 3, l. 9, c. 2, n. 2.

tantum aufertur: voluntate enim sua approbat peccatum luxuriæ, non vero peccatum adulterii (1).

Intelligitur autem iterum desiderium de sola tendentia voluntatis illudque in opus ut futurum, seclusa nim. omni delectatione morosa de actu cogitato ut præsenti. Non ergo licet sibi cogitare actum carnalem qui licitus esset sub conditione, et in delectationem præsentem ipsius consensum dare. Et hoc practice omnino præ oculis habendum: etenim valde obvie a desiderio tali conditionato transitus fit ad delectationem morosam de præsenti vel ad desiderium absolutum de futuro (2).

Nota. In præcedentibus dicimus: dari posse gaudium vel desideria *de se* non prava. Etenim per accidens ex multiplice capite adesse potest peccatum, puta: ob pravam intentionem per hos actus internos excitandi pollutionem aut commotionem veneream; — ob delectationem morosam superadditam et sæpe difficile discernibilem ab ipso gaudio vel desiderio, — ob pollutionem aut commotionem tanquam effectum consequentem; — ob consensum in hos effectus revera sequentes; — ob periculum omnium enumeratorum; — ob vanitatem et otiositatem actus, etc. (3).

---

(1) Sunt alia desideria conditionata quorum conditio nullatenus aufert malitiam, puta: vellem adulterari, si inscia uxore id facere possem.

(2) Hoc sensu dici potest desiderium conditionatum peccatum non esse, si conditio apposita omnem malitiam aufert ab objecto, et simul deest omnis pravus affectus pro præsenti. (Ita LEHMKUHL, I, n. 253).

(3) Juxta exposita dijudicabis moralitatem actus procantium vel sponsorum de futuro actu carnali in matrimonio habendo recogitantium illumque sub hac conditione desiderantium. Periculosa sane sunt tales actus interni, sed *de se* non sunt damnandi. Hinc quoad modum saltem loquendi minus probamus quod LEHMKUHL, *l. c.*, asserit: « grave peccatum est desiderium copulæ carnalis, quod aliquis fovet sub conditione: si hæc mulier ipsius uxor esset ». Interdum enim facile deerit affectus pro præsenti, ut si quis desiderat nuptias et actum carnalem cum tali persona, ex spe constituendi familiæ cœtum, ex spe sedandi concupiscentiam propriam et sic vitandi pericula peccandi, etc.

Scholion. Hac occasione ponunt AA. varias quæstiones plus minus similes aut connexas, puta :

1/ Utrum liceat approbare aut desiderare *merum effectum naturalem*, puta pollutionem sponte et involuntarie accidentem.

Resp. negative, si desideratur vel approbatur propter adnexam delectationem veneream ; *affirmative,* si propter finem quemdam honestum, ut est exoneratio naturæ (1).

2/ utrum liceat propter effectum bonum approbare aut desiderare *actum materialiter tantum malum.*

Resp. negative : ex effectu enim bono, opus pravum non fit bonum ; nec proinde voluntate approbari potest. — Licet tamen gaudere actum pravum habuisse effectum bonum, vel optare ut actus pravus, si fiat, bonum effectum habeat. Quæ simul enuntiantur trita expressione : detestata causa, licet gaudere de effectu.

A. Vander Heeren.

V

Q. *Exposez brièvement le rôle joué par saint Athanase dans la répression de l'arianisme* (2).

R. Saint Athanase le Grand (295-373) fut un adversaire déclaré de l'arianisme dès sa première apparition ; étant encore simple diacre il souscrivit la lettre encyclique dans laquelle son évêque saint Alexandre dénonçait les erreurs d'Arius ; plus tard il l'accompagna au concile de Nicée et s'y fit remarquer par sa logique ser-

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 597 ss.

(2) Sur l'arianisme avant le concile de Nicée, voir *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 662 et supra p. 22. Les ouvrages généraux que nous y avons indiqués, ont été également utilisés ici. Les principales sources à consulter sont les ouvrages de saint Athanase même (*P. G.* de Migne, t. XXV et XXVI), non seulement les ouvrages de polémique doctrinale, mais encore les opuscules de polémique personnelle et historiques. Pour la Bibliographie complète, voir Bardenhewer, *Patrologie* p. 227-229 ; signalons parmi les études récentes : les articles *Athanase* et *Arianisme* de Le Bachelet dans le *Dict. de Théol. cath.* et Cavallera, *Saint Athanase*, Paris, 1908.

rée contre les Ariens (1). A la mort de saint Alexandre, en 328, Athanase recueillit sa succession, et fut dès ce moment le chef incontesté et le porte-parole de l'orthodoxie, le défenseur incomparable de la foi de Nicée, tant par sa conduite héroïque comme patriarche que par sa polémique doctrinale.

I. Conduite de saint Athanase comme patriarche.

Promu à l'épiscopat, Athanase s'occupa d'abord de refaire la foi et la vie chrétienne de ses ouailles que les luttes précédentes avaient ébranlées; mais il ne put s'appliquer longtemps en paix à cette œuvre de restauration.

Les Eusébiens avaient en effet réussi, par l'entremise de Constantia, sœur de Constantin, à regagner la faveur impériale; rappelés de l'exil, ils entamèrent aussitôt la lutte contre les défenseurs de la foi de Nicée. Athanase devint le principal point de mire de leurs attaques haineuses. Eusèbe de Nicomédie voulut d'abord obtenir de lui la réintégration d'Arius dans l'Église d'Alexandrie. Comme le saint patriarche résistait obstinément, on s'adressa à l'empereur qui manda Arius à la cour. Par une confession habilement composée, ce dernier sut satisfaire le monarque. Athanase ne s'en contenta pas, et refusa de nouveau, même malgré la demande de l'empereur, de recevoir l'hérésiarque. Alors les Eusébiens jurèrent sa perte; après avoir vainement attaqué, de concert avec les Mélétiens, la validité de son élection, ils le harcelèrent longtemps par les accusations les plus perfides et réunirent contre lui les conciles de Césarée (334) et de Tyr (335). Saint Athanase ne voulut pas d'abord comparaître devant des juges si mal intentionnés, mais à Tyr il réfuta brillament les accusations portées contre lui. Il fut néanmoins déposé;

(1) Aucun document contemporain ne nous permet de dire, que saint Athanase a exercé une action prépondérante au concile, comme le prétendent ses panégyristes.

Constantin, voulant peut-être le soustraire à ses ennemis, l'envoya en exil à Trèves. Saint Athanase y fut bien accueilli par l'évêque Maximin et par Constantin le jeune, fils de l'empereur, et de loin il continua la direction de ses fidèles d'Alexandrie (1).

Après la mort de Constantin (22 mai 337), le saint patriarche put retourner dans sa patrie; mais la haine des Ariens ne se ralentit pas : Athanase à leurs yeux avait été justement déposé et ne pouvait sans nouvelle sentence être réintégré. Le nouvel empereur d'Orient, Constance (2), se rangea du côté arien et cette fois Athanase fut obligé de fuir devant les bandes armées, qui introduisirent de force dans son église épiscopale l'intrus arien Grégoire (3). Il se retira à Rome et réussit à s'y faire rendre justice; le pape Jules (341), puis le concile de Sardique (342-343) proclamèrent solennellement son innocence et rompirent ainsi définitivement avec l'épiscopat oriental, qui s'obstinait à refuser la révision du procès d'Athanase. Sous la pression des événements, Constance, poussé surtout par son frère Constant, empereur d'Occident, revint également à de meilleurs sentiments et rappela saint Athanase. Celui-ci jouit dès lors d'un calme relatif pendant une période de dix ans (347 à 356). Il en profita pour prendre des mesures énergiques contre les Ariens et leurs alliés les Mélétiens (4).

---

(1) Ce premier exil dans les Gaules dura du 11 juillet 335 au 23 nov. 337 : il eut un résultat providentiel, car Athanase déposa dans ces pays le germe de cette forte opposition à l'arianisme qui se manifestera bientôt.

(2) Constantin laissait l'empire à ses trois fils : à Constance revint l'Orient, à Constantin II la Gaule et l'Espagne avec l'Afrique, à Constant l'Italie et l'Illyrie.

(3) Athanase dénonça à ses collègues du monde entier ces violences anti-chrétiennes, dans son *Encyclica ad Episcopos*. Il demeura en exil depuis avril 339 jusqu'en octobre 346.

(4) Pendant cette période de tranquilité relative, Athanase composa ses opuscules de polémique doctrinale, ainsique l'*Apologie contre les ariens* (350) dans laquelle il réfute toutes les accusations personnelles dont les ariens l'avaient voulu charger à Tyr et à Sardique.

Après la mort de l'empereur d'Occident les difficultés recommencèrent. Constance se laissa de nouveau gagner par les Ariens : sous son influence le concile d'Arles (353) et celui de Milan (355) déposèrent derechef le patriarche alexandrin. Pour échapper à la force brutale, Athanase dut se retirer au désert. Mais s'il se cache, il n'entend ni se taire, ni renoncer aux devoirs de sa charge. Fidèlement transmis par des moines dévoués, ses écrits indiquent aux prêtres leur devoir et encouragent les chrétiens persécutés par l'évêque intrus, Georges de Cappadoce (1).

Le parti de l'opposition antinicéenne semblait définitivement vainqueur. Mais les éléments qui le composaient étaient au fond peu homogènes. Unis pour l'attaque, les antinicéens se dissocièrent dans le triomphe et formèrent bientôt trois groupes très divisés entre eux : les Ariens purs, les Sémiariens (groupe de Basile d'Ancyre) et les Acaciens, un tiers parti qui voulait éviter toute précision dans les formules de foi (2). Saint Athanase profita de la division de ses adversaires, et quand, après la mort de Constance, il fut rappelé par l'empereur Julien, il réunit aussitôt, en 362, le fameux concile d'Alexandrie, dont les décisions se firent remarquer par leur modération à l'égard des sémi-ariens (3).

---

(1) Le troisième exil dura du 9 février 356 au 21 février 362. Plusieurs des écrits de saint Athanase datent de ce temps : dans l'*Epistula ad episcopos Ægypti et Libyæ* (356-357) il met son clergé en garde contre les compromissions ; deux apologies (*Ad imperatorem Constantium*, 356 ; *Apologia de fuga*, 357) font connaître au monde la duplicité et les cruautés de ses ennemis ; son *Historia arianorum ad monachos* date également de cette époque.

(2) Cfr. Tixeront. *Hist. de dogmes*, t. II, p. 48 ss. G. Rasneur, *L'Homoiousianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie*, Rev. d'hist. eccl., t. IV, p. 189-206, 411-431.

(3) De ce concile il nous reste la lettre Synodale rédigée par saint Athanase pour l'Église d'Antioche, *(Tomus ad Antiochenos)* ; elle nous apprend que le concile décida de n'exiger des arianisants que la reconnaissance du concile de Nicée et le rejet de l'arianisme, et refusa de se

Athanase fut banni une quatrième fois par Julien, en octobre 362 (1); mais son exil ne dura que quelques mois, jusqu'à la mort de l'apostat (juin 363). Le nouvel empereur Jovien lui était favorable et lui demanda même un exposé de la foi orthodoxe. Mais Jovien mourut déjà en 364, et son successeur Valens, gagné à l'arianisme rigide, persécuta cruellement les orthodoxes et les sémi-ariens. Saint Athanase, malgré les réclamations tumultueuses de son peuple, se vit une cinquième et dernière fois condamné à l'exil. Il se tint pendant quatre mois caché dans le monument funéraire de son père, jusqu'à ce que Valens, craignant une sédition, lui permit en janvier 366, de rentrer dans sa ville épiscopale. Il y resta dorénavant jusqu'à sa mort (2 mai 373), consacrant le reste de sa vie à la restauration nicéenne. Nous le voyons encore tenir, en 368 ou 369, un synode dans lequel il rédige une lettre adressée aux évêques d'Afrique, l'*Epistola ad Afros*, pour les encourager à maintenir la foi de Nicée; plus tard il devint le fidèle conseiller de saint Basile, évêque de Césarée, et il indiqua au pape Damase les mesures à prendre contre l'évêque arien Auxence de Milan.

Saint Athanase si souvent battu, mais revenant toujours à la charge, mérita par son opiniâtre persévérance d'assister enfin aux débuts de la victoire définitive.

II. Polémique doctrinale.

Athanase n'a pas été poursuivi d'une haine si persévérante uniquement à cause de la haute dignité qu'il occupait dans l'église où l'arianisme était éclos; il était encore pour les Ariens de toute nuance un adversaire

---

prononcer entre ceux qui disaient μία ὑποστάσις et ceux qui disaient τρεῖς ὑποστάσεις en parlant de Dieu, puisque ce mot n'avait pas encore de sens déterminé et qu'il y avait accord sur le fond de la doctrine.

(1) Julien l'apostat n'avait rappelé les évêques exilés que pour augmenter le trouble dans l'Église, qu'il voulait détruire; voyant que les affaires prenaient une autre tournure, il se hâta de revenir sur sa première décision.

redoutable, qui à lui seul pouvait victorieusement réfuter toutes leurs attaques contre le dogme trinitaire.

Son ouvrage capital sur ces questions est le traité en trois livres contre les ariens *(Orationes I-III contra Arianos)*. Ce chef-d'œuvre de discussion date de la période 347-350. Outre un exposé de l'hérésie arienne et la réfutation de tous les arguments qu'elle invoquait, il contient une admirable dissertation « sur l'unité non pas simplement morale mais physique du Père et du Fils » (1).

Il faut signaler encore plusieurs dissertations particulières dans lesquelles saint Athanase reprend les idées déjà développées dans son ouvrage fondamental, en les adaptant aux circonstances du temps de la composition. Ces ouvrages nous montrent avec quelle attention Athanase suivait le mouvement des idées et comment il ne laissait sans défense appropriée aucun des points où appuyait l'attaque. Tels sont :

De sententia Dionysii (350-353), dont le titre grec dit suffisamment le contenu « De Denys, l'évêque d'Alexandrie, que son sentiment était, autant que celui du concile de Nicée, contraire à l'hérésie arienne, et que les ariens le calomnient qui le disent de leur avis ».

De decretis Nicenæ synodi qui établit : « Que le concile de Nicée, vu la malice des Eusébiens, a formulé comme il fallait et selon la piété ce qu'il a défini contre l'hérésie arienne ». Ce traité, qui date de la période 350-353, est la justification du « Consubstantiel » contre le reproche d'être nouveau et de n'être point scripturaire :

Le livre que nous intitulons *De synodis*, dont le titre est « Des synodes qui se sont tenus à Rimini d'Italie et

---

(1) Cfr. CAVALLERA, *o. c.*, p. 20 ; d'autres auteurs (Batiffol, Bardenhewer, etc.) reculent la composition jusqu'au troisième exil (356-361). Dans les éditions des œuvres de saint Athanase on signale quatre discours *contra arianos;* mais l'authenticité du 4me livre est fort discutée. Cfr. BATIFFOL, *Anciennes littératures chrétiennes*, t. I, La littérature grecque, Paris, 1901, p. 274, et LE BACHELET, *o. c.*

à Séleusie d'Isaurie » et qui fut écrit en 359. Saint Athanase y fait le procès de ces deux synodes où les intrigues ariennes avaient cru triompher; il raille les multiples professions de foi proposées et leur oppose la formule de Nicée qu'il justifie de nouveau longuement.

Ces ouvrages nous font connaître le rôle capital, qu'a joué saint Athanase dans l'établissement de la doctrine christologique; par ces écrits, il n'a pas seulement fait triompher contre les Ariens la doctrine de la consubstantialité du Fils, il a encore plus que ses prédecesseurs éclairci toute la question de la nature et de la génération du Verbe.

R. De Schepper.

VI

Q. *Ex quanam materia conficienda sunt indumenta missæ: manipulus, stola et casula?*

R. Materia debet esse serica saltem principaliter et texta.

I. Libri liturgici materiam positive non determinant. Sed Missale Romanum statuens quod « paramenta... debent esse integra et decenter munda et *pulchra* » (*Rit. celebr.* I, 2), satis innuit non esse admittendam quamcumque materiam communem et vilem; simul tamen relinquit usui et auctoritati ecclesiasticæ determinandum in specie quid importet « pulchritudo » quam Missale exigit ob reverentiam sacrificio missæ debitam.

II. Usus ecclesiarum, quem nuper J. Braun, S. J. eruditissime exposuit (1), diversus fuit sed generalem ostendit tendentiam ut, pro adjunctorum varietate, paramentorum materia seligeretur decens imo et pretiosa. Ante Carolum Magnum, novimus certe sericum in ornatu liturgico fuisse adhibitum, sed quum hæc materia, ex Oriente adducenda,

(1) *Die liturgische Gewandung*. Freiburg i. B., Herder, 1907, p. 200-209.

magno constaret pretio, pronum est admittere ejus usum non fuisse frequentem. Sed jam sæculo IX, ex pluribus testimoniis didicimus casulas sericas factas esse usu magis communes (1). Inde autem a sæc. XI, potissimum vero post expeditiones cruciatas, quum panni serici, diversi generis et nominis (2), in pluribus Occidentis regionibus jam texerentur, indeque eorum pretium multum minueretur ac simul studium artis ac religionis florerent, paramenta quidem ex lana, aut lino, aut gossypio, imo ex corio ornato, non penitus in desuetudinem abierunt, sed longe lateque diffusus prævaluit usus planetarum ex toto aut principaliter sericarum. Imo a quibusdam episcopis, paucissimis tamen, injunctum fuit ut aliæ casulæ non adhiberentur. Verum ad finem vergente sæculo XVIII et maxime post Ecclesiæ spoliationem, ecclesias rursus invadere cæperunt materiæ viliores, lana nempe et præsertim gossypium. Quam relaxationem S. R. C., usui antiquo innixa, iteratis decretis cohibendam duxit.

III. Interrogata nempe num « planetæ, stolæ et manipula possent confici ex tela *linea* vel *gossypio* », respondit S. R. C. 23 sept. 1837 in una *Metinen.* (n. 2769, ad V^3): « serventur rubricæ et usus ecclesiarum: quæ hujusmodi casulas non admittunt ». Item 18 dec. 1877, *Senen.* (n. 5715 antiquæ collectionis) ad V, declaravit: « usus ecclesiarum *laneas* casulas non admittit ». Quod confirmavit 23 jun. 1893, *Laudunen.* (n. 3779^1) quoad « paramenta ex *mera lana* confecta ». Et ad refrænandam cupiditatem audaciamque quorumdam fabricatorum, S. R. C., die 28 julii 1881, sequens Monitum Ordinariis transmitti jussit:

« Etsi S. Congregatio sæpe illicitum declaraverit usum casularum, aliorumque similium sacrorum paramentorum

---

(1) Ita ex inventario anno 831 confecto elucet in monasterio S. Richarii (Saint-Riquier) fuisse saltem 44 casulas sericas diversi coloris; in chronico *Gesta abbatum Trudonensium,* ad annum 870, agitur de 12 casulis pretiosis de pallio serico.

(2) Brocarts, brocatelles, damas, velours, etc. Præter orientales, notantur panni Cyprenses, hispanici, januenses (Gênes), panni de Venetiis, opus Lucanum (Lucques). Cf. Braun, *o. c.*, p. 201-202.

ex tela *gossypii,* aut *lini* aut etiam *lanæ,* confectorum, attamen a nonnullis fabricatoribus harum telarum, paramenta ejusmodi ita venumdantur quasi ab ipsa S. Congregatione nunc eadem permissa fuerint. Ad omnimodam igitur tollendam, in re tam gravi, falsam opinionem, monentur Rmi Ordinarii diœcesium, decreta jam emanata quoad hanc rem ab eadem S. Congregatione in sua plena permanere vi ac robore, neque ullam existere nuperrimam dispositionem quæ aliquo modo eadem modificaverit. Ex Secretaria S. Congregationis Rituum, die 28 Julii 1881 ».

IV. Ex notis historicis sub II propositis clare eruitur S. Congregationem, dum explicite prohibet linum, lanam et gossypium, et provocat ad usum ecclesiarum, eo ipso *implicite injungere ut paramenta missæ ex* serico *conficiantur.*

Quæ conclusio pluribus confirmatur. Nam a/ *velum calicis*, quod solet confici ex eodem panno ac casula, debet esse « sericum » (1); b/ velum humerale quod Rituale requirit « decens » (2), juxta Cæremoniale debet esse « sericum » (3); c/ in decretis in quibus agitur de paramentis missæ solet supponi eorum materiam esse sericam, v. g. n. 2949, 3191[4], 3576[15]. d/ Imo, interrogata S. R. C. de liceitate quarumdam imaginum oleo super tela linea pictarum et paramentis agglutinatarum, respondit, n. 3628, dictas imagines permitti posse « dummodo agatur de paramentis sericis vel auro argentoque contextis, ac de cetero ad normam legum liturgicarum confectis ».

Accedit communis auctorum sententia (4) quæ docet, cum Academia Liturgica Romana, materiem planetæ,

---

(1) Missale, *Ritus celebr.* I, 1.

(2) Tit. IV, c. IV, n. 9; t. IX, c. V, n. 2.

(3) Lib. I, c. IX, n. 5

(4) Cf. Van der Stappen, *De celebratione missæ,* q. 103; De Herdt, *S. Lit. praxis,* t. I, n. 167; Stella, ap. *Ephem. Liturg.,* t. I, p. 579 s.; *Melanges théologiques,* 2e série, 1848-49, 2e édit., p. 641 ss.; *Nouv. Rev. théol.,* t. XIX, (1881) p. 615 ss.; Victorius ab Appeltern, *Manuale liturgicum,* t. I, q. 54; etc.

stolæ et manipuli debere esse sericam, saltem principaliter.

V. « Diximus *saltem principaliter:* nil enim vetat quominus alia congrua materia, puta gossypium, conjungi cum serico possit, dummodo tamen principalior, quæ apparet materia exterius, sit serica (1). Ita eadem Academia Liturgica Romana docuit in publico conventu diei 25 novembris anni 1885 » (2).

Hoc revera ostendit usus jam antiquus ecclesiarum. Ac S. R. C. non tantum declaravit, n. 3543, « attenta ecclesiarum paupertate », tolerari posse panni genus quod externe « ex filo serico integre contegitur sed habet operis textilis fulcimentum (chaîne, keten) in gossypio, lana vel lino », verum etiam, n. 3796, textum quoddam ex serico et muri (mûrier) fibris confectum admisit, « dummodo textum illud nunquam, nova adjecta materia, immutetur ».

VI. Quum Ecclesia, ex reverentia erga Sacrificium altaris velit adhiberi vestes pulchras imo et pretiosas, patet permitti ut serico addantur filamenta *aurea vel argentea*, ut obtinet usus jam antiquus. Imo ex consuetudine et decretis, nn. 3145, 3191[4] et 3646[2], paramenta « ex auro contexta » seu ex « tela aurea » (drap d'or), non quidem ratione solius coloris, sed « ratione pretiositatis » adhiberi possunt pro coloribus albo, rubro et virido ; et paramenta ex « tela argentea » (drap d'argent) pro colore albo (n. 3646[3]).

Omnino autem proscribuntur (n. 2949) et ab ecclesiis exulare debent paramenta ex « tela serica *vitrea* » seu cui inseruntur filamenta quædam vitrea colorata quæ auri vel argenti similitudinem referunt seu potius mentiuntur.

Nota. Sedulo invigilent ecclesiarum rectores ne pro

---

(1) Quando v. g. catena est ex gossypio et subtemen (trame, inslag), sericum.

(2) Ap. *Ephem. Liturg.* I, p. 580.

tela aurea sibi obtrudi sinant, pretio relative modico sed semper exagerato, telam quamdam coloris flavi et fulgentis (quamdiu nova est) quæ nihil auri, imo nihil serici continet, sed quæ contexta est solis filis gossypii linimento flavo (cupreo) obductis. Hujusmodi tela non permittitur et post parvum tempus nedum « pulchra » sed nec decens dici potest. Hujus loco adhibeatur solida materies serica.

VII. Tandem addi potest materiam paramentorum debere esse telam *textam* (geweefsel) ut docet usus universalis et semper supponitur in decretis, quæ nempe agunt de « tela », de « materia contexta », de « panno », de « textura », etc. Non admittitur ergo opus reticulatum (breiwerk, tricotage), aut acu pictum (broderie) aut more tapeti confectum.

C. Callewaert.

De Lege anterioritatis matrimonii civilis, in specie pro matrimoniis in extremis.

1. Apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 514 ss., tenorem exhibuimus propositionis legis, quam coram Comitiis nostris publicis introduxit D. Woeste: vi nempe cujus matrimonia *in extremis* subtraherentur legi anterioritatis matrimonii civilis, nec adeo obnoxia forent, in casu urgenti, dispositioni Codicis pœnalis belgici prohibenti, sub gravis pœnæ comminatione, ne minister sacer ad benedictionem nuptialem procedat ante formalitatum civilium adimpletionem. Tenor ille, a Ministro Justitiæ paulisper immutatus (1), fuit in legem sancitus die 3 Augusti 1909, sub forma sequenti:

Article unique. L'article 267, § 1er, du Code pénal est modifié comme il suit:

« Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs, tout ministre d'un culte qui procédera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil.

« Cette disposition ne sera pas applicable lorsque l'une des personnes qui ont reçu la bénédiction nuptiale était en danger

(1) Chambre des Représ., Séance du 27 Nov. 1908. — *Annales Parlem.*, p. 129. Nimirum proposuerat D. Woeste hanc redactionem: « Cette disposition ne sera pas applicable lorsque la personne requérant le mariage était en danger de mort... ». Contra quod observandum censuit Minister regius:

« L'amendement que j'ai l'honneur de proposer a un double objet. Il tend d'abord à n'employer dans la disposition visée que les mots « bénédiction nuptiale », parce que ces mots sont les seuls qui se trouvent dans le § 1er de l'article 267 et dans la Constitution.

Mon amendement a un second objet: aux termes de la disposition du projet de loi, il semble que la réquisition doive avoir été faite par la personne qui était en danger de mort. La disposition porte en effet les mots: « ... lorsque la personne requérant le mariage était en danger de mort... »

Or, il est évident que, dans bien des cas, la personne en danger de mort fera cette réquisition par un de ses proches ».

de mort, et que tout retard apporté à cette cérémonie eût pu avoir pour effet de la rendre impossible » (1).

2. Ad hoc igitur ut vitentur pœnalitates art. 267 Cod. Pœn. comminatæ contra sacerdotem matrimonio copulantem nupturientes nondum civiliter junctos, *requiritur* et *sufficit* hæc *duplex* conditio : *prima,* quod alterutra pars versetur in periculo mortis, *secunda*, quod adeo urgeat periculum ut meritò timeatur tempus deesse ad præmittendas formalitates civiles.

Ad hujus autem *alterius conditionis* rectum intellectum et germanam applicationem nota, pro adimplendis formalitatibus matrimonii civilis, non modò requiri ipsam consensus præstationem coram officiali civili ac duobus testibus (2), quod sanè indilatè fieri potest, sed præviè varia esse pro variis adjunctis observanda, quæ diuturniori moræ sunt obnoxia. Ita, si alterutrius partis parentes adhuc exstent, horum obtinendus est consensus, vel saltem, si utraque pars majorennis evasit, non potest ad civile matrimonium procedi absque parentum consilio per actum reverentialem expostulato. Item, si

---

(1) *Moniteur* du 12 Août 1909, n. 224, p. 4441.

CHAMBRE DES REPRÉSENTANTS.

Session de 1907-1908

Documents parlementaires. — Texte et développements de la proposition de loi : 12 mars 1909, document nº 134, p. 748.

Session extraordinaire de 1908.

Documents parlementaires. — Rapport : 20 août 1908. Document nº 50, p. 258.

Session de 1908-1909.

Annales parlementaires. — Discussion : 27 novembre 1908, 1er et 28 avril 1909, pp. 129, 138, 1141, 1163 et 1167.

SÉNAT.

Session de 1908-1909.

Documents parlementaires. — Rapport : 4 juin 1909, documents nº 67.

Annales parlementaires. — Discussion : 29 et 30 juillet 1909.

La loi fut votée à la Chambre par 79 membres contre 8 et 36 abstentions ; au Sénat, par 42 membres contre 18 et 5 abstentions.

(2) In memoriam revocetur statutum legis 7 Aprilis 1908, numerum testium qui requiruntur reducentis ex quatuor ad duos. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 386 ss.

unus nupturientium est viduus, non potest officialis civilis procedere antequam, per authenticam de obitu prioris compartis attestationem, ritè constiterit de statu libero, et ita porro. Ulterius in quocumque casu et cum quibusvis nupturientibus obtinenda est prævia dispensatio super publicationibus et dilatione legali (1), quæ dispensatio impetranda est a Procuratore regio « près le tribunal de première instance, dans l'arrondissement duquel les impétrants se proposent de célébrer leur mariage » (2).

Quorum omnium ratio habeatur oportet in dijudicanda urgentia, quæ tanquam conditio requiritur ad legitimam nostræ legis applicationem.

3. Porro præter præfatam conditionem duplicem nulla alia requiritur (3); nec ulla formalitas præscribitur, sive ante sive post matrimonii religiosi celebrationem, observanda. In specie non exigitur 1°/ ut prævie ad matrimonium constet, per medici attestationem, de mortis periculo urgenti; 2°/ non opus est ut, post factum, de peracta matrimonii celebratione certioretur procurator regius vel officialis civilis ; nec 3°/ ulla adest obligatio ut, si moribundus supervixerit aut præter spem convaluerit, civiliter etiam contrahat.

Et quidem

1° quod spectat *testimonium medicale :* id proposuit Senator Goblet d'Alviella, volens lege sanciendum ut, antequam sacerdos audeat matrimonium religiosum celebrare absque prævio matrimonio civili, de urgenti mortis discrimine constet ope attestationis medici.

---

(1) Circa publicationes et dilationem de norma observandas videsis De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, Brugis, 1909, n. 46.

(2) Integrum processum in hac re sequendum fusè exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. VII, p, 134 ss.

(3) « La réquisition n'est pas une condition », sic declaravit Minister die 27 Nov. 1908 ; a. v. non requiritur ut sacerdos fuerit formiter invitatus ad benedicendum nuptiis, quemadmodum innuere videbatur pristinus tenor a D. Woeste propositus.

En autem quomodo a Ministro regio reprobata fuerit proposita dispositio:

« Quelle est l'utilité du certificat? S'il servira parfois à établir l'existence du danger de mort, il y a une foule de cas où il sera absolument inutile.

Le cas qui se présentera fréquemment est celui où un ouvrier sera victime d'un accident grave. On le transporte chez lui, on appelle le prêtre; celui-ci constate que le blessé vit dans une situation irrégulière. Et convaincu qu'il se trouve en présence d'un accident mortel, il procède au mariage *in extremis* sans certificat médical. Le lendemain, le moribond est un cadavre.

Dans ces conditions, le certificat est absolument inutile. Le fait a démontré l'existence de la condition. Et malgré cela, le certificat n'ayant pas été produit, le prêtre serait condamné.

D'un autre côté, le systême de certificat peut être très dangereux. Certainement le certificat de complaisance n'est pas très fréquent, mais il existe.

L'intérêt du mariage religieux pour certaines personnes peut être si grand que le certificat de complaisance sera demandé avec une insistance telle que le médecin, et spécialement le médecin de la famille, se trouvera en quelque sorte dans l'impossibilité de le refuser. On se trouvera alors en présence d'un mariage *in extremis* truqué, mais parfaitement régulier aux yeux de la loi, si l'amendement de M. le comte Goblet était adopté, et le prêtre qui aurait procédé à un mariage *in extremis* ainsi combiné ne pourrait pas être inquiété.

Le prêtre n'aurait à se préoccuper que d'un seul point: Y a-t-il ou non un certificat médical? » (1).

2° Circa *certiorationem procuratoris regii et officialis status civilis:* Sectio centralis, uti liquet ex relatione facta a D. Mabille, optaverat in lege inserendam dictæ certiorationis obligationem, et in hunc finem alteram addendam censuerat paragraphum sequentis tenoris:

---

(1) Annales-Sénat, 1909, p. 586.

« Néanmoins la peine prévue par le paragraphe premier sera encourue par le ministre du culte, si, au plutard dans les quarante-huit heures après la célébration nuptiale, il n'en a informé l'officier de l'état civil de la localité et le procureur du Roi ».

Contra hanc autem dispositionem meritò insurrexit Minister regius, eamque feliciter rejiciendam curavit, pluribus invocatis rationis momentis. Quæ latius evoluta apud *Annales* (Chambre des Représ.), p. 141 s., compendiosè exhibet *Compte-Rendu Analytique,* p. 67 :

« Quant au paragraphe ajouté au projet de loi par la section centrale, cette disposition me paraît peu heureuse, parce qu'elle est inefficace et compromet le but poursuivi par l'honorable M. Woeste.

En outre, elle a cet inconvénient d'être dérogatoire au droit commun et elle entraîne, par conséquent, des difficultés inextricables.

Ou bien le danger de mort est certain et le retard sera fatal : dans ce cas, aucune infraction n'est commise et une instruction est inutile ; ou bien la situation est douteuse et, dans ce cas, le prêtre ne déclarera rien du tout, car son absence de déclaration ne lui vaudra aucune peine supplémentaire.

Si la disposition était adoptée, elle empêcherait très souvent les intéressés de recourir à l'intervention du prêtre. Les pseudo-époux sont, en effet, très souvent considérés par leur entourage comme des conjoints légitimes.

De crainte de voir s'ouvrir une enquête administrative ou judiciaire du parquet, on se passera du mariage religieux.

Ne perdez pas de vue non plus que le prêtre peut dans certains cas être tenu par le secret professionnel, comme l'avocat, le notaire, etc., pour tout ce qui concerne la confession et les faits y révélés. Or il se peut qu'il ne connaisse la situation irrégulière des personnes que par la confession.

A côté de ces inconvénients, il y en a d'ordre juridique.

Il n'est pas douteux que la disposition est dérogatoire au droit commun ; elle institue une auto-dénonciation.

De plus, ce qu'il faut révéler, ce n'est pas seulement un délit, mais un acte licite, comme le sera un véritable mariage

in extremis. Le prêtre qui ne se sera pas dénoncé sera puni comme s'il avait enfreint toute la loi et comme le prêtre qui l'aurait enfreinte : c'est inadmissible.

Enfin, s'il y a des complices, la situation devient inextricable. Ceux-ci peuvent avoir participé à un vrai mariage *in extremis*. Ils sont dans les termes de la loi ; mais, si le prêtre néglige de révéler, tout le monde sera poursuivi, y compris les complices, parce qu'il s'agit d'une cause de justification objective, qui produit ou ne produit pas ses effets à l'égard de tous ».

Tandem 3° circa *necessitatem subsequentis matrimonii civilis*, nequidem motio fuit facta in hunc sensum ab adversariis, et plenissima libertas relinquitur partibus, quæ coram Ecclesia junctæ sunt in extremis, ut deinceps, urgenti mortis periculo remoto, vel civiliter contrahant vel a civili contractu abstineant penitus.

Profectò, donec formalitatibus civilibus fuerit factum satis, non agnoscentur tanquam conjuges coram lege civili, nec ipsorum matrimonio tribuentur effectus civiles : eorum conjugium non existet nisi coram Deo et Ecclesia et solos effectus sortietur canonicos (1).

*
* *

Descripta legis dispositione partim e medio tolluntur infaustæ sequelæ quæ natæ sunt sequi ex statuto nostri Codicis civilis, ac pœnalibus sanctionibus Codicis pœnalis circa prioritatem obligatoriam formalitatum civilium. Dico : *partim*, quia, uti alia occasione notavimus (2), non infrequentes sunt casus in quibus lugenda illa lex anterioritatis graviter nocet libertati matrimonii

(1) Ita proles antea natæ censentur per subsequens matrimonium legitimatæ coram foro Ecclesiæ, non autem in foro civili ; cæterùm in foro civili non legitimantur proles prævie natæ ipso facto matrimonii subsequentis, quemadmodum in jure canonico, sed ulterius oportet, ad tramites art. 331 Cod. civ., ut a parentibus fuerint legaliter recognitæ sive ante matrimonium sive in ipso celebrationis actu.

(2) *Collat. Brug.*, t. XIII, 520, 522 et 646.

religiosi, cum maximo animarum detrimento. Ex multiplici namque capite inducitur oppositio inter jus canonicum et jus civile, et occurrit impedimentum procedendi ad matrimonii religiosi celebrationem propter impossibilitatem præmittendi formalitates civiles.

Imprimis oriuntur hujusmodi conflictus ex necessitate consensus paterni, qui, pro minorennibus, ad valorem requiritur, quin referat utrum irrationabiliter denegetur aut rationabiliter; item ex existentia vinculi mere civilis, divortio non soluti; ex prohibitione parti divortio civili per mutuum consensum separatæ facta, quominus infra triennii spatium ad novas nuptias transeat aut ducat complicem in adulterio; ulterius ex necessitate producendi in foro civili attestationes authenticas de obitu prioris compartis et de libertate status, quarum attestationum impetratio, pro sponsis exteræ regionis, diuturnas moras sæpe inducunt et intricatissimas formalitates adimplendas exigunt; ex statutis etiam militaribus, quibus prohibentur milites varii gradus uxorem ducere quæ dotem legalem non habeat (1).

Quæ jam sufficiunt (2), ni fallor, ut appareat non absque momento esse de remedio, si quod sit, inquirere ad hujusmodi incommoda haud exigua præcavenda.

---

(1) Hujus statuti, libertatem militum vinculantis, nocivum influxum ostendit Ill. Keesen, occasione discussæ legis supralaudatæ 3 Aug. 1909 coram Senatu, ac consequenter proposuit favorem novæ legis extendendum ad illorum matrimonia, quatenus nempe posset illorum nuptiis benedicere sacerdos, quando ducere volunt uxorem, cui, ob defectum dotis, copulari nequeunt coram foro civili.

(2) Omittimus Codicis nostri civilis dispositiones, quæ quidem molestias parere possint respectu matrimonii coram Ecclesia contrahendi, sed tales quæ facilius superentur aut rarius occurrant: puta statutum circa ætatem sponsorum quæ major postulatur in foro civili quam in foro canonico; prohibitio pro vidua non nubendi ante finem 10i mensis inde ab obitu prioris viri; statutum circa necessitatem pro majorennibus consilium petendi parentum per actum reverentialem, cui actui reverentiali possunt parentes, donec filii 25 annos compleverint, legaliter obsistere; statuta denique contra matrimonium ineundum a militiam detrectantibus aut deserentibus.

Porro efficacissimum illud remedium sponte præbet sententia, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 646 ss. proposita, circa extensionem canonis VIII Decreti *Ne Temere:* quatenus privilegium ibidem concessum matrimonium celebrandi extra sacerdotis cujuslibet præsentiam, applicari posset quotiescumque parochus ejusve delegatus inde a mense impeditur, vi legis anterioritatis, ab assistendo nuptiarum celebrationi (1).

Qua occasione juvat pauca animadvertere ad illa quæ Cl. STANDAERT, *Collat. Gandav.*, t. I, p. 152 ss. laudatæ interpretationi opponenda duxerit, necnon accuratius determinare punctum controversiæ nos dividentis.

Ante omnia advertendum est sedulò a nobis nequaquam contendi *theoretice certam* esse canonis VIII extensionem ad illa matrimonia quibus, vi legis anterioritatis, assistere prohibetur minister sacer: controversia huc redit utrum necne hujusmodi interpretatio speculative *probabilis* sit seu serio nitatur fundamento; sufficit namque speculativa probabilitas ut practicè tutum sit illam sententiam in praxim deducere, siquidem, in dubio *juris* circa existentiam vel extensionem impedimenti ecclesiastici, ab Ecclesia suppleri censetur.

Jamvero non possumus illam probabilitatem prorsus rejicere, nec videntur rationis momenta in contrarium allata argumentorum vim explodere.

Nimirum, juxta art. VIII Decreti, potest matrimonium sine parochi præsentia celebrari, quotiescumque,

---

(1) Lex anterioritatis ejusque sanctio pœnalis solum afficit ministrum sacrum, non testes nec nupturientes; adeoque nulli transgressioni nec pœnalitati est locus, modò sacerdos matrimonio non tantum non assistat, sed nullas habeat in eo partes, cautelis adhibitis quæ suggeruntur l. c., p. 648. Admittit quidem jurisprudentia, uti infrà notatur, cooperationem in delicto, ast cooperatio supponit delictum; delictum autem constituitur interventione ministri: « Si la bénédiction nuptiale ne peut être donnée que par un ministre du culte, il va de soi que, sans l'intervention d'une personne de cette qualité, le délit ne pourra prendre naissance ». Ita *Mesdach de ter Kiele,* in requisitorio in causa *Sacré,* decani Antverpiensis, apud *Pasicrisie*, 1877, I, p. 48.

in *aliqua regione,* inde a mense parochus ejusve delegatus *haberi nequit.*

Requiritur ergo *impossibilitas* in quodam loco inde a mensis spatio existens; sed præcise difficultas est in determinandis dictæ impossibilitatis natura et ambitu.

Haud ægre admittitur sufficere impossibilitatem *moralem,* sitam in notabili incommodo, ac in specie satis grave haberi incommodum in pœnalitatibus, quæ apud nos impendunt sacerdoti matrimonium celebranti absque prævia cæremonia civili; quod luculenter confirmatur ex decisione anno 1785 data, et infrà referenda, in gratiam insulæ Curaçao.

Tota igitur lis reducitur ad hoc utrum vel non requiratur impossibilitas *communis:* si *certò* postulatur impossibilitas communis, afficiens omnes moraliter nupturientes regionis, profectò non potest privilegium applicari ad nostrum casum: illi enim quorum matrimonio, ob impossibilitatem præmittendi cæremoniam civilem, parochus assistere nequit, non constituunt generalitatem nostræ regionis, sed restrictam respective categoriam, etsi, juxta superius monita, non negligendam.

Atvero asserendum videtur impossibilitatem illam communem *probabiliter* non requiri: nempe probabiliter sufficere censetur impossibilitas aliqua *regionalis,* talis, inquam, quæ ad totam quamdam regionem extendatur, licet non attingat nisi partem restrictam incolarum, a. v. quæ sit generalis quoad locum, etsi quoad personas omnis conditionis non communis: hujusmodi autem est impossibilitas quæ oritur ex nostra lege anterioritatis.

Primum argumentum suasivum, ex quo ad impossibilitatis sic dictæ regionalis sufficientiam arguimus, est in ipso tenore canonis VIII, ubi simpliciter dicitur: « si *in aliqua regione* parochus.... *haberi non possit* », quin postuletur impossibilitas quoad individua communis; quæ omissio æquivalet positivæ exclusioni, si attendas

impossibilitatem communem non requiri in redactione definitiva, postquam in schemate prius proposito expressis verbis requirebatur (1).

Cujus argumenti vim eludere frustrà conatur cl. Standaert, dicendo: « vocabulo *regionis* usa est (S. Congreg.) ut indicaret non requiri impossibilitatem afficientem territorium valde amplum, vel certis limitibus circumscriptum » (2). Hoc scil. explicat cur S. Congregatio adhibuerit ly *regionis* potius quam *regni, provinciæ,* sed non explicat cur *consultò suppresserit* vocem impossibilitatis communis; potuisset scil. optimè unum facere et aliud non omittere, dicendo: si in aliqua regione generalis seu communis adest impossibilitas habendi parochum...

Alterum argumentum suasivum continetur in analogia cum casu a S. Sede soluto in gratiam insulæ Curaçao, quatenus S. C. de P. F., anno 1785, permiserit ibidem matrimonium iniri coram duobus dumtaxat testibus, quia matrimonium coram Ecclesia non poterat celebrari ante cæremoniam civilem, sub pœna mulctæ 500 florenorum a parocho solvendæ, pro matrimonio autem civili celebrando solvendi erant a catholicis 50 floreni (3).

Equidem fatemur ampliorem esse numerum illorum quorum matrimonium impeditur ex dispositione legis in dicta insula Curaçao vigentis quam ex illa quæ viget apud nos (4); attamen, quidquid dicatur, non inducitur impossibilitas communis ne latè quidem dicta, nec

---

(1) *Acta S. Sedis,* XL, p. 565 et 570.

(2) *Collat. Gandav.*, t. I, p. 152.

(3) *Collectanea* S. C. de P. F., n. 1515.

(4) Attende quomodo, uti notavimus suprà, impedimentum, quod ejus *naturam* spectat et seposito ejusdem ambitu, simillimum esse impedimento quod in Belgio obstat quorumdam nuptiis in foro Ecclesiæ celebrandis; est nempe impedimentum *moralem* dumtaxat impossibilitatem inducens, quæ oritur ex lege civili anterioritatem cœremoniæ civilis urgente.

talem supponi in textu vel contextu ullibi apparet (1).

Cæterum disciplinæ a S. Sede pro incolis Curaçao probatæ non favebat tunc temporis tenor canonis nostri VIII, et severior censebatur lex clandestinitatis, quam quæ nunc laudato canone moderatur. Ex alia parte non est nimium coarctandus numerus personarum, quæ apud nos, vi legis anterioritatis, possunt prohiberi a matrimonio coram sacerdote celebrando, uti ex præmisso catalogo non obscurè liquet.

Ex hoc duplici argumento deduximus *intrinsecam probabilitatem* interpretationis propositæ, et etiamnum non videmus utrum injurià. Nec deest *auctoritas extrinseca:* favent enim imprimis CARDINALIS GENNARI, *Breve Commento della nuova Legge sugli Sponsali e sul Matrimonio*, 1908, p. 52 (2); FRANC. HEINER, Auditor S. Rotæ, apud *Archiv. f. k. Kirchenr.*, 1908, p. 485 s. (3); accedit auctoritas OJETTI, Consultoris S. Congr. Concilii, qui sententiam tuetur in opella: *In Jus Antepianum ei Ptanum,* 1908, n. 122, eamque audacter propugnavit coram ipsa S. Congregatione, in *Voto* suprà citato; probabilitatem etiam ultrò admittit R. P. VERMEERSCH, *De Religiosis — Periodica*, 1908, p. 272 s.; item BESSON, Director periodici *Nouv. Rev. théol.*, anno 1908, p. 735 (4); tandem WOUTERS, *Commentarius in Decretum Ne Temere*,

---

(1) Si quid innuatur in contextu, nescio utrum potius non sit contrarium: urget namque S. Congr. ut privilegium non applicetur nisi « in casu necessitatis et magnæ contrahentium inopiæ, » quasi innuens nonnisi rarius et per modum exceptionis illo medio esse utendum.

(2) « La nuova disciplina non distingue l'assenza *commune* dall' assenza *particolare*: per l'una e per l'altra autoriza il matrimonio.

(3) « Die alte Disciplin verlangtte die *allgemeine* Abwesenheit des Pfarrers für eine ganze Gegend, nicht nur für eine einzelne, für eine oder zwei. Die neue Disciplin unterscheidet keine allgemeine Abwesenheit von einer speziellen Abwesenheit: für die eine, wie für die andere berechtigt sie zur Eheschliessung ».

(4) De interpretatione nostra circa impossibilitatem regionalem dicit: « On ne peut le nier, la distinction entre les deux sortes d'impossibilité est fondée ».

2ª ed., 1909, qui tamen sententiam nostram practice improbat, fatetur, p. 60, « citatum responsum (pro insula Curaçao) *aliquid* probabilitatis adversariorum opinioni conciliare ».

Nullatenus provocavimus, quemadmodum id nobis immeritò opponit cl. Standaert (1), ad responsum S. C. C. 27 Julii 1908, sub dubio IX: unicè conati sumus ostendere, per hoc responsum evasivum « non esse interloquendum », a S. Sede non reprobari interpretationem a Consultore probatam: ad hoc propositâ, non per modum asserentis sed per modum dubitantis et interrogantis, aliqua explicatione circa motivum cur Em. Patres noluerint dubium formiter solvere, licet forsitan inclinaverint in sensum affirmativum.

Quod autem spectat *graves abusus* possibiles: argumentum ex illis inductum spectat potius opportunitatem legis de novo condendæ quam interpretationem legis conditæ.

Cæterum timor ne « nimis multiplicarentur matrimonia coram Ecclesia valida sed civiliter nulla » (2), est exaggeratus, uti jam notavimus apud *Collat. Brug.*, l. c., p. 648 s., cum sufficienter nota sint in populo incommoda gravia neglectum cæremoniæ civilis consequentia; adde argumentum in eo nitens, si urgeatur, ducere ad conclusionem quod potius laudanda sit lex anterioritatis quam reprobanda.

Mirum est etiam tantopere insisti in incommodis quæ possent sequi ex omissione matrimonii civilis, et tam parum attendi commoda ingentia quæ ex concessione Ecclesiæ et interpretationis nostræ applicatione consequerentur. Num parum videtur quod cessent concubinatus, et scandala exinde provocata, quod legitimentur proles natæ, quod legitimæ evadant coram

(1) *Collat. Gandav.*, I, p. 154.
(2) *Collat. Gandav.*, I, p. 156.

Deo et conscientia uniones alia via non legitimandæ, quod animæ e barathro peccatorum eleventur et ad Deum reducantur?

Quod præ cæteris forsan timendum occurrit, periculum est « ne potestas sæcularis... graviter offendatur et, occasione data, injuriis pœnisque novis sæviat in quoscumque delinquentes » (1). Atvero idem periculum erat timendum, idque potiori jure, in insula Curaçao, illiusque discriminis sese probe consciam declarat S. Sedes in ipsa Instructione, et nihilominus inhæsitanter permittit matrimonii celebrationem extra sacerdotis præsentiam.

Attende etiam apud nos benignam exerceri ab auctoritate civili tolerantiam erga judaismo addictos, qui censentur validè posse matrimonium religiosum inire coram testibus, absque rabbini assistentia, nec ulli molestiæ obnoxii sunt sic contrahendo ante impletas formalitates civiles.

Profectò prudentia opus est, et absque delectu et inconsulto Episcopo non est applicanda hæc doctrina, nec inopportunè publicanda, donec a S. Sede fuerit expressius probata. Cæterùm opportunum foret exigere quasdam cautelas observandas, ad modum quem, l. c. descripsimus, juxta Ojetti et Vermeersch: ut nempe non applicetur privilegium canonis VIII in casu particulari, antequam de impossibilitate parochum habendi constiterit per mensile silentium parochi, ritè et formiter interpellati circa voluntatem assistendi determinato matrimonio inter determinatas personas ineundo.

Opponitur tandem in celebratione matrimonii absque sacerdote inutile quæri et supervacaneum remedium ad libertatem matrimonii salvandam et sanctiones pœnales vitandas, cum alia via securiori ad eumdem finem perveniri possit: posse nempe, facilius quam olim, a sacerdote assistentiam præberi matrimonio, quin hoc

---

(1) *Collat. Gandav.*, I, p. 157.

detegatur: « quum enim competens sit omnis parochus loci, in quo nuptiæ celebrantur, ægre constabit quisnam matrimonio religioso adstiterit vel alium delegaverit ». Atvero, pace Auctoris dicatur, potius contrarium videtur asserendum: si namque *omnis* parochus loci est competens, etiam *solus* competentiam habet, adeoque satis erit judici civili locum detegere in quo celebratio est facta ut simul innotescat parochus qui adstiterit vel delegaverit; solum autem factum delegandi, absque ulla personali assistentia, obnoxium est, juxta jurisprudentiam supremi nostri Tribunalis (1), sanctioni legis pœnalis.

Nec etiam remedium datur efficax in celebratione matrimonii extra territorium Belgii, puta in Anglia: attentis enim expensis haud modicis, tale remedium non prostat sponsis universim.

A. De Smet.

(1) *Pandectes Belges*, v° *Acte de Mariage*, n. 50; *Pasicrisie*, 1877, I, p. 46 ss.: arrêt de la Cour de Cassation du 26 Déc. 1876. Admittitur nempe, ad tramites art. 66 et 67 Cod. Pœn., cooperatio in delicto, et ex hoc capite ad pœnam damnatus est Decanus Antverpiensis, quia vicarium delegaverat. Cf. etiam orationem Ministri De Lantsheere, coram Camera Repræsentantium, 27 Nov. 1908, apud *Annales*, p. 142.

Libri de theologia dogmatica

Lesêtre H. *La foi catholique*. Paris, Beauchesne, 1909. In-16, 497 p. Fr. 3,50.

Labauche L. *Leçons de théologie dogmatique*. Paris, Bloud et Cie, 1908. In-8, 422 p. Fr. 5,00.

Konings M., Ord. S. Crucis. *Tractatus de gratia divina*. Pars prior: de gratia actuali. Lovanii, C. Peeters, 1907. In-8, 136 p. Fr. 3,00.

Billot L., S. J. *De Gratia Christi,* Romæ, Ex officina polygraphica editrice, 1908. In-8, 165 p. Fr. 3,00.

Van Noort G. *Tractatus de gratia Christi*. Amstelodami, Van Langenhuysen, 1908. In-8, 216 p. Fr. 3,25.

Id. *Tractatus de Deo uno et trino*. Ibid., 1907. In-8, 219 p. Fr. 3,25.

Zimmermann O., S. J. *Ohne Grenzen und Enden*. Freiburg i. Br., Herder, 1908. In-16, 188 p. M. 1,80.

Pègues, O. P. *Commentaire littéral de la Somme théologique de Saint Thomas d'Aquin*. T. II: *Traité de la Trinité;* T. III: *Traité des Anges;* T. IV: *Traité de l'homme;* Toulouse, Privat, 1908. In-8, 605, 640, 806 p. Pr. t. II et t. III, chacun 7,50 frs; t. IV, 10 frs.

Van Crombrugghe C. *Tractatus de Verbo Incarnato*. Gandavi, Huishauwer et Scheerder, 1909. In-8, 218 p. Fr. 3,00.

Non pauci homines a christiana religione amplectenda avertuntur partim ignorantia qua laborant de doctrina quam profitetur Ecclesia romano-catholica: hujus proinde fidem, objective spectatam, in compendium reductam exhibere est opus utilissimum: quod perfecit R. D. **Lesêtre**: in hoc opere non est inquirenda *demonstratio*, sed expositio dogmatum, desumpta maxime ex ipsis Conciliorum ac Romanorum definitionibus stricte dictis, vel etiam declarationibus doctrinalibus, quæ non sunt stricte dictæ definitiones. — Nonnunquam in laudato opere quidam textus citati exigerent aliquam expli-

cationem, præsertim in materia *de gratia,* quidam etiam non videntur ad rem : v. gr., p. 272-273. Quædam non satis clare exprimuntur : v. gr. distinctio inter *habitualem* et *actualem* gratiam (p. 279-315); ratio *cur* requiratur actualis gratia (p. 302 ss.); comparatio inter legem *naturalem* et *christianam* (p. 263 ss.). Quædam non exacte dicuntur : v. gr. non satis apparet necessitas judicii credibilitatis et ejusdem certitudo (p. 36 ss.); nec admitti potest hoc assertum de Christo : « Son âme, unie à la divinité, pouvait puiser en Dieu directement toute la science qu'elle désirait » p. 174. Tandem nullius valoris videntur duo argumenta quæ refert A. (p. 6) ad demonstrandam existentiam Dei : nempe ex conscientia de lege morali (1) et ex *idea* Infiniti quam habet homo (2).

Quos indicavimus defectus hi non impediunt quominus liber, generatim spectatus, catholicam fidem rite proponat, aptisque nonnunquam comparationibus (v. gr., p. 86) elucidet, et talibus considerationibus quibus præjudicia evanescere possint : optimum nobis videtur caput VI, cujus titulus : « l'Eglise enseignante » (p. 90-109).

De opere Dni **Labauche** non pauci scripserunt alii ad laudandum, alii, et quidem plerique, ad improbandum (3) : quod opus, nostro judicio, commendari nequit. A. sibi proposuerat hanc sequi in materia exponenda methodum : « commencer par un exposé complet de chaque dogme, considéré à son point d'arrivée, c'est-à-dire au moment où les Conciles lui ont donné sa dernière détermination ; rechercher l'origine de cette doctrine, nettement déterminée, dans la Sainte Écriture, le développement dans la Tradition des Pères, l'essai de systématisation dans les Écoles (p. VIII-IX) » : pulchrum quidem propositum, sed in prædicto libero non invenitur ad effectum deductum. Cæteroquin A. non habuit rationem de distinctione summopere attendenda, scilicet inter id quod est *ipsum dogma,* nempe ipsa veritas a Deo revelata, et id quod est ulterior, licet logica, *explicatio dogmatis :* et hoc, non solum quando agitur de scholastica

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 611 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 438 ss.
(3) Cf. Maupréaux, in *Revue Augustinienne,* 1908, t. XIV, p. 372.

doctrina, sed etiam omnino præ oculis est habendum quando agitur de Ecclesiæ definitione sive in Concilio, sive per Summum Pontificem: etenim definiri infallibiliter potest etiam id quod non est a Deo revelatum, sed quod est objective et necessario connexum cum ipsa veritate a Deo revelata (1).

Multa quidem, sed leviter (superficiellement) tantum tangit A. et sæpissime obscurus valde est ejus modus loquendi (2).

In tertia operis parte agit A. de gratia, tum actuali, tum habituali. Expositio de *actuali* gratia sic dividitur: art. I, de la nécessité de la grâce ou la controverse pélagienne; art. II, du pouvoir de la seule nature, ou la controverse calviniste; art. III, Dieu donne-t-il la grâce à tous les hommes, ou la controverse prédestinatienne; art. IV, comment la grâce actuelle agit-elle avec la volonté humaine, ou la controverse entre Thomistes et Molinistes; art. V, de la nature de la grâce actuelle, ou la controverse janséniste.

Hæc materiæ divisio, si primo forsitan aspectu placeat, quia cum chronologico logicus quidam concurrit ordo, tamen non correspondet controversiis prout de facto locum habuerunt. Etenim cur Calvino attribuitur controversia « du pouvoir de la seule nature humaine »? Hæc a Pelagio originem habet, quatenus asserit solam (absque gratia) humanam naturam posse operari opera *salutaria*, et a Luthero, quatenus hic asserit *nihil omnino boni moralis* posse a natura humana procedere, quippe quæ est intrinsece corrupta. — Calvino potius tribuenda est controversia *de prædestinatione,*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 581 ss.; t. VII, p. 4 ss.; t. XIII, p. 162 ss.; t. XIV, p. 411 ss.

(2) V. gr. « La vie de la nature est celle qui se développe de manière à conférer à l'homme la connaissance indéfiniment perfectible de toutes choses et une moralité de plus en plus parfaite. L'autre (la vie surnaturelle) évolue de façon à amener l'homme à la vision béatifique » p. 156.

« Envisagée d'une manière *concrète*, (?) la grâce c'est Dieu considéré dans sa vie, c'est-à-dire dans sa Trinité, en tant qu'il se donne à sa créature... Mais chacun voit que cette grâce contient un double don... Le premier est un don *incréé*... le second un don *créé*... donc si l'on considère la grâce d'une manière *abstraite* (?) on doit distinguer en elle un don *incréé* et un don *créé*, auxquels pourtant dans la réalité (?) répond ce fait (?) unique, Dieu agissant dans le cœur de l'homme... » p. 142 s.

sed tantum pro ea parte qua statuit Deum non velle quorumdam hominum salutem (1).

Præterea quæstio de *natura* seu *essentia* gratiæ actualis potius spectat ad controversiam inter Thomistas et Molinistas, quam ad controversiam a Jansenio ortam; eo vel magis quod Jansenii doctrina, quoad substantiam saltem, continebatur in doctrina Baii, quæ etiam magnum exercuit influxum in controversiam inter Thomistas et Molinistas. — Notari etiam potest quod A. non recte cogitat (p. 263) de doctrina Lutheri circa fidem justificantem: errabat quidem Luther *primo* in hoc quod censebat *sola fide* justificari hominem, et *deinde* in hoc quod tenebat hanc fidem consistere in *fiducia,* quam habet homo de remissis sibi peccatis: hæc ultima sententia fuit explicite damnata in Concilio Tridentino, nominatim can. 12 de justificatione (2).

In opere a R. P. **Konings** conscripto pleræque breviter necnon nervoso stylo proponuntur ac solvuntur quæstiones quæ spectant *gratiam actualem:* demonstrationes potius indicantur quam evolvuntur. Quædam notabimus de opinionibus propriis Auctori in laudato libro propugnatis. Distinctio inter actum naturalem et supernaturalem *quoad substantiam* (p. 19) explicatur comparatione actus videndi quatenus est in cane cum actu videndi in homine. « Prior est actus *mere sensitivus*, posterior est actus *etiam rationalis* (quia principium ejusdem est anima rationalis)... Simili modo actus naturalis principium sunt solæ vires naturales,... actus vero supernaturalis principium sunt vires naturales viribus supernaturalibus adauctæ ». Fatemur non aptam videri prædictam comparationem. Præterea antequam inquirat A. qua in re consistit actus *quoad substantiam* supernaturalis, oportet definiat ipsam significationem hujus termini: de qua non conveniunt theologi (3). Majori cura agit A. in determinando

---

(1) Cf. HURTER, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* t. II, n. 97. Controversia *scientifica* de ratione *prædestinationis* præcipue viget inter Thomistas et Molinistas.

(2) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion,* n. 822; cf. PRAT, *La théologie de S. Paul,* t. I, Paris, 1908, p. 255.

(3) Cf. JUNGMANN, *De Gratia,* n. 11; SCHIFFINI, *De Gratia,* n. 147; BILLOT, *De Virtutibus infusis,* p. 78; *De Gratia,* p. 52.

quid importet donum perseverantiæ finalis (p. 35-49). Præcipua operis pars inscribitur « caput intermedium (p. 67-104), in quo A. suam aperit sententiam de cooperatione Dei in operationibus creaturarum et de ratione efficaciæ gratiæ. A. adhæret opinioni Durandi, qui tenet cooperationem Dei in creaturis agentibus nihil aliud importare quam hoc quod Deus semel dat et deinde conservat virtutem agendi. « Nos, ait A., p. 83, unicam Dei motionem in creaturarum actiones agnoscimus, qnæ habetur ex eo quod causæ secundæ in operationes exeunt *sola virtute a Deo semel accepta jugique influxu accepta* » (1). Sententiam suam A. non demonstrat (p. 76) et si de S. Thomæ doctrina magis inquisivisset non ut sufficientem habuisset interrogationem quam ponit, p. 77. Quis enim neget seria omnino esse argumenta quibus repugnare ostenditur quod aliqua creatura incipiat agere, nempe transeat de potentia ad actum, quin moveatur ab alio, nempe quin applicetur ad agendum (2)? Consequenter ad suam opinionem mox indicatam, A. logice rejicit tum systema præmotionis physicæ prædeterminantis, tum systema præmotionis physicæ indifferentis (3), tum systema concursus simultanei et indifferentis. — De *efficaci* gratia dicit hanc sufficienter describi tamquam *ea cui per usum libertatis homo consentit*, nec videtur admittere gratiam efficacem esse majus beneficium gratiâ mere sufficienti. — Quoad *fidem* requisitam in adulto ad salutem, censet A. sufficere cognitionem, naturaliter acquisitam, de hoc quod existit Deus et de hoc quod est Remunerator, dummodo hæc cognitio obtineatur gratia *elevante* (p. 113): hanc opinionem non damnatam esse ab Innocentio XI conatur ostendere A. (4). Non validum argumentum ad hanc sententiam tuendam affert A. dicendo « ne ulli quidem homini possibilem esse fidem stricte dictam existentiæ Dei, i. e. Entis Supremi » (p. 114): etiamsi admit-

---

(1) Hanc Durandi opinionem rejicit etiam Molina, *Concordia*, Quæst. XIV, art. XIII, disp. XXV. Edit. Parisiis, 1876, p. 149 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 13.

(3) Hic specialiter impugnat A. modum quo hæc sententia exponitur a cl. De Baets in opere: *Quæstiones de operationibus divinis quæ respiciunt creaturas*, Lovani, 1903.

(4) De opinione Ripaldæ, cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 182 ss.

tatur non posse in eodem homine esse et *fidem* et *scientiam* de existentia *Dei* quatenus hic est *naturaliter* notus, potest tamen esse et scientia de existentia Dei *naturaliter noti,* et fides, stricte dicta, de existentia Dei, prout sese *per revelationem* manifestavit (1). — Tandem, in appendice, agit A. de *prædestinatione* et tenet justos prædestinari *post et propter prævisa merita:* cui opinioni minime adhæremus (2). — Uti ex dictis patet, R. P. Konings conatus est de variis quæstionibus ad gratiam actualem spectantibus opinionem sibi formare independentem a systematibus, quæ nunc de facto in varias scholas dividunt theologos; quod minus probatum est vel majorem facit difficultatem in illis systematibus nonnunquam acute indicat A., attamen suam opinionem ut solide probatam non habemus, imo nec probabilem censemus. Præsertim hoc mirum videtur quod ab Auctore, quando loquitur (p. 85) de motione in voluntate, non habeatur ratio de distinctione, tam sæpe inculcata a S. Thoma, inter voluntatis motionem *ab objecto* et motionem *ab eo quod interius inclinat* voluntatem ad volendum (3), aliis verbis inter *specificationem* actus et *exercitium* actus. Præterea nullo solido argumento rejicit A. (p. 87) distinctionem inter cooperationem Dei ad ipsum actum *physicum* peccati, et cooperationem ad formalem rationem *peccati* (4).

R. P. Billot, qui a viginti quinque ferme annis in Pontificia Universitate Gregoriana in Urbe dogmaticam theologiam docet, jam a lectoribus nostris notus est et pro sua mentis acie in speculando ac perscrutando metaphysicam, et pro sua sermonis claritate in exponendo doctrinam, necnon pro studio quo S. Thomæ mentem in propriis ejus operibus, secundum Leonis XIII monitum, assequi conatus est. Speciali quodam desiderio exspectabatur ab ipso tractatus *de*

---

(1) Cf. Billot, *De Virtutibus infusis,* p. 243 s.

(2) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.,* t. VII, p. 567, 574.

(3) S. Thomas, I-II, Q. LXXX, a. 1. Cf. Del Prado, *De gratia et libero arbitrio,* Friburgi Helvetiorum, 1907, t. I, p. XVIII ss.

(4) Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis,* Romæ, 1894, p. 15; Pègues, *Commentaire littéral français de la Somme théologique,* t. III, *traité des anges,* Toulouse, 1908, p. 170 ss.

gratia (1): paucis paginis, quæstiones CIX, CX, CXI Primæ Secundæ commentando, præcipuas de gratia actuali et habituali (non de merito) quæstiones dilucide exponit et suam in illis solvendis aperit sententiam.

In proœmio (p. 5-44) agit de cooperatione Dei in creaturarum operationibus et speciatim in voluntate, de physica potentia et morali impotentia ad bonum, de vario auxilio requisito in vario statu generis humani. Admittit A. dari præmotionem physicam in ordine naturali, et etiam in ordine supernaturali, non vero physicam prædeterminationem ad unum in ipso actu electionis. — Quoad alias quæstiones de quibus est inter theologos controversia, en Auctoris indicatam sententiam: in præsenti ordine providentiæ non datur alia gratia quam *elevans* et actus salutares sunt *supernaturales* quatenus a principio supernaturali eliciuntur, non quatenus, aliter ac naturalis, attingant objectum (p. 58 ss.); gratia sanctificans est, per se, et regulariter loquendo, necessaria ad hoc ut possit homo per longum tempus vitare peccatum mortale (p. 79 ss.). In hominibus justificatis, non requiritur ad singulos actus salutares gratia actualis si hoc nomine intelligitur *instinctus Spiritus Sancti,* h. e. specialis in intellectu illuminatio et in voluntate inspiratio (p. 89 s.). Gratia *sanctificans* realiter distinguitur a charitate et aliis infusis virtutibus (p. 116 ss.). Gratia actualis, considerata in suo proximo et necessario *effectu* est *actus* supernaturalis indeliberatus, considerata *secundum se* est *motio,* in facultate operativa recepta, et principians ejusmodi actum (p. 118-133). Non requiritur *nova* motio supernaturalis ad ipsum actum *deliberatum*, et eadem est, entitative, gratia *operans* ac *cooperans* (p. 135-146). Divisio gratiæ actualis in *efficacem* et *sufficientem* nihil aliud est quam pura et simplex subdivisio gratiæ *excitantis* (p. 147 ss.). Gratia efficax non differt a sufficiente secundum rationem *auxilii;* sed differt secundum rationem *beneficii* (p. 152 s.).

---

(1) Alia a P. Billot conscripta opera sunt sequentia: *De Sacramentis,* 2 vol.; *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis; De Deo uno et trino; De Verbo Incarnato; Quæstiones de novissimis; De Ecclesia Christi; De virtutibus infusis; De inspiratione Sacræ Scripturæ; De immutabilitate traditionis contra modernam hæresim evolutionismi.*

Non semel in periodico nostro fuerunt commendata varia opera conscripta a Dno **Van Noort** (1): duo nobis dijudicanda nunc remanent, quorum unum *de gratia*, alterum *de Deo*. Ad doctrinæ soliditatem quod attinet, et curam qua A. demonstrationes eligit et sermone theologiæ proprio recte utitur, non minori laude digni sunt illi libri quam alii ejusdem auctoris. Attamen in tractatu de gratia, licet sit *compendium* quod explicationes professoris exigit et supponit, quædam nimis breviter indicantur, quædam etiam desiderantur. V. gr., de essentia gratiæ actualis (p. 11) non sufficienter exponitur quid sit *virtus fluens*, quam A., recte quidem, admittit, nec connexio hujus sententiæ exhibetur cum sententia de universali cooperatione Dei in creaturarum operationibus: ideoque non elucet sufficienter ratio propter quam sit tenenda sententia propugnata. Nec exponitur qua in re consistat ipsa *supernaturalitas* actus salutaris. Licet rite exponantur varia systemata, quæ a catholicis proponuntur de *natura* gratiæ *efficacis* (p. 53), argumenta diversarum opinionum non sufficienter innotescunt (2); nec etiam mente S. Thomæ. — In exponendo controversiam inter catholicos de motivo (?) prædestinationis (p. 106) non recenset A. nisi duas sententias, unam quæ dicit prædestinationem ad gloriam *antecedere prævisionem* bonorum operum, alteram quæ tenet illam *consequi:* talis divisio non correspondet reali statui controversiæ (3). In capite secundo, quo sermo est de habituali gratia, non satis ampla videtur explicatio de cognoscibilitate justificationis. A. agit etiam de virtutibus et donis infusis, (p. 161): quarum consideratio complet tractatum de gratia; tandem, capite tertio, *de merito,* « respectu cujus gratia sanctificans habet rationem causæ efficientis » (p. 179). Quod nonnulla in prædicto opere desunt eo vel magis dolemus quod ea quæ adsunt et diligenter ab Auctore

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 58, 366, t. XIV, p. 112.

(2) P. 55 afferuntur quidam textus S. Thomæ quibus asseritur a Deo moveri voluntatem quin ei violentia inducatur, sed non fit mentio de textibus quibus Doctor Angelicus explicat quomodo voluntas *moveat se ipsam in eligendo*. Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 42 ss.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. VII, p. 567; Billot, *De Deo* Thes. XXXII, ubi tres sententiæ vere distinctas proponit.

tractantur et methodo valde apta institutioni alumnorum Seminarii.

Hoc ultimum dicemus etiam de prima parte tractatus *de Deo* (nempe de Deo *uno*), quæ, quoad exposita, est magis completa, licet A. ibi non agat *de providentia*, quam remittit, minus apte, ut videtur, ad tractatum de Deo creatore, nec de *prædestinatione*, quam ponit in tractatu *de gratia*. Melius fuisset si A. quædam proposuisset de objectionibus quæ, nostris diebus, tam sæpe moventur ex existentia mali, non solum contra Dei providentiam, sed etiam contra alias perfectiones (1); utilius etiam aliquid indicavisset A. de controversia circa rationem formalem *potentiæ* in Deo (2). — In laudato opere, optima est expositio de tota quæstione, non parum complexa, *de scientia Dei* (p. 61-85): conclusio Auctoris hæc est: « Hucusque de duobus systematibus, quæ inde a sæc. XVI spectatissimi theologi sequuntur. Utrumque quanta potui concinnitate exposui, præferentiam solutionis thomisticæ non dissimulans. Fateor thomismum gravibus premi difficultatibus, tum quas supra enumeravimus, tum imprimis tibi mysterio prædestinationis applicatur; nihilominus fundamenta ejus mihi videntur solida ac vera, fundamentum molinismi, scientia media, non ita » (3). — Non minus laudanda est expositio de Dei voluntate (p. 85-100).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 133, 468.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 346 ss.

(3) Unum animadvertamus: A. p. 80, n. 93, exponit quomodo in sententia eorum, qui Thomistæ dicuntur, salvetur libertas creaturæ et, ad eorum sententiam salvandam, nominatim dicit: « Nemo thomista ponit motionem Dei *tempore* præcedere motum ipsius voluntatis, sed *logice* tantum: voluntas creata se ipsam movet in virtute divini influxus ». Respondemus: in prædicta sententia, physica prædeterminatio, non quidem *tempore*, non etiam *logice*, sed *natura* et vera *causalitate* præcedit motum voluntatis: etenim thomistæ docent physicam motionem, ipsi voluntati a Deo immediate immissam, realiter *causare* ipsam *electionem*, non solum, quoad exercitium actus, sed quoad ejusdem *specificationem*, h. e. quoad ipsam *determinationem* ad unum objectum, præ alio, volendum (et præcise hoc ponunt ut possit Deus cognoscere singulos actus liberos, qui secus, ut putant, non possent ab æterno præcognosi a Deo): jamvero si talis admittitur prædeterminatio physica voluntatis, logice omnino sequitur negatio libertatis: nam repugnant hæc duo: quod ipse Deus *physice præcausat*, seu prædeterminat *ad unum* ipsam creaturæ volitionem quod ipsa creatura *realiter causat* eamdem determinationem ad unum.

Tractatus præcitati *secunda* pars (quæ est de Deo *trino*), *primà,* ut videtur, multo perfectior est et placet omnino : tria habet capita : I de existentia ss. Trinitatis, II de natura ss. Trinitatis, III de ss. Trinitate, rationi humanæ comparata. In primo capite, post indicatos errores tum contra Trinitatem, tum contra Unitatem, exponitur ampla simul et accuratissima demonstratio de revelato ipso dogmate quod sunt tres personæ realiter ab invicem distinctæ in uno et unico Deo : quæ demonstratio desumitur *primo* ex Novi Testamenti scriptura sacra (p. 112-130) (cui adjungitur quid de hoc dogmate habeatur in Veteri Testamento), *deinde* ex Traditione (p. 133-142) : ubi specialiter disseritur de difficilioribus Patrum ante-nicænorum dictis. In secundo capite successive sermo fit de processionibus, de relationibus, de personis, deinde de appropriationibus et missionibus divinis : in hac materia hoc est præcipuum quod spectat *relationem :* licet definitio relationis *realis* (p. 169) non placeat, tamen ratio ipsa relationis bene proponitur et duæ principaliores objectiones, sc. de repugnantia apparenti quæ est in hoc quod admittatur *relatio-subsistens,* et de identitate illorum quæ sunt identica uni tertio bene exponuntur et solvuntur (n. 202, n. 208). In tertio capite, ut respondeat A. objectioni quæ dicit « dogma catholicum miro quondam syncretismo conflatum esse aut ex philosophia græcorum aut ex superstitione gentilium, monotheismo judæorum admixtis », ostendit quomodo non inveniatur trinitas divina in systematibus quæ ad philosophiam platonicam pertinent, nec in religionibus præcipuis Gentilium, sc. Persarum, Indorum, Sinensium, Ægyptiorum ; deinde explicatur cur ss. Trinitas sit mysterium stricte dictum ; tandem quædam exhibentur regulæ, scitu valde utiles, secundum quas moderandus est sermo noster de illo præ omnibus sublimi dogmate.

R. P. **Zimmermann** notionem Entis Infiniti proponit et demonstrat logica necessitate admittendum quod ens *incausatum* est etiam *infinitum ;* etiam in doctrina adversariorum sicut Fichte, Schelling, Hegel, censet inveniri aliquid quo veritas possit confirmari ; Monistarum systema refutat ; distinctionem exponit inter notionem *totius* et *infiniti,* tandem varias perfectiones quæ in infinitate Dei continentur exhi-

bet: hæc omnia non scholastico, sed sermone potius accommodato illis qui non specialiter operam dederunt studio philosophiæ.

Pergrandis operis, quod feliciter inchoavit necnon celeriter conficere pergit R. P. **Pègues**, jam indolem ac dotes indicavimus (1). A. in arte interpretandi S. Thomæ doctrinam peritissimus, hanc, sicuti est, vel *objective*, uti dicitur, exponere et explicare intendit, hanc etiam propugnare, et insuper ostendere quomodo hæc sit connexa cum quæstionibus nostro tempore agitatis, necnon quomodo summa contineat principia a quibus harum quæstionum dependeat solutio: ita ut qui catholice simul ac scientifice de metaphysica et theologia sibi velit comparare cognitionem, nunquam possit contemnere vel ignorare id quod Thomas docuit. Hoc prædicti operis momentum eloquitur ipse Summus Pontifex, Pius X, in epistola quam ad auctorem misit, in qua legitur: « Consilium probamus tuum lingua dicendique genere patriis, quæ præstant, quam quæ maxime, lumine, principis exponendi de Theologia operis, hodie præsertim accomodatissimi, quando qui a Thoma discedunt, iidem videntur eo ad ultimum agi ut ab Ecclesia desciscant: studium ad hæc dilaudamus, quo rite rem curasti exequendam » (2). Primo igitur et præcipue propter hoc quod S. Thomæ Summa theologica est principalis fons e qua haurienda est scientia fidei, deinde propter modum quo A. explicite agit de quæstionibus nunc agitatis, opus Patris Pègues omnino « hodiernum » (actuel) est dicendum. — De singulis tomis nunc quædam adnotabimus.

Tomus II, a quæstione 27 ad 63, est tractatus de SS. Trinitate: proponitur ampla demonstratio de divinitate Jesu

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 517. — R. P. Pègues nunc theologiam moralem ad mentem S. Thomæ tradit in nova studiorum academia, nuperrime (mense Novembri 1909), in Urbe erecta, sub nomine « Collegium Angelicum », complectente tres facultates: philosophiam, theologiam, jus canonicum, commissaque lectoribus Ordinis Prædicatorum. Cf. *Revue thomiste*, 1909, t. XVII, p. 747.

(2) Opportune in tomorum præfatione refert A. quædam documenta quibus apparet a Pio X, sicut a Leone XIII, constanter enixeque commendari, imo et imponi, ut ad mentem S. Thomæ addiscant studiosi philosophiam et theologiam.

Christi (p. 9) et de divinitate Spiritus Sancti (p. 18); — acute A. disserit (p. 31) utrum absolute de omni intelligente sit accipiendum hoc assertum : « Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens et ex ejus notitia procedens » (q. 27, a. 1). Censet A. probabilius esse affirmandum ; sed in hac opinione jam non perspicitur quid sit hæc « conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens » : non potest esse similitudo intentionalis rei intellectæ, distincta ab ipso actu intelligendi : nam S. Thomas explicite docet (I, q. XII, a. 2) non dari similitudinem rei intellectæ intentionalem, procedentem ab ipso intellectu, seu speciem expressam, *in visione beatifica*, quæ est perfectissima actio intelligendi ; — subtilis est disputatio (p. 172-449), utrum vocabulo *subsistentia* possit in Deo significari tantum ipsæ *relationes subsistentes* vel etiam ipsa *essentia* divina communis tribus personis, cujus quæstionis solutio connectitur cum altera : utrum vocabulo *Deus* idem significetur ab illo qui Deum cognoscit sola naturali ratione ac ab eo qui, revelatione supposita, fide cognoscit Deum : censet A. vocabulo *subsistentia* non designari posse ipsam essentiam divinam, nec vocabulo *Deus* idem significari in utroque casu indicato ; optima fit animadversio de methodo sequenda in theologia quatenus non sit auferenda supernaturalitas, p. 209, 216 ; speciali cura explicatur quo sensu dici possit Spiritum Sanctum a Patre *per* Filium procedere (p. 380).

Tomus III agit de processione creaturarum a Deo (q. 44-46), deinde de distinctione creaturarum (q. 47-49), de angelis (q. 50-64). Specialiter refutatur theoria a D. Bergson propugnata (p. 4, 27, 35, 73, 108, 118, 122, 138, 286, 291), pantheisinus (p. 10), materialismus (p. 20) ; propugnatur valor objectivus nostrarum cognitionum (p. 26). Refertur articulus, qui non invenitur nisi in manuscripto Montis Cassini, et qui inscribitur : « Utrum in creaturis sit ordo agentium » : est art. 3 q^is^ 57^ae^ (p. 115). Inquirit A. utrum argumentum, adhibitum a S. Thoma ad existentiam angelorum probandam, sit accipiendum ut vera demonstratio an ut ratio convenientiæ (p. 185 ss.) : ut proprie dictam demonstrationem habet illud A. Præ aliis consideratione sunt digna quæ habet A. de angelorum præsentia in loco (p. 250 ss.), de

notione temporis et ævi (p. 291-324), de libertate (p. 462-480), de impeccabilitate (p. 561 ss.), de hac quæstione : utrum peccaverit angelus in primo instanti existentiæ (p. 584-594). In parte qua tractatur de intellectu angelorum bene, in pluribus articulis, innotescit differentia inter angelicum intellectum et humanum.

Tomus IV agit primo de creatione creaturæ corporalis (q. 65), deinde de distinctione corporalium creaturarum secundum opera sex dierum (q. 66-74), tandem de homine (q. 75-89). Quædam profunde ac opportune notantur de chimia (p. 36) de quæstione utrum astra habeant homines incolas (p. 135), de immutabilitate speciei viventium, si sumatur species in sensu philosophico (p. 152 ss.), de opinione S. Augustini circa interpretationem capitis I Geneseos (p. 178 ss.), de materialismo (p. 206), de notione potentiæ et actus (p. 223 ss.), de tenore definitionis Concilii Viennensis quæ dicit animam rationalem esse hominis formam (p. 269, 295, 311) de hoc quod dicitur « subconscientia » (p. 272), de notione syndereseos et conscientiæ (p. 525-532); de hoc quod vocant « sentiment religieux » (p. 554, 576), de notione scientiæ (p. 57, 714). Præcipuæ dissertationes nostro judicio sunt sequentes : quod in homine non datur alia forma substantialis quam anima rationalis (p. 297-320), de objecto et sede sensationum (415-434); de objectivo valore nostræ cognitionis intellectualis (p. 475-478) ; de sensu quo intellectus sit nobilior voluntate (p. 564 ss.), de libertate, (p. 582 ss.). (1) de differentia *per-*

(1) Nonnunquam tamen, quando A. disserit de libertate, quædam ponuntur obscura cum aliis clare expressis : hoc provenit, ut videtur, ex hoc quod tenet A. prædeterminationem physicam a Deo immitti etiam in actu electionis. V. gr., p. 588 legitur : « La liberté consistant essentiellement dans la *maîtrise* de la *faculté* sur *son acte*, maîtrise qui provient de ce que la faculté est plus vaste que l'objet actuellement voulu ou à vouloir, il faudrait pour que la motion de Dieu sur le libre arbitre nuise à ce libre arbitre, qu'elle porte atteinte à la maîtrise de la faculté sur son acte » (Optime quidem ; sed si Deus ipse *physice facultatem prædeterminat* ad *hunc actum* facultatis, jam ipsa facultas non habet dominium supra hunc actum quatenus egreditur ex ipsa). Inde obscurum est quod adjungitur : « Mais c'est le contraire qui arrive ; car plus l'action de Dieu se fera sentir (?) sur le jugement et la volonté de l'être libre, plus celui-ci verra clairement et sentira (?) exactement le rapport vrai qui existe entre la chose qu'il veut et sa capacité de vouloir ; plus, parconséquent, il

fectionis intrinsecæ animarum humanarum (p. 695-697) (1).

In gratiam auditorum suorum in Seminario Majori Gandavensi concinnavit R. D. **Van Crombrugghe** tractatum de Verbo Incarnato: egregium certe, quippe qui amplam continet materiam profunde intellectam, clare divisam, cum vigore logico disputatam ac propugnatam, et non parva eruditione, adjumentis sanæ critices conferta, expositam, proindeque aptissimam qua refutentur præcipuæ objectiones nostris diebus contra essentiam Christianismi prolatæ. Quæ dotes maxime elucent in prima operis parte, sc. *Christologia*.

Speciali cura, ut nostris diebus maxime necessarium est, exponitur thesis de divinitate Christi (p. 2-35): sic porro dividitur: christologia *ipsius Christi, s. Pauli, s. Joannis* et *Traditionis antenicænæ;* doctrina Christi de semetipso refertur prius ex Synopticis, deinde ex evangelio s. Joannis. (Hoc facit A. ut demonstratio adaptetur positioni, licet illegitimæ, adversariorum hodiernorum, qui auctoritatem *historicam* denegant quarto evangelio) (2).

---

aura conscience de sa liberté ». Quid est hoc: le rapport vrai entre la chose qu'il veut et sa capacité de vouloir? Conscientia libertatis indifferentiæ, de qua agitur, nonne in hoc est quod homo conscius sit se esse capacem *eligendi* unum, alio recusato? Jamvero si homo eligit, h. e. realiter *vult* unum præ alio, vel *se determinat* ad unum præ alio volendum, non potest ad idem *prius determinari* physice ab ipso Deo.

(1) Quæ quæstio intime connectitur cum explicatione dogmatis de resurrectione hominum. Cf. Billot, *Quæstiones de Novissimis*, Romæ, 1902, p. 156 ss.

(2) Animadvertamus indicata demonstrationis divisione affirmari historicum valorem evangelii s. Joannis, quum distinguatur doctrina *Christi* de semetipso, *relata* a s. Joanne, a doctrina s. Joannis ipsius exposita in prologo Evangelii: nisi enim habeatur Joannes ut fidelis *testis* in *referendo* ea quæ Christo loquenti attribuit, non possimus ex hoc evangelio cognoscere *id* quod ipse Christus docuit de semetipso; quod cæteroquin valet de aliis evangelistis.

In demonstratione non apodicticum videtur argumentum desumptum ex hoc quod Christus propria auctoritate fecit miracula (p. 13), præsertim si admittitur sententia quæ intimam naturam potentiæ Christi explicat per causalitatem ordinis intentionalis: uti exponitur ab Auctore p. 155.

Nec admittenda videtur definitio tradita p. 31: « *Dogma* stricte dictum dicitur *veritas religiosa philosophice expressa* ». Nam 1°/ secundum *usum communem* theologorum, nomine *dogma*, stricto sensu, designatur veritas *revelata* et *ut talis definita* ab Ecclesia; est nempe veritas credenda *fide divina*, sive philosophice, sive non philosophice sit expressa. Cf. Tixe-

Omittitur tractatio de Matris Dei Virginitate, quæ tamen communiter adjungitur thesi asserenti vera generatione ex Maria humanitatem esse assumptam a Verbo. — Dilucide exponitur quæstio de eo quod importat hypostatica unio (p. 42-54) et scholastica controversia de formali constitutivo unionis hypostaticæ, circa quod A. solide defendit sententiam S. Thomæ (p. 54-63): opportune, ut videtur, adjunxisset A. explicationem de hoc S. Thomæ asserto quod unio hypostatica est aliquid creatum, nempe *relatio :* III, q. II, a. 7 (1). — In capite II, quod est de consectariis hypostoticæ unionis, præplacent, quoad ordinem expositionis et claritatem, articulus 1us: de communicatione idiomatum (p. 73-80) et articulus 3us: de unica filiatione Christi (p. 89-97). — Bene exponitur historice origo cultus SS. Cordis (p. 104-106), sed clarius expressisset A. propositionem XVII, de objecto cultu SS. Cordis, si rationem habuisset de distinctionibus positis, p. 98. Approbando refert A. (p. 109 in nota) argumenta quæ, sequentes doctrinam a cl. D. Le Roy expositam, opposuimus sententiæ a R. P. Vermeersch propugnatæ de amore Christi ut objecto formali cultus SS. Cordis (2). — Omnino admittimus Auctoris sententiam de cultu *relativo latriæ* tribuendo imaginibus, cruci, reliquiis sanguinis Christi (p. 111), sed utiliter notatum fuisset esse hac de re diversitatem inter theologos, saltem quoad modum loquendi (3). — Speciali consideratione digna est expositio quam tradit A. de *scientia* Christi (p. 113-133). — Tenet A. humanitatem Christi *substantialiter sanctificari* per ipsam hypostaticam unionem: cui opinioni non adhæremus (4), eo vel magis quod consentimus Auctori

---

RONT, *Histoire des dogmes*, t. I. p. 2. 2v/ Definitio ab auctore proposita excludit multas veritatas *revelatas*, quatenus non sunt expressæ philosophice, et includit multas veritates *non revelatas*, quæ sunt philosophice expressæ et religiosæ. V. gr. thesis de necessitate religionis, philosophice expressa, et solo naturali rationis lumine demonstrata, esset dogma stricte dictum. Apparet magnæ confusioni ansam præbere definitionem ab Auctore propositam.

(1) Cf. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Thes. VIII; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 516. — (2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 514.

(3) Cf. JUNGMANN, *De Verbo Incarnato*, n. 395; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 118. — Mihi videtur dari cultum aliquem *hyperduliæ*, qui sit *specifice* diversus a cultu duliæ: cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 402 ss.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 297.

accrenti *ipsa hypostatica unione*, qua tali, nullam perfectionem, nec habitum, nec operationem, tribui ipsi humanæ naturæ assumptæ. Controversia de *libertate* Christi exacte et nitide proponitur : nulli autem systemati positive adhæret A.

Secunda pars, nempe *Soteriologia*, duo complectitur capita, quorum primum complete exhibet quæstionem de *causa finali* Incarnationis, deinde de ejusdem *necessitate* agit ; alterum de *redemptione* in se spectata : quod iterum dividitur sequenti modo : de munere Redemptoris, de Redemptione terminative spectata seu de bonis per redemptionem acquisitis, de ipso Redemptoris opere. In articulo de munere Redemptoris duo considerantur : munus *mediatoris* (1) et munus *capitis* (2). Ab aliqua obscuritate non immunis videtur illa materiæ divisio : nam ratio *mediatoris* est magis generalis quam ratio redemptoris ; præterea bona, quæ per redemptionem obtinentur, sunt eadem quæ obtinentur per *meritum* Christi et etiam per ejus *sacrificium*, tandem ratio satisfactionis, meriti, sacrificii, redemptionis sunt diversæ rationes formales *causalitatis*, quæ ipsi operi Christi *Salvatoris* insunt. Ideoque aptior videretur hæc divisio : *primo* de *mediatione* Christi, nempe de ipsa *ratione mediatoris* in Christo, et de *bonis* quæ obtenta fuerunt per illam mediationem ; deinde de tribus muneribus quæ Christus, ut mediator exercuit, sc. *sacerdotis*, *prophetæ*, *regis* (3) ; tandem de variis *causalitatis* rationibus quæ *passioni et morti insunt*, sc. de satisfactione, de merito, de sacrificio, de redemptione, cui adjungi potest causalitas *efficientiæ* (4). — Optime demonstrat A. et contra adversarios tuetur valorem *redemptorium* et *satisfactorium* inesse passioni et morti Christi (p. 193-205).

Quas prælaudati operis dotes breviter indicavimus, tales sunt ut sincere exoptemus alios theologicos tractatus concinnatum iri ab eodem auctore.

J. Van der Meersch.

---

(1) Non videtur tenenda distinctio inter mediatorem *naturalem* et *moralem*. Cf. S. Thomas, III, q. XXVI, a. 2.

(2) Hæc consideratio melius, ut videtur, ponitur ubi sermo est de *gratia* Christi : gratia enim *capitis* non realiter differt a gratia *personali* qua formaliter sanctificatur anima Christi. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 229 ss.

(3) Hæc remittit A. ad tractatum *de vera religione*.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 157, 559 ; S. Thomas, III, q. XLVIII.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Ostende quomodo principia fundamentalia de moribus litterariis Prophetarum in ultimo Responso exposita, applicari possint interpretationi prophetiæ Joelis (2, 28-32) prout S. Petrus Act. 2, 15-21 ejus sensum exponit.

II

Explica quomodo præmotio physica, quum suprà, p. 79 exposuimus, non repugnet libertati indifferentiæ.

III

Bertha votum habens simplex castitatis perpetuæ, absque prævia voti relaxatione, sponsalia init et matrimonium.

1° An et quare valent sponsalia et matrimonium; 2° an et quousque potest matrimonio uti; 3° a quonam est dispensatio obtinenda?

IV

An et quousque potest conjux validè et licitè, vovere castitatem; et quid operatur votum sic emissum respectu matrimonii ejusque usus?

V

Breviter expone quid sit tentatio et a quo proveniat.

VI

L'arrêté du 7 thermidor an XI a-t-il restitué aux fabriques les cimetières non aliénés?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii feria V, die 24ª hujus hora 2ª. **Omnes enixe rogantur ut huic cœtui interesse velint.**

***

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

***

Is verschenen bij K. van de Vyvere-Petyt, te Brugge.

Kerkelijke Kalender van het Bisdom Brugge voor 't jaar 1910.

Dit aanbevelensweerdig werkje wijst al de Oratiën en bijzonderheden aan der H. Mis van *iederen dag* en der Vespers van alle *Zon-* en *Feestdagen.* Het bevat daarenboven een aantal liturgische aanteekeningen over kerkplechtigheden, feestdagen, Requiemmissen, commemoratiën, enz. In-32, 64 bl. Prijs: 0,15 fr. het stuk; 1,20 fr. voor 12.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. Potuerunt hagiographi, salva inerrantia S. Scripturæ, omnis generis tropis seu figuratis loquendi modis uti, imo libros librorumve partes in stylo poetico exarare. Hanc propositionem explica, indicando præcipuos fontes unde hagiographi hebræi figuratos suos dicendi modos deprompserunt.

R. I. **Prænota** ut nexus præsentis Responsi cum iis quæ hucusque de natura inspirationis, necnon de inde consequente inerrantia S. Scripturæ disputavimus, clarius pateat: 1/ Inspiratio divina, nedum ullam speciem litterariam a priori excludat, variæ genera in litteris profanis usurpata, variasque scribendi methodos patitur, iis profectò exceptis, quæ per se in errorem ducerent. 2/ Cum hagiographi sub motione Dei fuerint instrumenta viva, rationalia ac libera; cùm præterea opus Dei perfecerint exercendo actionem propriam, singulorum indoli, culturæ cæterisque temporis locique adjunctis proportionato, præsumendum est varia genera litteraria, apud antiquos Hebræos decursu temporis adhibita, in Scripturis reperiri (1). 3/ A determinatione speciei litterariæ maxime pendet interpretatio Scripturæ, np. solutio quæstionis quænam judicia hagiographus proferre voluerit, et quodnam sit eorum objectum seu quisnam sit eorum sensus ab eo intentus.

II. **Explicatur propositio.** 1/ *In libris sacris tum maxime V. T., tum etiam N. T., multos tropos seu frequentes locutiones figuratas adesse notum est.* Jam suo

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 401 ss.; 568 ss.

tempore scribebat S. Aug. (1) : « Sciant litterati modis omnibus locutionis, quos grammatici græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse. Quos tropos qui noverunt, agnoscunt in Litteris Sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas adjuvatur ».

Tropi præsertim occurrunt in libris poeticis (2) V. T., qui sunt liber Job, liber Psalmorum, liber Proverbiorum, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, liber Sapientiæ et Ecclesiasticus. Amant autem (3) poetæ hebræi constructiones audaces et vividas, ellipses, dramaticum quemdam describendi modum. Omnes procul dubio omnium nationum poetæ metaphoris, allegoriis, prosopopoeis aliisque figuris carmina sua exornant. At verò in sacra poesi earum usus et longe frequentior est et pulchrior, ità ut nusquam fere earum virtus adeo splendeat. Hi septem libri vix non totidem sunt poemata vel poematum collectiones (4). Attamen libris historicis V. T. nonnulla carmina sunt inserta, atque prophetarum vaticinia (5) haud pauca poeticis operibus sunt adnumeranda, quin tota eorum dictio ad poeticam proxime accedit. Præterea, multum abest quin tropi e N. T. (6) penitus sint excludendi.

Quam troporum frequentiam et audaciam non adeo mirabitur, qui secum reputans hagiographos juxta mores litterarios sui temporis, suæque regionis scripsisse, ex alia parte perpendet indolem populorum orientalium, qui vividiore imaginatione præditi esse solent. Ita quæ nos sermone proprio exprimimus, ii tropice expresse-

---

(1) *De doctr. christ.*, **3**, 29.

(2) Sic vocantur propter hanc formam externam. Ordinarie *sapientales* seu *morales* vel *doctrinales* seu *didactici* appellantur, ratione scil. argumenti quod tractant et finis proximi quem prosequuntur.

(3) Ut notat Cornely, *Introductio in U. T. libros sacros*, t. II, 2 (Parisiis, 1887), p. 32.

(4) Ita Cornely, *o. c.*, p. 1.

(5) Haud excepto libro Apocalypseos in N. T.

(6) Ut vel de solis *parabolis* Synopticorum loquamur. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 495 ss.

runt atque in dies exprimunt, troposque nostris audaciores usurpant.

Hagiographi autem figurato dicendi modo usi sunt tum ornatus causa, tum ut veritates quasdam magis inculcarent, tum etiam ut lectorum animos efficacius moverent. « Convenit sacræ Scripturæ, ait S. Thomas (1), quæ communiter omnibus proponitur, ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei ».

2/ Quod autem hagiographi, *salva Scripturæ inerrantia*, omnimodis tropis uti potuerint, satis patet, cùm in tropis non sensus litteralis et materialis verborum, sed solus sensus figuratus intendatur, isque tantùm sit objectum judicii. Principium hoc obvium est, applicatio tamen ad casus particulares sæpe difficilis, ità ut hodiedum (2) de pluribus Scripturæ dictionibus disputetur, sintne accipiendæ proprie et litteraliter, an vero figurate.

Ut autem sensus quidam figuratus ut verus et genuinus S. Scripturæ sensus admitti possit, duo requiruntur: a/ certa argumenta tropum adesse suadere debent; b/ tropus accurate exponatur necesse est.

a/ *Ratio* prioris regulæ patet. Propria enim vocabulorum significatio naturâ prior est quam metaphorica, quæ ornatus, delectationis vel necessitatis causâ adhibetur. Unde auctor quilibet proprie loqui præsumendus est, nisi aliud constet. Tropi autem præsentiam manifestant (3):

α. Comparatio prædicati cum subjecto: tropus adest si

---

(1) *Summa theol.*, I P., q. 1, a. 9. Cf. ZAPLETAL, *Hermeneutica biblica*, Friburgi H. 1908, p. 103.

(2) Ad rem observat ZAPLETAL, *o. c.*, p. 104 jam Apostolos aliosque Christi auditores interdum ea quæ tropice dixerat, in sensu proprio intellexisse et vice-versa. Sic quæ Christus tropice de Pharisæorum fermento asseruerat, de pane communi exponebant. et nonnisi serius Christi discipuli cognoverunt, de suo corpore eum enunciasse illud: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (*Jo.* **2**, 19 ss.).

(3) Cf. ZAPLETAL, *o. c.*, p. 105.

prædicatum subjecto *proprie* convenire non potest, ut cum dicitur: « lapides clamant », « montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium ».

ε. Sæpe contextus docet, num locutio sit propria an figurata.

γ. Scopus auctoris et indoles libri: tropi potius expectantur in libris poeticis et propheticis quam in historicis, ubi tamen etiam reperiri possunt (cf. dicta sub 1).

δ. Loci paralleli. Sic Christus apud *Jo.* **11**, 14 aperte Lazarum mortuum esse profitetur: ex quo patet dictum v. 11 « Lazarus amicus noster dormit » figurate de somno mortis esse exponendum.

b/ Ut autem tropus *recte exponatur,* præprimis (1) necesse est inquirere a quanam re figurata locutio desumatur. Unde breviter indicantur:

3/ *Fontes præcipui unde hagiographi Hebræi tropos suos desumpserunt.* Sunt quatuor: res naturales earumque phænomena; mores et consuetudines in vita quotidiana occurrentes, religio et res sacræ, historia (2).

a/ *Res naturales et naturæ phænomena* sunt Hebræis scriptoribus fons jugiter scaturiens. Neque id mirum: populus enim pastoritius et agriculturæ deditus, qualis erant Israelitæ, de natura eum indesinenter circumdante facile loquitur, atque in sermone tam scripto quam orali ex ea imagines haurit. Hinc astra et terra, montes et valles, maria, fluvii et fontes, tempestas, pluvia, ros, nix, grando, lapides, silvæ, plantæ (3) et animaliá tam sæpe in V. T. occurrunt scriptoribusque inserviunt ad

---

(1) Cætera requisita videsis apud Zapletal, *o. c.*, p. 105 ss. Recte monent plures in tropicis sermonibus, allegoriis, parabolis etc. multa admixta esse, quæ non ad rem significatam, sed unice ad perfectionem imaginis atque ad ornatum sermonis spectant. Hujusmodi adjunctorum, quorum nulla ad summam rei relatio est, significatio symbolica pariter est nulla, adeoque minime quærenda.

(2) Cf Cornely, *o. c.*, p. 32 ss.; Zapletal, *o. c.*, p. 105 ss.; Lesêtre, *Le livre des Psaumes,* Paris, 1883, p. II ss., Bacuez et Vigouroux, *Manuel Biblique,* t. II (Paris, 1906), p. 260 ss.

(3) Ita in V. T. ultra 250 inveniuntur nomina botanica, quibus nemo frequentius utitur poetis.

res alias depingendas seu symbolice significandas (1). Natura vere mater fuit et nutritia poeseos hebrææ.

b/ *Mores et consuetudines vitæ quotidianæ* quæ apud Hebræos erat admodum simplex sibique constans. Vitæ pastoritiæ primum dediti, postea etiam agros colebant, ità tamen ut semper prompti essent ad hæreditatem suam divinitus acceptam, armis defendendam. Hinc ex vita pastoritia, rustica et militari arte multi tropi desumuntur. Ita cœlum tentorio comparatur (*Ps.* 103, 2); filia Babylonis areæ (*Is.*, 51, 33); frequens est imago paleæ quam ventus abripit, tribuli quo hostes conteruntur, vineæ cui Israel assimilatur etc.

c/ *Religio et res sacræ* pariter uberrimus fons imaginum fuerunt. Religio enim legibus suis totam vitam publicam et privatam regebat, ità ut sub regimine populi theocratico, vix quidquam esset mere profanum. Cultus coram Tabernaculo et in Templo erat magnificentissimus, ipsique tribus integra erat consecrata. Hinc multi tropi desumuntur ab arca fœderis, a sanctuario, a sacrificiis, a vestibus sacris sacerdotum, maxime Summi Pontificis. Hinc etiam peccati abolitio sub imagine deletæ immunditiei leviticæ repræsentatur (*Zach.* 13, 1); cultus divinus a Messia introducendus, ut juge sacrificium et ministerium leviticum depingitur (*Jer.* 33, 8).

d/ *Historia populi Hebræi* aliud troporum fundamen-

---

(1) « La *pluie* et la *rosée* fournissent les plus beaux tableaux sur la liberalité, la bonté et la prévoyance de Dieu ; la prière ardente et l'espoir de la voir exaucée sont comparées à la soif, à la soif qui brûle et qui dévore. (*Ps.* **41**, 3; **52**, 2; **67**, 10 etc.) ». « Le seul mot *lumière* sonne haut dans leur langue; il est le symbole de toutes les joies, de toutes les félicités. Plus leur poésie rend les ténèbres effroyables et terribles, plus elle donne d'éclat aux yeux brillants du jour, et de charme aux douces paupières de l'aurore. Toutes les peintures du crépuscule se rattachent à des pensées d'attente, d'espoir, de désir, que l'aurore vient réaliser. *Ps.* **62**, 2; *Prov.* **4**, 18; *Is.* **9**, 2 ». Herder, *La poésie des Hébreux*, Paris, 1845, p. 57, 55. — « Quelle ravissante peinture que celle de cet âge d'or des temps messianiques, où tous les animaux des mœurs les plus opposées vivent dans une commune paix *Is.*, **11**, 6 ». Cf. Lesêtre, *o. c.*, p. IV.

tum præbebat. Hinc, maxime in Psalmis et libris Prophetarum, frequentes occurrunt imagines depromptæ a magnis historiæ eventibus et factis miraculosis quibus Deus populo suo adstitit. Ita chaos (*Gen.* 1, 2) Jeremiæ (4, 23 ss.) imago est futuræ vastitatis terræ sanctæ; diluvium et excidium Sodomæ imago sunt pœnarum malis irrogandarum (*Is.* 24, 18; 34, 8 ss.; *Ps.* 10, 7). Pariter servitus Ægyptiaca, transitus per mare rubrum, miracula in deserto patrata, mons Sinai haud infrequentes imagines præbent.

Corollaria. I. Ex dictis intelligitur apud Hebræos certam quamdam normam imaginum sua sponte esse exortam, easdemque res (multo constantius quam apud alios populos, ab hoc singulari populo sub vario respectu diversos) iisdem ideis figurandis inserviisse.

II. Ex peculiari indole et cultura populi Hebræi pariter intelligitur, ejus scriptores et poetas pluris æstimasse res quas nos viles, imo forsan nimis humiliores habemus et vice-versa (1). Et recte jam monuit Lowth (2): « quod si cui male delicato sordere nonnunquam videantur hujusmodi rerum species, quasi scil. oleant plebeculam et stercus, id suæ tribuat ignorantiæ, qui ex sui sensus modulo antiqua æstimet ». Apud Hebræos enim, quibus Scriptura erat proxime destinata, nemo vel amplissimus indecorum aut se indignum putabat etiam infimis rustici operis negotiis vacare; ab aratris et gregibus reges, duces, prophetæ ad augustissima et sanctissima munera obeunda sunt vocati (3).

A. Camerlynck.

---

(1) Sic, ut notat Zapletal, *o. c.*, p. 104: Joseph *primo-genitus tauri* appellatur *Deut.* **33**, 17, Issachar *asinus ossis* i. e. robustus (*Gen.* **49**, 14), natio *juvenca pulchri oris* dicitur (*Jer.* **46**, 20).

(2) *De sacra poesi Hebræorum*, Oxonii, 1753, p. 71.

(3) Ita fere apud Cornely, *o. c.*, p. 33.

II

Q. *Explica* quartum *modum, quo Deus operatur in omni operante, et qui consistit in hoc quod Deus influit* esse *actionis creaturæ.*

R. Suprà, p. 14 s., demonstravimus omnem creaturam, *ut incipiat agere*, indigere applicari a Deo ad agendum; etiam suprà, p. 79, exposuimus cur hæc applicatio ad agendum consistat in *præmotione physica.* Nunc ulterius consideramus ipsam creaturæ *actionem,* prout hæc egreditur e sua causa proxima, nempe ex facultate operativa creaturæ agentis, et dicimus: hæc actio est 1/ aliqua entitas, aliquod *esse*, 2/ est esse *determinatum* seu *specificatum.*

Jamvero actio prædicta, quatenus est aliquod *esse*, ut propriam causam habet ipsum *Deum;* quatenus est esse *tale* a *creatura* proprie causatur. Hæc duo sunt explicanda.

1. Omne agens secundum, dum agit, attingit effectum, qui soli Deo competit secundum *propriam Dei virtutem,* nempe rationem *entis.* Ergo agens secundum nequit *propria virtute* attingere effectum illum, nempe *esse,* sed tantum virtute Dei influentis in ipsa actione. Quæ veritas optime a S. Thoma exprimitur his verbis: « Quod nihil dat esse nisi in quantum agit in virtute divina » (1).

Etenim: actio ipsissima creaturæ est aliqua entitas, aliquod esse: si igitur creatura incipit agere, producitur aliquod novum *esse* accidentale, quod prius non erat. Jamvero omne esse est *effectus* PROPRIUS Dei quia Deus est esse per essentiam: a quo omne *esse* finitum, limitatum, contingens oportet ut fiat tamquam effectus illius proprius, sicut ignire est proprius effectus ignis (2).

---

(1) *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 166. Cf. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ,* Parisiis, 1886, p. 36.

(2) Cf. S. THOMAS, I, Q. VIII, a. 1; PÈGUES, *Commentaire français*

Ergo in creatura non solum esse substantiale, sed etiam omnis operatio attingitur tamquam effectus proprius a Deo. Deus porro hunc effectum attingit *præmotione physica*, qua creatura constituitur actu *agens*, et consequenter virtute *ipsius propria*, ut *instrumentum* Dei, etiam attingit actionem ipsam, ut statim explicabitur.

2. Creatura in se habet facultates operativas, quæ in ipsa habent esse ratum et firmum : ab illis facultatibus habet *actio* creaturæ præcise ut sit *tale* esse : v. gr., actio, quæ ex intellectu egreditur, est *intelligere;* actio, quæ ex voluntate egreditur, est *velle;* præterea ipsæ actiones determinantur conditionibus in quibus, in concreto, versantur facultates operativæ dum actu agunt : inde, ut loquitur S. Thomas, actio secundi agentis est *particulans* et *determinans* actionem primi agentis (1). Jamvero actio præcise quatenus est *talis*, seu *tale esse*, procedit a virtute *propria* ipsius creaturæ et hæc est causa *principalis* quantum ad *hanc formalitatem* effectus. Quatenus vero actio creaturæ est *esse*, non procedit a virtute propria creaturæ, sed a virtute *propria Dei*, et quantum ad hanc formalitatem creatura est causa *in-*

---

littéral de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin, t. I, Toulouse, 1909, p. 236.

(1) « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est *esse*. Nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est *proprius* effectus *primi agentis*, et omnia alia agunt ipsum in quantum agunt in virtute primi agentis. *Secunda* autem *agentia* quæ sunt (causæ) *quasi particulantes et determinantes* actionem primi agentis, agunt sicut *proprios* effectus alias perfectiones quæ *determinant esse* ». S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. III, c. 66. Et hunc locum interpretatur Ferrariensis sic : « Hoc non est sic intelligendum quasi secundaria agentia aliquid erga divinam actionem *ut in se est* operarentur, cum sua actio sit sua substantia, sed intelligitur, ut ex superioribus constat, secundum quod ipsa mediantibus causis secundis ad effectum aliquem determinatur. Sic enim virtus divina et actio, *secundum quod in secunda causa recipitur*, accipit limitationem et determinationem ex conditione causæ secundæ tamquam ex *susceptivi* conditione : quia unumquodque recipitur in alio per modum recipientis ». Cf. *o. c.*, l. c., c. 70; de Régnon, *La métaphysique des causes*, 2de Edit., Paris, 1906, p. 568 ; Pègues, *o. c.*, t. III, p. 54 ss.

strumentalis Dei : quatenus nempe Deus in ipsa actione influit *esse* illius actionis.

Audiamus S. Thomam : « Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti : et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenitur quod est ens et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus ; secundum omnibus rebus naturalibus ; tertium in una specie ; et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie nisi prout est instrumentum illius causæ quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil aget... ad *esse* nisi per virtutem Dei. Ipsum enim *esse* est communissimus effectus primus et intimior omnibus aliis effectibus ; et ideo soli *Deo* convenit secundum *virtutem propriam* talis effectus » (1). « Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen ut esset in ea forma permanens, non autem ei dari potuit quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum ; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, *non* autem *vis* qua agit *ad esse*... nisi daretur ei quod esset universale essendi principium » (2).

Corollarium. Deus præmotionem physicam immediate, tum immediatione suppositi, tum immediatione virtutis, influit creaturæ. Actio porro creaturæ, considerata ut egrediens a causa sua proxima, attingitur immediate a/ a *Deo* immediatione *virtutis,* b/ a *creatura,* immediatione *suppositi,* quatenus creatura est *coagens* Deo, particulans propria virtute actionem (3), et etiam

(1) *De Potentia,* Q. III, a. 7.
(2) *Ibid.,* ad 7.
(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ,* in

immediatione virtutis, quatenus propria creaturæ virtute determinatur seu specificatur actio. Et sic refutatur secunda objectio quam Molina afferebat contra sententiam S. Thomæ. V. suprà, p. 47, p. 80, nota 3.

Nota. Dei actio qua influit *esse* actionis creaturæ non est *creatio,* sed *eductio* actionis *ex potentia* operativa (1), seu modificatio subjecti existentis in propria sua et naturali virtute : ad quam modificationem *cooperatur* ipsa creatura, ut *instrumentum,* quatenus mota a Deo, influit id quod est particulativum et determinativum entis (2). De modo quo creatura est instrumentum Dei postea agemus. — Hic notemus a) influxum Dei in omni operante creato esse positive debitum creaturæ et proinde naturalem ; b) quando agitur de operatione *supernaturali,* influxus quo actio est *supernaturalis* unice a Deo venit.

J. Van der Meersch.

Collat. Brug., t. VII, p. 222, 426; Dummermuth, *o. c.*, p. 38; Buonpensiere, *Commentaria in I P. Summæ theologicæ,* Romæ, 1902, n. 407. — Est igitur aliqua differentia, quoad immediationem, inter influxum quo Deus formaliter *applicat* ad agendum et influxum quo influit *esse*.

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, t. VI, p. 575.

(2) Cf. Billot, *De Gratia,* Romæ, 1908, 1908, p. 18. « La production directe de l'être en tant qu'être ou d'une façon absolue, qui constitue la création et l'action propre de Dieu, à l'exclusion de toute coopération de la créature, c'est l'action qui a eu lieu au commencement, quand rien n'était, ou à chaque fois pour l'âme humaine. Mais en dehors de ce double cas, dans les autres productions d'être, qui ont lieu chaque fois qu'un être ou un mode d'être nouveau paraît dans le monde, il y a bien, de ce chef, action du premier Etre, mais ce n'est pas une action *totalement nouvelle* de sa part ; c'est plutôt la continuation d'une première action, dans l'engrenage de laquelle entrent les causes secondes, et où elles trouvent la vertu instrumentale de produire *de l'être* en produisant *tel* être par leur vertu propre ». Pègues, *o. c.*, p. 61-62.

III-IV

Q. *Expone quid apud varii generis pœnitentes veniat nomine* pravorum sermonum *et* pravorum cantuum. *Adde quousque soleant pœnitentes talia qua mala apprehendere.*

Dictorum sermonum et cantuum dijudica moralitatem objectivam, et modum practicum agendi confessarii erga pœnitentes in casu assigna.

R. *Ordine sequente* quæsitis respondemus:

I. **Theoretice.** Quid sint sermones cantusve pravi, et quænam eorum moralitas objectiva exponitur.

II. **Practice.** In quibusnam forte fideles minus recte concipiant sive ipsam notionem sive rei malitiam inquiritur, et erga ipsos ratio agendi confessarii assignatur.

Ad I. Sermo vel **cantus pravus** seu turpis (1) illi sunt qui pro materia habent res venereas, quæ ideo turpes dicuntur quia assumi possunt in materiam peccati turpis seu obscœni.

Talis autem sermo vel cantus spectari potest dupliciter:

1°/ **Secundum se et abstracte,** in quantum unice dicit: loqui vel cantare de re venerea, — præscindendo ab actibus subjectivis comitantibus, vel effectibus qui ex eo sequuntur, etc. Sic autem, ut patet, peccatum non sonat, sed est aliquid indifferens, quod pro variis adjunctis poterit esse vel grave peccatum, vel leve tantum, vel etiam nullum, imo actus bonus et meritorius. — Hinc ad dijudicandam moralitatem objectivam horum actuum, necessario adjuncta sunt spectanda.

2°/ **In concreto,** cum omnibus adjunctis quibuscum de facto poni contingit. Nimirum:

a/ Sermonem cantumve pravum comitari possunt, et

---

(1) Nonnumquam « pravos » sermones aut cantus vocant fideles etiam eos qui aliis virtutibus præter castitatem adversantur, præsertim fidei vel religioni, puta qui proferuntur in odium rerum sacrarum, ministrorum cultus, etc.

frequenter comitantur varii *actus interni* peccaminosi: delectatio morosa, gaudium, desiderium, illicita (1). Quo casu, horum actuum internorum, ut patet, necessario contrahetur malitia (2).

b/ Sermo pravus elici potest *eo fine pravo* ut in *seipso* loquente excitetur vel foveatur libido illicita de eaque gaudeatur. Quo casu iterum semper adest grave peccatum contra castitatem, et quidem contra obligationem directam castitatis: « non ipse violabis castitatem ».

c/ Item *eo fine pravo* ut *in audiente* libido excitetur, utque audiens hoc modo ad peccatum seducatur. — Quo casu adest peccatum scandali directi, adeoque peccatum tum contra obligationem indirectam castitatis (3): « non facies violari castitatem per alium » (4), tum contra caritatem.

Sepositis jam casibus quibus simul adsunt actus pravi interni, vel finis pravus, de quibus nulla difficultas, possunt nihilominus ex sermone vel cantu prolato oriri variæ *sequelæ* ulteriores. — Hinc

d/ Ex sermone vel cantu pravo, potest oriri *pro ipso loquente* majus minusve grave *periculum peccandi* contra castitatem: potest enim excitari imaginatio obscœna, possunt excitari passiones appetitus inferioris, sicque creari tentatio adeoque periculum transeundi ad peccata varia interna vel externa, puta ad consensum in delectationem veneream subortam. — Hujus periculi

---

(1) Dicimus *illicita;* juxta dicta supra, pp. 81 ss.

(2) Circa speciem theologicam et moralem horum actuum, vide supra, l. c.

(3) Apparet simul adesse posse species alias, ut si persona cujus peccatum intendis, sit conjugata, sacra, etc.

(4) Hoc peccatum a proximo commissum, proferenti sermonem imputatur tanquam peccatum externum vel tanquam peccatum internum, prout, spectatis adjunctis, sermo vel cantus haberi potest qua stricte inductivum, per modum veræ causæ moralis (si nim. æquivaleat suasioni, jussioni), vel tantum qua late inductivum, per modum dispositionis vel occasionis. Vide *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 535 ss.

gravitas a multis pendet, et signanter a dispositionibus subjectivis, ætate, educatione accepta, physica complexione; a rebus narratis; a fine quem loquens intendit, quo modo minus movent quæ narrantur ex levitate, ex joco, ex vanitate, etc.; a modo moroso, practico, vivido narrandi; a sympathia vigente inter ipsum et audientem; a variis adjunctis, quemadmodum eo remotius solet fieri periculum quo quis rationabiliorem habet utilitatem vel necessitatem talia turpia eloquendi vel cantandi; etc.

Porro qui sic deliberate se exponit periculo *proximo* peccandi, contrahit peccatum grave internum affectus, ejusdem speciei ac peccatum quod timetur; quodsi reipsa sequatur peccatum quod timebatur, affectui qui præcessit additur vel ut novum peccatum distinctum, vel ut executio tantum si affectus censeri possit perseverasse. Qui vero se exponit periculo *remoto* tantum, venialiter peccat; imo nullatenus peccat, si adest causa sufficiens ponendi causam, et sic permittendi illud aliquale periculum peccandi.

e/ Ex iisdem sermone vel cantu, potest *pro audiente* oriri *periculum peccandi* contra castitatem. — Cujus periculi gravitas iterum a multis pendet, ut dictum est sub d/; quibus addi potest periculum scandali eo gravius esse quod turpia audiuntur ex ore eorum qui auctoritate aut statu aliis præsunt, et viam ostendere habent virtutis.

Porro qui deliberate, sermonibus suis, audientem exponit periculo *proximo* peccati, — nisi adsit causa sufficiens permittendi hanc pravam sequelam, — reus existit peccati scandali indirecti, seu non intenti, adeoque peccati contra caritatem; si vero *remoto* tantum periculo audientem exponit, levem tantum reatum incurrit.

f/ Tandem ex iisdem potest pro loquente (sicut et pro audientibus) oriri periculum *effectus venerei*, nimirum commotionis carnalis, imo forte, ob specialem

dispositionem subjectivam, adeoque per accidens, ipsius pollutionis. — Propter quem effectum, nulla imputabitur culpa, quoties adest ratio quædam, quæ magna non requiritur, causam ponendi; omni vero ratione deficiente, effectus venereus prævisus ad culpam tantum levem imputatur (1).

Nota. In expositis unice attendimus ad varia capita ex quibus sermones vel cantus turpes possint adversari virtuti *castitatis*, vel saltem ad talia peccata inducere. — Revera *per accidens*, et in praxi non raro, etiam aliunde accedere possunt malitiæ, ut si quis turpi suo vel minus honesto sermone noceret ministerio rebusque curæ suæ commissis; vel si quis, sic dictis « scurrilibus » uteretur tanquam ludo « vel temporibus, vel in locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, seu personæ » (2), quod erit per se peccatum veniale, per excessum ludi, oppositum virtuti eutrapeliæ; vel si quis, dum turpia narrat de determinatis personis, famæ earum detraheret; vel si quis mere externe jactaret de peccato a se contra castitatem commisso vel committendo (3); etc.

Conclusio. — Ex dictis sequitur sermones cantusve pravos

1°/ ubi adsunt simul **actus pravi interni** vel **finis pravus**, esse semper *graviter malos;*

2°/ ubi ex iis sequuntur **effectus pravi**, in ipso loquente vel in audientibus, esse

a/ *graviter* malos ubi quis seipsum exponit periculo proximo peccandi vel, sine causa sufficiente, proximo creat proximum periculum graviter peccandi;

(1) Juxta exposita apud *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 532 ss., 597 ss., 673 ss.

(2) S. Th., 2-2, q. 168, a. 3.

(3) Probabile est *jactantiam* qua talem, sine complacentia in re ipsa, non variari specie pro varietate objecti de quo jactatur, adeoque sufficere declarationem in confessione: « Gloriatus sum de peccato mortali ». — Est nim. peccatum gravis irreverentiæ in Deum. Cfr. Ill. Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp.*, p. 317. — Practice tamen simul adest interna complacentia de peccato, et sæpe additur scandalum adstantium.

b/ *leviter* malos, ubi quis, sine sufficiente causa, seipsum vel proximum exponit periculo remoto peccati contra castitatem, vel periculo cuivis meri effectus venerei;

c/ *nullatenus* malos, sed bonos et virtutis actus, in aliis adjunctis, ubi nim. adest causa honestans tales sermones vel cantus (1);

3°/ ob varia **adjuncta accidentalia**, *accidentales* addi possunt malitiæ, eæque plus minus graves.

Ad II. Quid ipsi fideles nomine pravorum sermorum aut cantuum intelligant, et præsertim quid circa malitiam eorumdem æstimare soleant, non ita facile est determinatu. Unde **confessarii** erit, assueti regionis et personarum adjunctis, sensum moralem sibi de conscientia pœnitentium efformare. — Quocirca hæc notari posse videntur prius generalia, deinde speciatim applicanda variis fidelium classibus.

In genere, salvis infra dicendis, multi fideles, specierum quidem *moralium* accuratam notionem non habent, sed in dijudicanda specie *theologica* seu gravitate, satis accedunt ad supra, sub I, exposita.

Et revera in hac dijudicanda duobus attendere videntur: tum a/ **rei** de qua sermo habetur tum b/ **personæ audientis**. Et revera

a/ qua graviores habent sermones de actu carnali, de seminatione, de variis peccatis contra castitatem committi possibilibus, de modo procurandi pollutionem, agendi onanistice, etc. Ut leviores vero sermones et quasi lepide aut ingeniose aut ludicre dictos, tanquam materiam recreationis non ita vetitæ, quæ de choreis institutis, de procationibus, de rebus mundanis vel amatoriis conferunt, sicut et illa quæ obiter et ex joco edicunt de rebus magis obscœnis; unde de his solent potius se accusare nomine sermonis levioris, petulantioris, rustici, etc.

---

(1) Difficilius sane aderit causa pro cantu quam pro sermone.

b/ Item qua graviores habent sermones quos habent adulti coram pueris vel innocentibus; unde non raro absentiam talium in confessione allegant qua rationem alleviantem. Ut graviores habent sermones quos viri cum mulieribus, quos conjugati cum solutis; unde ad malitiam minuendam notant se eos habuisse cum conjugatis ejusdem sexus, vel non coram personis alterius sexus, etc.

Confessarius practice sequentia præ oculis habeat:

1/ Qua *judex* interdum inquirendum habebit de numero, gravitate et qualitate peccatorum admissorum. — Quod, pro varia specie pœnitentium, parce, caute, et caste, præstabit inquirendo: de materia sermonum: sic valde obscœna, extra adjuncta specialia, non dicuntur quin una alterave ratione adsit peccatum grave; de fine intento a loquente; de persona audientium; de pravis sequelis, utrum inde ipse vel proximus in peccatum fuerit inductus.

2/ Qua *doctor* doceat illos qui grave æstimant quod grave non est, ne jam ex falsa conscientia peccent; sed etiam doceat illos qui leve æstimant quod grave est; id enim exigit tum bonum proprium pœnitentis, inspecto np. periculo peccandi cui sic se exponit, tum bonum audientium, inspecto np. nocumento quod turpiloquia ipsis inferre nata sunt.

3/ Qua *medicus,* pro opportunitate, doceat varias rationes malitiæ supra expositas, ex iisque occasionem sumat excitandi ad dolorem de peccatis admissis et ad voluntatem dictos sermones in futuro vitandi. Potissimum insistat in scandalum quod a turpiloquio procedit (1). Innuat gravissima anathemata a Christo in scandalizantes lata; innuat audientes turpiloquia, non

---

(1) Ne tamen hic exaggeret dicendo tot semper peccata scandali committi quot personæ sunt audientes; imo turpiter loquentem reum fieri omnium peccatorum quæ ab audientibus, quinimo ab iis qui ab istis scandalum sument, committentur.

ita forte bene dispositos esse sicut loquens illos reputat, etc. — Opportunas occasiones arripiat docendi patres familias, heros, magistros, alios in auctoritate constitutos, tabernarios, etc. officii ipsis incumbentis turpiloquia liberorum, subditorum, etc. pro posse impediendi. Insistat in necessitate impugnandi respectum humanum, etc. — Cfr. dicenda in specie de variis speciebus pœnitentium.

In specie sequentes variæ species pœnitentium distingui possunt:

1/ Pœnitentes **vitio luxuriæ** sive solitario sive cum complicibus **habitualiter dediti.**

Solent hi ea quæ qua turpiloquia confitentur habere qua graviter mala ; et jure merito, ut apparet ex applicatione dictorum sub I: frequenter enim simul nutriunt animum luxuriosum, moventur fine luxurioso, sibi ipsi et audientibus sunt occasio vel causa ruinæ spiritualis.

Confessarius ne sit valde anxius circa numerum, objectum, speciem peccatorum sic forte contractorum, sed morali judicio de illis præsumat juxta frequentiam et speciem peccatorum cæterorum. Revera non apparet quomodo possent tales pœnitentes ad amussim status sui notionem habere, nec proin tenetur confessarius circa ipsum multum inquirere; cæteroquin difficilius constabit quousque dicti sermones sint specifice aut numerice a peccatis cæteris accusatis distincti. — Attamen, tum ut ipsum avertat a turpiloquiis, tum ut provideat aliis, forte innocentibus, per hæc turpiloquia scandalizandis, generalibus verbis inquirat de qualitate audientium, et exinde desumat motivum præcipuum eos a turpi sermone avertendi.

Nota. Pœnitentes *interdum* tantum in peccatum incidentes, accuratius interrogentur: de frequentia, de materia (præcipue: an de *peccato* locutus es), de fine, de audientibus aut sequelis.

2/ **Conjugati,** in matrimonio honeste viventes.

Solent hi turpiloquia (1) sua minus severe judicare, saltem ea quæ *inter se* conferunt de rebus etiam valde obscœnis, sed conjugatis *licitis;* cogita operarios conjugatos, eidem labori vacantes. — Et merito quidem: cum enim ipsis multo plura liceant, facilius deerit periculum transeundi ad actus graviter sibi illicitos, facilius deerit intentio alios ad peccandum seducendi (2); ex mero joco, ex levitate, ex curiositate loquuntur. — Contra sermones quos habent ad personas alterius sexus, vel *ad solutos* vel *coram pueris*, vel eos qui versantur circa opera ipsis *illicita*, qua graviores reputant. Unde non raro dum se de turpiloquio accusant notant defuisse pueros; se talia dicere mere jocose, dum laborant, simul cum aliis conjugatis ejusdem sexus; se ex illis nil mali perpetrasse aut intendisse.

Confessarius practice præsertim circa audientes et circa scandalum inquirat; tum interdum, etiam ubi agitur de sermonibus quos *inter se* conferunt, de *materia* sermonum: non raro enim, nostris diebus, his turpiloquiis docentur et addiscuntur nefandæ methodi onanismi; quam interrogationem potissimum faciat, quando ex aliis peccatis audit agi de pœnitente dedito huic misero vitio.

3/ **Pueri** rei venereæ et originis humanæ adhuc ignari.

Hi non raro sub locutione: pravi sermones, intelligunt et grave reputant quidquid dicant vel audiant de rebus minus tantum decentibus, de talibus partibus corporis, de physice sordidis; imo non raro verba duriora, inurbana, blasphemias truncatas. — Nec mirum! Audiunt enim in catechesi et instructionibus, in materia prava non dari parvitatem, et *quid* sit materia venerea non

(1) Sane agitur non de iis quos inter se vir et uxor conferunt, sed de illis quos varii conjugati inter se.

(2) Unde his applicabis quod S. Alphonsus, post Salmant. (Tr. 26, c. 3, n. 19) notat « dicteria turpia quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus et mulionibus, non esse mortalia, quia ludiere dicuntur et audiuntur ». Lib. III, n. 426.

nitide percipientes, jam ad indebita principium generale extendunt.

His pueris assimilari possunt non pauci *adultiores*, jam circa rem veneream edocti, potissimum puellæ, vel qui honestioris conditionis vel qui scrupulosi, vel imo etiam ipsi qui peccata venerea jam edocti existunt; qui omnes non raro ipsum nudum factum de rebus venereis loquendi, puta de partibus corporis, de origine humana, de partu, de menstruis, etc. qua quid grave apprehendunt. — Hinc habes hos pueros vel adultos ipsis assimilandos, dum de pravis sermonibus se accusant, nullam solere addere explicationem aut restrictionem, qua ostendant se non omnia saltem ut æque gravia habere.

Confessario practica ratio agendi sæpe molesta erit. Rarius poterit directe inquirere *quid* dixerint; unde potius indirecte inquirat, puta : Cum quibusnam de his locuti sint? Utrum cum malis sociis? Utrum diu? Utrum fuerint *omnino* obscœna? Utrum inde inductus in peccatum, puta operis, aut desiderii? Utrum locutus sit de *peccato* committendo? Utrum cum altero sexu? etc.

Quos invenit esse aliunde a peccato gravi, præsertim externo, immunes, poterit passim qua laborantes conscientia erronea habere; eos proin doceat, puta : « Sæpe ea quæ vocantur sermones pravi, non sunt graviter mala; sæpe dicuntur ex levitate, ex joco, ex curiositate, ex necessitate; quin loquentes ulterius malum quid intendant. Utique, si non datur necessitas, melius est de talibus non loqui; possent enim te ulterius ducere et *sic* esse revera mala ». — Eos præsertim præmuniat et fugiendum doceat a pravis sociis.

4/ **Juvenes** utriusque sexus, potissimum rudiores ut artifices et operarii, interdum qua pravos sermones et graviter mala habent dicteria potius cruda, vel quæ obiter tantum de turpioribus, vel quæ inter se commiscent de procationibus, de rebus amatoriis, etc.; dum a parte opposita occurrunt interdum qui graviter malos sermones, qua leviores tantum apprehendant.

Confessarius proin eos pro posse interroget, et ut dictum est supra, non priores tantum, sed etiam hos doceat.

5/ **Excultioris conditionis personæ** interdum se accusant de modo loquendi « *ambiguo* ». — Hac expressione latere potest tum sermo levior, vel jocosus tantum in materia scurrilium, tum sermo ob actus internos circumstantes, vel ob pravum finem, graviter turpis. Unde potissimum inquirat confessarius de *fine* intento, de actibus internis simul forte habitis, de peccatis forte secutis.

Nota 1. In præcedentibus potissimum præ oculis habebamus *sermones* pravos; eadem, proportione servata, dicenda de *cantilenis* pravis, nisi quod a/ frequentius quam pro sermonibus fideles hoc nomine intelligunt tum cantus *impios*, injuriosos np. religioni, Ecclesiæ, sacerdotibus, etc., tum cantus plus minus *inhonestos* potissimum de rebus amatoriis, tum cantus plane turpes; b/ difficilius adhuc confessario constabit de objectiva moralitate cantuum et subjectiva culpa a pœnitentibus admissa.

2. Non raro pœnitentes, teneræ potissimum conscientiæ, se de *auditis* sermonibus pravis accusant; qui interrogandi, ut patet, num et ipsi locuti sint prava, nisi forte unum alterumve verbum dubium. Nil enim mali esse in audiendis quæ ab aliis dicuntur; curandum tamen ut taliter loquentes, si vere turpia loquuntur, ubi possunt relinquant, vel conentur locutionem ad alia divertere; neque unquam ea *approbent* risu (1) aut responsis.

A. VANDER HEEREN.

---

(1) De risu ejusque moralitate hac in re, cfr. ILL. WAFFELAERT, *o. c.*, p. 317.

V

Q. *Breviter ostende ad mentem Angelici quod oratio dominica « sit informativa totius nostri affectus »* (2-2, q. 83, art. 9), *adeoque contineat quasi summulam perfectionis christianæ.*

R. S. Thomas *l. c.* ostendit quod *convenienter septem petitiones orationis dominicæ assignentur.* Satis erit pauca adjicere ejus expositioni (1).

« Dicendum quod oratio dominica *perfectissima* est, quia... non solum petuntur omnia quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sic hæc oratio *non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus* ».

« Manifestum est autem quod primò cadit in desiderio nostro finis, deinde ea quæ sunt ad finem », seu in ordine intentionis primum est *ipse finis*, unde primo oportet desiderare et petere finem.

« Finis autem noster *Deus* est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno quidem modo prout volumus gloriam Dei, alio modo secundum quod volumus frui gloria ejus. Quorum primum pertinet ad dilectionem qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: *Sanctificetur nomen tuum;* secunda vero ponitur: *Adveniat regnum tuum,* per quam petimus ad gloriam regni ejus pervenire ».

Finis noster ultimus est gloria Dei, quæ simul est beatitudo nostra, sed gloria Dei est finis primarius (2): ergo primo petendum est *ut glorificetur Deus*, deinde ut *nobis adveniat regnum Dei*. Ita recte informatur noster affectus relate ad finem ultimum.

Deinde oportet desiderare et petere *ea quæ ordinant nos ad finem nostrum.*

---

(1) Cf. H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Brugis, Beyaert, 1910. p. 420 ss.
(2) Cf. *op. cit.*, p. 61 ss.; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 658 ss.

Directe ordinamur ad finem per regulam seu *viam*, quæ est *voluntas Dei*, et ideo ponitur tertia petitio : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, ut nempe sanctificetur nomen tuum et adveniat regnum tuum. Voluntas Dei est regula practica sanctitatis, quam si sequor glorifico Deum et meipsum perficio ac beatum reddo (1).

Sequitur petitio circa *media* seu instrumenta quibus possim sequi viam ad finem : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Petimus nimirum illud omne quod est necessarium vel utile animæ vel corpori, ut possimus attingere finem per viam voluntatis Dei. Juxta S. Thomam, potest intelligi vel *panis sacramentalis*, qui nunc, post decretum 20 Dec. 1905, omnibus offertur facile quotidianus, et « etiam intelliguntur omnia alia sacramenta » ; vel *etiam panis corporalis*, per quem « intelligatur omnis sufficientia victus » (2).

Usque nunc habemus finem, viam et media ad finem, circa quæ versantur quatuor petitiones præcipuæ. Quid adhuc ? *Removenda sunt impedimenta :* « *Per accidens* autem, pergit sanctus Doctor, ordinamur in beatitudinem, *per remotionem prohibentis* ».

« Tria autem sunt quæ nos a beatitudine prohibent. Primo quidem *peccatum,* quod directe excludit a regno ». Ideo ponitur quinta petitio : *Dimitte nobis debita nostra.* — « Secundo, *tentatio* quæ nos impedit ab observantia divinæ voluntatis ». Inde sexta petitio : *Et ne nos inducas in tentationem,* « per quod non petimus ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci ». — « Tertio, *pœnalitas præsens*, ut quæ impedit sufficientiam vitæ ». Unde ponitur septima petitio : *Sed libera nos a malo.*

---

(1) Cf. *op. cit.*, p. 214 ss.

(2) Brevi hac formula exprimit Angelicus idem ac Catechismus noster : « Al hetgene wij van noode hebben tot kost, kleederen, gezondheid ». Ceterum utile erit cum expositione S. Thomæ conferre integram lectionem 17m Catechismi.

Tres igitur posteriores petitiones respondent quatuor prioribus : *a fine* nostro, gloria Dei et beatitudine nostra, excludit *peccatum*, quod proinde est malum *Dei* et malum *nostrum ; viam* impedit *tentatio ; mediis* privare me possunt *mala*, quæ nocent animæ vel corpori et ita impediunt assecutionem finis.

Formula igitur est perfecta orationis ac simul vitæ spiritualis (1).

Ex hucusque dictis sufficienter apparet orationem dominicam *continere quasi summulam perfectionis christianæ :* primo enim occurrit *finis ultimus,* cujus consideratio in theologia ascetica, sicut et in morali, est prima et fundamentalis (2); deinde indicantur *tres partes,* quæ solent tractari in theologia ascetica (3): *De regulis in finem*, seu *de regulis perfectionis* (4), quarum velut compendium est *voluntas divina*, utpote quæ est regula generalis dirigens hominem ad finem suum ultimum ; — *De mediis in finem* seu *instrumentis perfectionis* (5), quæ omnia continentur hac formula : *Panem nostrum* quotidianum da nobis hodie ; — *De impedimentis perfectionis,* quæ satis indicantur in tribus ultimis petitionibus.

H. Mahieu.

(1) Cf. Tissot, *La vie intérieure simplifiée et ramenée à son fondement,* 9e éd., Paris, Beauchesne et Cie, 1903, p. 82 ss.: « Notre-Seigneur y a tracé à grands traits les fondements de toute prière et de toute vie spirituelle. *Tout est là.* Quel beau cadre fournirait le *Pater* pour un traité complet de vie chrétienne » !

(2) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 656.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 524. — Hanc tripartitam divisionem sequemur in ponendo quæstiones pro Conferentiis.

(4) Ista pars agit de virtutibus, quæ interdum vocantur media positiva perfectionis, et continent exercitium practicum perfectionis.

(5) Secunda illa pars agit de mediis exercendi virtutes et vitandi impedimenta, puta de usu sacramentorum, oratione mentali, examine particulari, directione spirituali, etc.

VI

Q. *Quelles furent pendant la période révolutionnaire, postérieure aux lois de nationalisation et antérieure au Concordat, les destinées des cimetières, anciennes propriétés des fabriques?*

R. I. Sous l'ancien régime, en Belgique comme en France, les cimetières, annexes de l'église, appartenaient aux fabriques. L'ordonnance française, du 10 mars 1776 (1), portant défense d'enterrer dans les églises, reconnait très clairement le droit des paroisses de posséder des lieux d'inhumation (2). En Belgique, l'édit de Joseph II, du 26 juin 1784, analogue à la loi française, chargea explicitement les administrations fabriciennes de transférer les nouveaux cimetières hors de l'enceinte des villes et des bourgs (3).

---

(1) De même que l'arrêt du parlement du 21 mai 1765, relatif au transfert des cimetières de la ville et des faubourgs de Paris. V. *Les mémoires inédits de Menin,* conseiller au parlement de Metz, dans *les Marches de l'Est,* 1909-1910, t. I, p. 620.

(2) Dans ses articles 1, 2, 7 etc. L'art. 8 confie le soin de transférer les cimetières hors de l'enceinte des villes et des bourgs aux villes et *communautés.* Ces communautés s'entendent des communautés de paroissiens comme de celles d'habitants. En vertu de cette loi, les cimetières ne furent plus la propriété *exclusive* des paroisses. Un grand nombre de villes transportèrent à cette époque les cimetières hors de leur enceinte. La plupart des paroisses rurales conservèrent leurs anciens cimetières. V. Affre, *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques,* p 148 ss. Bruxelles, 1839; Malou, *De l'administration des cimetières catholiques en Belgique,* p. 29, Bruxelles, 1860; Vouriot, *De la propriété et de l'administration des biens ecclésiastiques en France et en Belgique,* nouv. édit., p. 136 ss., Paris, 1875.

(3) Cet édit fut abrogé par les lois postérieures sur la sépulture, v. *les Pandectes belges,* t. XIX, v° cimetière, n° 25. De Brouckere et Tielemans, *Répertoire de l'administration,* t. V, v° cimetière, p. 23 s., soutiennent que sous l'ancien régime les choses sacrées étaient des *res nullius* et, qu'en perdant leur destination, elles devenaient des biens vacants et tombaient dans le domaine du prince. C'est à ce titre que Joseph II en a disposé en faveur des fabriques. Voir la réfutation de ces assertions dans Moulart, *De sepultura et cœmeteriis.* 2e section, p. 321 ss. Louvain, 1862; Steyaert, *De la propriété des églises en Belgique sous l'ancien régime,* p. 78 ss., 106 ss. Gand, 1902.

II. La loi de nationalisation des biens ecclésiastiques, votée le 2 novembre 1789 (1), s'étendit à tous les cimetières appartenant aux églises cathédrales, paroissiales et succursales. Aussi, l'Assemblée nationale, après avoir décrété en 1790 la Constitution civile du clergé, ordonna par la loi du 6-15 mai 1791 (2) que tous les cimetières, devenus inutiles par suite de la réorganisation des paroisses, seraient vendus au profit du trésor, dans la même forme et aux mêmes conditions que les autres biens nationaux (art. 3). La main-mise nationale fut étendue à la Belgique, après la réunion de notre pays à la France, en 1795 (3).

III. Pendant la période révolutionnaire jusqu'au rétablissement légal du culte catholique en France, les anciens cimetières, non aliénés et restés affectés au service des inhumations, sont devenus et sont demeurés la propriété de l'État. L'école libérale (4) affirme unanimement que la Nation, en faisant de l'inhumation un service public communal, a transféré la propriété des cimetières aux communes, à charge de pourvoir par elles aux frais d'entretien et de réparation.

Nous rencontrerons, point par point, les arguments

---

(1) V. De la Gorce, *Histoire religieuse de la révolution française*, t. I, p. 133 ss., Paris 1909; Esmein, *Précis élémentaire du droit français de 1789 à 1814*, p. 155 ss. Paris, 1908. C'est à tort que cet auteur affirme que les anciens canonistes ont reconnu dans la Nation le véritable propriétaire des biens ecclésiastiques.

(2) V. la *Pasinomie*, 1e sér., t. II, p. 352. Cette loi ne fut point publiée en Belgique. Affre, *o. c.*, p. 150 et André, *Cours... de législation ecclésiastique*, t. I, p. 422, soutiennent que les cimetières n'ont pas été confisqués par les lois de la révolution. C'est une erreur. Mais il est vrai de dire que peu de cimetières ont été aliénés et que beaucoup sont restés en possession des paroisses.

(3) V. Moulart, *o. c.*, p. 361 ; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 790, 957 ; Woeste, *De la propriété des anciennes églises, des anciens cimetières et des anciens presbytères*, p. 17 s. Bruxelles, 1871.

(4) V. De Brouckere-Tielemans, *o. c.*, p. 26 ss.; *les Pandectes belges, l. c.*, n° 183 ss.; Giron, *Dictionnaire de droit administratif*, t. I, v° cimetière, n° 11 ss. Bruxelles 1895.

de cette théorie, résultante de l'application des principes du libéralisme moderne aux lois de la révolution, en faisant remarquer dès maintenant l'embarras des adversaires pour trouver une disposition légale décisive en leur faveur, et l'étrange diversité des arguments qu'ils avancent (1).

A. Aucun texte législatif n'a disposé des cimetières en faveur des communes. Bien plus, l'étude de la législation révolutionnaire prouve que les communes étaient légalement incapables de posséder des cimetières.

1° L'école libérale invoque les articles 50 et 51 de la loi du 14 décembre 1789 (2), organique des municipalités, complétée par l'art. 2, section III, de la loi du 22 décembre 1789 (3). Cette loi déclare que l'administration des établissements publics destinés à l'utilité générale et des objets nécessaires au service du culte appartient, non aux communes, mais aux assemblées du département sous l'inspection du roi, que toutefois, la régie immédiate de ces biens pourra être déléguée aux municipalités sous l'autorité des assemblées administratives. Qu'on envisage les cimetières comme établissements publics ou comme objets nécessaires au service du culte, ils restent la propriété de l'État, qui assume tout ce qui concerne leur administration et leur entretien (4).

Aussi voyons-nous que l'art. 33, tit. II, de la loi du 28 oct.-2 novembre 1790 (5), dispose qu'il sera incessamment pourvu par l'État aux réparations et à l'entretien... des clôtures de cimetières... et aux autres dépenses dont étaient tenus soit les décimateurs, tant ecclésiastiques que laïques, soit les bénéficiers, les chapitres et autres corps. De même, la loi déjà citée

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 129.
(2) *Pasinomie*, 1e sér., t. I, p. 63.
(3) *Ibid.*, p. 73.
(4) De Brouckere et Tielemans, *o. c.*, p. 28.
(5) *Pasin.* 1e sér., t. I, p. 427; v. l'art. 1, tit. 1, de cette loi.

du 6-15 mai 1791 (1) décrète dans son art. 4 que les sommes qui se trouveront dues par les fabriques ou communautés de propriétaires ou d'habitants, pour achat ou clôture des cimetières des églises supprimées, soit des cimetières jugés nécessaires par les corps administratifs sous la surveillance et l'inspection du roi, pour les paroisses et succursales nouvellement circonscrites, seront acquittées par la caisse de l'extraordinaire de l'État (2).

Tous ces textes prouvent que les cimetières n'étaient pas la propriété exclusive des communes et qu'ils n'étaient nullement des établissements communaux, Lorsque la Convention, par son décret du 12 frimaire an II (2 déc. 1793) (3), statua que tout citoyen avait le droit d'être inhumé dans les *cimetières publics*, sans distinction de culte et de croyance, elle rangea l'inhumation parmi les services d'utilité publique, dont les biens appartenaient à la Nation. (Constitution de 1791, 1, § 9.)

2° Le décret du 5-10 août 1791, art. 2 (4) n'est pas plus favorable au droit des communes, puisque sans déterminer quels biens appartiennent aux communes, il y est statué que celles-ci, pour payer leurs dettes, ne pourront point aliéner les biens destinés à un service public. Ces biens en effet appartenaient à la Nation.

3° Les tenants de la théorie libérale ne peuvent pas non plus se prévaloir de la loi du 10 juin 1793 (5), concernant le partage des biens communaux.

L'art. 5 de la 1e section, dispose que seront exceptés du partage et *ne seront pas compris parmi les biens communaux*, les édifices et terrains destinés au service

---

(1) *Ibid.*, t II, p. 352.

(2) Un décret analogue, du 28 juillet 1792, est signalé par PROMPSAULT, *Dictionnaire raisonné de droit et de jurisprudence*, t. I, col. 872. Paris, 1849. V. *Pasin.*, 1e sér., t. IV, p. 235.

(3) *Pasin.*, t. V. p. 587.

(4) *Pasin.*, t. III, p. 180.

(5) *Ibid.*, t. V, p. 229.

public et en général toutes les portions du territoire, qui n'étant pas susceptibles de propriété privée, sont considérées comme une dépendance du domaine public.

4° C'est également à tort qu'on a invoqué l'art. 91 du décret du 24 août-14 septembre 1793 (1), interprété par l'avis du Conseil d'État du 3 nivôse an XIII (24 déc. 1804) (2).

La loi de 1793 a réuni au domaine public tout l'actif des communes, à l'exception des biens communaux proprement-dits et des objets destinés pour les établissements publics. A interpréter l'article 91, à la lumière de la législation antérieure, on est en droit d'affirmer que les biens exceptés ne constituent pas tous des propriétés communales, que notamment les édifices et terrains affectés aux établissements d'utilité publique, et conséquemment les cimetières, restaient entre les mains de la Nation.

Quant à l'arreté interprétatif du 3 nivôse an XIII (3), il n'a d'abord aucune valeur légale, vu qu'il n'a point été inséré au Bulletin des lois (4); il est en plus dénué de toute valeur doctrinale. Il nous suffira d'appeler l'attention sur les considérations suivantes, qu'on trouvera développées chez les auteurs cités en note.

Tout d'abord la situation des communes vis-à-vis de l'État en 1804 était toute différente de celle qui existait en 1793, spécialement quant aux charges d'acquisition et d'entretien des biens destinés aux établissements publics; le décret de prairial an XIII rend la chose

---

(1) Cet article n'a pas été publié en Belgique. V. *Pasin.*, t. V. p. 384.

(2) *Pasin.*, t. XIII, p. 115.

(3) Art. 3: « Les bâtiments, maisons et emplacements nécessaires au service public de la commune, qui sont employés comme tels, sans être loués ni affermés pour produire une rente, comme les hôtels de ville, les prisons, les presbytères, les églises rendues au culte, les halles, les boucheries etc., ne peuvent cesser d'appartenir aus communes ». On remarquera que le cimetières ne sont pas mentionnés.

(4) V. Crouzil, *Du droit des catholiques à la propriété de leurs églises*, p. 14 ss. Paris, 1905; Woeste, *o. c.*, p. 67 s.

évidente quant aux cimetières. Ensuite l'arrêté de nivôse tranchait une question controversée entre l'État et les communes, et non entre celles-ci et les fabriques. Or, en l'an XIII, on ne se rendait pas bien compte de la nouvelle organisation du culte, ni de la situation respective des paroisses, communautés de paroissiens, et des communes, communautés d'habitants. On était revenu à la conception de l'ancien régime, où, du moins dans certaines provinces, tous ces organismes étaient intimement liés et même confondus (1). Cette situation de fait, jointe à l'influence d'une théorie qui considérait toute propriété collective comme appartenant à la Nation ou aux communes, fit en sorte qu'il s'établit à cette époque une singulière confusion entre les biens des communes et les biens des fabriques. Cette fausse théorie fut adoptée par le Conseil d'État, dont émane l'arrêté de nivôse; elle se retrouve dans plusieurs déclarations des ministres de l'intérieur et des finances. Portalis lui-même y adhère encore dans une décision du 6 thermidor an XII; mais il la combattit vigoureusement en 1806, et ce fut sa conception qui prévalut (2). Cette divergence d'idées entre le ministre des cultes et celui de l'intérieur est une manifestation qu'on ne peut négliger pour juger de la question de propriété des biens ecclésiastiques. Ce qui aboutit encore à faire passer comme propriété des communes et de l'État, la dotation des fabriques, ce fut la création de fabriques civiles provisoires, chargées de l'exécution de l'arrêté du 7 thermidor an XI, et cette confusion fut perpétuée par le décret de 1809 qui réunit les deux fabriques, extérieure et intérieure, en une seule (3).

---

(1) Crouzil, *o. c.*, p. 19; Van Messem dans la *Revue cath. de droit*, 1909, t. XII, p. 257 ss.

(2) Crouzil, *o. c.*, p. 19 ss.; Vouriot, *o. c.*, p. 112 ss.; Woeste, *o. c.*, p. 67 ss.; Van Messem, *art. cit.*, p. 282.

(3) V. Guillibert, *Les églises antérieures au Concordat. Origines de l'erreur courante*, dans la *Revue du clergé français*, 1905, t. XLII, p. 225 ss. et les autorités qu'il cite.

5° L'argument tiré de l'art. 1 du décret du 11 prairial an III (30 mai 1795) (1), qui accorde aux communes l'usage provisoire de quelques églises non aliénées, n'a aucune force probante. Outre que les cimetières ne s'y trouvent pas mentionnés, il est illogique de conclure que cet article ait investi les communes de la propriété des cimetières, vu que l'usage provisoire exclut la propriété, et qu'à cette époque, le législateur avait pour système absolu de refuser aux communes la propriété de tout édifice et de tout terrain, qui auraient pu servir à l'exercice exclusif et permanent d'un culte, c'est-à-dire, du culte catholique (2).

6° Enfin on ne peut invoquer en faveur des communes ni la loi du 27 vendémiaire an VII (18 octobre 1798) (3), ni l'arrêté du 5 brumaire an IX (27 octobre 1800) (4). La loi de vendémaire, portant que la commune doit faire connaître l'état des frais des cimetières, n'intéresse que la municipalité de Paris; Or, en cette ville, les cimetières étaient des propriétés communales. L'art. 18, III section, de l'arrêté de brumaire ne parle que des règlements de police sur les inhumations, que doivent faire observer les commissaires généraux de police pour assurer la salubrité de la ville.

B. Il reste à dire un mot d'un argument d'une portée plus générale, auquel les adversaires attachent beaucoup d'importance. L'inhumation, disent-ils, doit-être considérée comme un service public communal. Or, l'attribution de ce service aux administrations munici-

---

(1) *Pasin.* t. VI, p. 516.

(2) Lois du 3 ventôse an III (21 fév. 1795); 11 prairial an III (30 mai 1795): 7 vendémiaire an IV. (28 sept. 1795). V. *Pasin. l. c.*, p. 414, 516 et t. VII, p. 71. V. Malou, *o. c.*, p. 31 ss.; Woeste, *o. c.*, p. 60 s.; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 790; *Collat. Namurcenses*, 1906-1907, t. VI, p. 10.

(3) *Pasin.*, t. VIII, p. 368.

(4) *Ibid.*, t. X, p. 319.

pales entraîne à leur profit l'attribution de tous les biens affectés à ce service.

Pour la période qui nous occupe, cet argument est de nulle valeur. Si, pendant la période révolutionnaire, l'inhumation devint un service d'utilité publique, il faut en conclure, que les biens destinés à ce service appartenaient à l'État. D'ailleurs, la théorie libérale de la laïcisation des cimetières est basée sur deux fausses hypothèses (1) : 1° que les cultes se trouvent toujours sous le régime de la période révolutionnaire ; 2° que les lois de rétablissement du culte survenues depuis 1801 n'ont pas abrogé, en matière de religion, le droit public de la Constitution civile du clergé et de l'époque de la Terreur (2). Ajoutons que la question de la confessionnalité des cimetières est indépendante de la question de propriété (3).

A. De Meester.

---

(1) Malou, *o. c.*, p. 35 s.; Moulart, *o. c.*, p. 374 s.

(2) V. *Collat. Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 11-24.

(3) On peut consulter au sujet de la propriété des cimetières de la rive gauche du Rhin : Saegmüller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, 2 ed., p. 522, Fribourg, 1909 ; *le Staatslexikon*, v° Kirchhöfe, t. III, col. 600 ; Lex, *Das kirchliche Begräbnisrecht*, p. 64 ss. Regensburg, 1904 ; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 129 ss., etc.

Dissertatio

De modo quo Prophetæ consilia Dei cognoverint eaque manifestaverint.

Prænota. Præsenti disquisitione nullo modo intendimus completam tractationem de prophetis et de prophetiis proponere : ea tantùm rerum capita breviter evolvere cupimus, quæ nata sunt illustrare *genus litterarium propheticum* (1) adeoque præcipua suppeditare principia, in interpretatione prophetiarum applicanda.

I. Notiones generales circa Prophetas.

1/ *Munus prophetarum.* Propheta (hebr. *nabi* (2) gr. apud LXX προφήτης a verbo προ-φάναι = vice alicujus loqui) sensu biblico proprie (3) intelligitur interpres seu

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 401 ss.; 568 ss.; t. XV, p. 73 ss.

(2) « De par la signification ou l'étymologie probable du nom... le *nabi* hébreu était proprement celui qui parle au nom de Jahvé ou en son honneur, qui proclame ses louanges, prêche sa doctrine, annonce ses décrets ». Van Hoonacker, *Les douze petits Prophètes,* Paris 1908, p. 269.

(3) Dicitur: *proprie.* Nam improprie « prophetæ » vel « filii prophetarum » vocantur ii qui voluntaria consecratione in « scholis prophetarum » vitam quadamtenus communem agebant et de quibus ita scribit Van Hoonacker, *l. c.:* « Il y eut de bonne heure des corporations ou associations de *nebi'im* ou prophètes, marquées de caractères différents à différentes époques et organisées dans des conditions qui en firent longtemps un ordre important au sein de l'Etat. A l'origine nous voyons apparaître ces groupements parmi les *nebi'im* enthousiastes de l'époque de Samuël et de Saül (I Sam. **10**, 5, 10 s.; **19**, 20 ss.). Plus tard, notamment dans le royaume du Nord, au temps d'Elie et d'Elisée (*I Reg.* **17** ss.; *II Reg.* **1** ss.), les *nebi'im* forment en diverses localités des établissements où ils mènent dans une certaine mesure la vie commune (lire p. ex. *II. Reg.*, **2**; **4**, 38 ss.; **6**, 1 ss.). Ils vivaient surtout de la charité publique (*II Reg.* **4**, 8);... aussi leur existence était-elle pauvre..... Les exemples d'Elie et d'Elisée, et bien d'autres, prouvent que du sein de ces corporations de *nebi'im* sortaient souvent de vrais « *hommes de Dieu* », distingués par une vocation personnelle (sc. prophetæ stricte dicti).... Mais beaucoup de *nebi'im* se présentaient à tort, en certaines occasions, comme investis d'une mission spéciale d'en haut ».

præco Dei, quo nempe Deus utitur ad manifestanda hominibus suam revelationem suaque consilia sive de præsenti, sive de futuro (1).

Arctioribus ergo, quam par est, limitibus Prophetarum munus circumscribitur, si tantùm *futurorum prædictores* dicuntur. Cùm essent legati et interpretes Dei, eorum interventus ad varia extendebatur munera, quibus Deus ipsorum auxilio populum electum regebat (2). Sane officium ipsorum imprimis religionem moresque tangebat.

Ad *religionem* quod spectat prædicatores et præcones, monotheismum quidem non invexerunt (3), verùm cum zelo indeficiente eum propagarunt, ac contra idololatriam vicinorum populorum et inde constanter renascens periculum, strenue defenderunt. Præprimis conati sunt inter Israelitas spargere necnon accuratiorem ac puriorem servare cognitionem Jehovæ, Dei patrum populi, Dei unius, sapienter ac potenter mundum a se creatum regentis; summe justi, adeoque legis suæ prævaricatores severe punientis, at infinite boni erga fideles cultores; infinite sancti omnemque maculam in homine summopere respuentis; cultum sibi debitum reclamantis qui non in sacrificiis ritibusque externis tantùm, verùm maxime in sanctitate et interna justitia consisteret. Sacerdotibus tunc tantùm adversabantur prophetæ, quando isti indolem spiritualem religionis Mosaicæ pessumdare videbantur officioque suo deerant. Uti ait Mangenot (4): « Ils devenaient donc les guides religieux du peuple, et ils maintenaient la

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 138 ss.; coll. t. II, 303 ss., t. VIII, p. 141 ss.

(2) Cum prophetia esset gratia gratis data, poterat tamen hoc charisma hominibus peccaminosis conferri, uti Balaam (*Num.* **24**, 15 ss.).

(3) Ut præpostere Rationalistæ contenderunt. Hoc assertum confutatur apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, t. III, c. 1243 ss.; De Broglie, *Questions bibliques*, Paris 1904, p. 243 ss.; Brucker, *L'Eglise et la critique biblique*, Paris 1908, p. 255 ss.

(4) Apud Vigouroux, *o. c.*, t. V, c. 718.

pureté des mœurs et des doctrines par leurs avertissements, leurs reproches et leurs menaces autant que par leurs exhortations et leurs encouragements. Ils rappelaient sans cesse à la nation juive son idéal religieux, jugeaient le passé et le présent d'après cet idéal dont ils annonçaient et préparaient la réalisation dans l'avenir. Ils se disaient des sentinelles (1) (*Is.* **52**, 8; *Jer.* **6**, 17; *Ezech.* **3**, 17; **33**, 6-7) et des gardiens (*Is.* **21**, 11-12; **62**, 6) parce qu'ils veillaient à la sécurité de leur peuple. Cf. *Os.* **5**, 1; **9**, 8; *Mich.* **7**, 4 ».

Prophetæ *moribus* tutandis et provehendis operam navabant; pauperes atque humiles plebeios contra injustitiam atque tyrannicam oppressionem potentum tuebantur. Eadem igitur cum libertate qua populum docebant, exhortabantur et corrigebant, etiam magnatum, sacerdotum, regum ipsorum vitia sceleraque vituperabant (2).

Sicut auctoritas prophetarum ad omnes Israelitas se extendebat, ità eorum divinum ministerium integram fere Israelitarum vitam, non tantùm religiosam et moralem, sed et privatam (3), imo *publicam* tangebat. Ità, maxime tempore regum, statui rerum publico frequenter sese admiscuerunt, jussu utique Dei, supremi Regis theocratici (4).

At, in universo suo munere explendo, alium finem non habebant, nisi ut populum electum fœderi quod cum Jehova in monte Sinai inierat, fidelem servarent, eumque genuinam docerent Legis observantiam, et ad novum fœdus præpararent.

---

(1) « Des *vigies* » ut ait Van Hoonacker, *o. c.* Cf. etiam *Jer.* **6**, 17; *Hab.* **2**, 1.

(2) Cf. Cornely, *Introductio specialis in U. T. libros sacros*, t. II, 2 (Parisiis, 1887), p. 272.

(3) Exempla vide apud Cornely, *l. c.*

(4) Varia exempla proponuntur a Mangenot apud Vigouroux, *l. c.* Cf. *I Sam.* **9**, 15-17; **10**, 1; **16**, 1-13; *I (III) Reg.* **1**, 11-14; 22-27; 32-38; 44-45; **11**, 29-39; **13**, 1-10; **14**, 7-16; **15**, 27-30 etc.

2/ *Auctoritas prophetarum divina.* In tota sua agendi ratione ut præcones et interpretes Dei prodibant et de facto habebantur; nomine et auctoritate Dei loquebantur, atque Spiritu Dei pro opportunitate repleti, divina arcana et futuros eventus prævidebant atque prænuntiabant.

Divina prophetarum auctoritas erat ex missione divina et dono prophetiæ seu revelatione, qua Deus eos in ordine ad munus suum implendum illuminabat (1).

a/ Prophetæ imprimis a Deo eligebantur atque *interna et supernaturali vocatione* interpretes Dei constituebantur (2). Neque (3) certæ tribui aut familiæ, sicut sacerdotium et regnum, adnexum erat propheticum charisma et munus, nec certæ hominum classi: omnium tribuum viri et mulieres, pueri et senes, divinæ illius vocationis erant capaces. Samuel levita puer vocatus est, Eliseus agricola ex tribu Ephraim adulta jam erat ætate, quando Eliam sequi jussus est; Isaias ex regia familia fuisse a nonnullis creditur; Amos pastor erat ex tribu Juda; Jeremias et Ezechiel erant sacerdotes; Debora tempore judicum erat prophetis, rex Josias per Holdam prophetidem exquisivit voluntatem divinam.

Neque ulla quoque requirebatur præparatio ad munus propheticum recipiendum, quamvis facile concedamus illos præprimis ad hanc dignitatem a Deo esse assumptos, qui pietate et fideli Legis observantia eminebant (4).

---

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. X, p. 139.

(2) Cf. vocationem Samuelis (*I Reg.* **3**, 1 ss.), Isaiæ (*Is.* **6**), Jeremiæ (*Jer.* **1**), etc.

(3) Ut ait CORNELY, *o. c.*, p. 274 s.

(4) Ab his prophetis stricte dictis, qui propria et personali vocatione a Deo eligebantur, distinguendi sunt, ut iterum moneamus, prophetas sensu lato, qui nempe volontaria consecratione instituto vitæ communis adhærebant, sub ductu quandoque prophetæ proprie dicti. Nihil impediebat, quominus aliquis ex instituto seu schola prophetarum ad munus prophetæ stricte dicti vocaretur.

b/ Deus præterea *revelatione* supernaturali consilia sua prophetæ propalabat, ac verba hominibus proponenda ipsi communicabat. At verò muneris exercitium eadem ratione ac vocatio, a Deo immediate pendebat. Non enim sua sed Dei eloquia proponebat, et tunc solùm, quando « factus est sermo Domini » ad eum.

Unde prophetarum charisma non erat permanens: peculiarem a Deo accipiebant missionem ad certum ac determinatum finem. « Lumen autem propheticum, inquit S. Thomas (1), non inest intellectui prophetæ per modum formæ permanentis... sed per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis,... et hoc etiam ipse modus loquendi prophetiam designat, secundum quod dicitur quod *locutus est Dominus* ad talem vel talem prophetam; aut quod *factum est verbum Domini*, sive *manus Domini super eum* » (2).

Vocatio igitur atque inspiratio prophetarum cum tota œconomia Revelationis sub V. T. ejusque progressu intime connectebatur. Revelationis Mosaicæ fundamentum erat Pentateuchus, quod fundamentum seu depositum prophetæ Moysi posteriores, apud populum electum a contagione ethnica immune servarunt, atque novis revelationibus acceptis adauxerunt, simul adventum præparantes Messiæ atque œconomiæ christianæ, in qua prophetarum maximus Christus Dominus novum,

---

(1) *Sum. theol.*, 2ª, 2ᵃᵉ, q. 171, a. 2 in c.

(2) Ad rem MANGENOT, *o. c.*, c. 712 s.: « Il est clair enfin que les Prophètes d'Israel ne sentaient pas constamment en eux ni toujours au même degré, quand elles se produisaient, l'influence et l'action de Dieu. Leur inspiration n'était pas continue ni habituelle. Quoique leur mission fut ordinairement habituelle, tout ce qu'ils faisaient et disaient n'y avait pas un rapport nécessaire.... L'inspiration divine avait donc lieu pour eux par intermittence ». VIGOUROUX, *Manuel biblique*, t. II (Paris, 1906), p. 575 pariter ait: « Puisque Dieu communiquait ses volontés aux prophètes par la parole, par des visions ou par des songes, il suit de là que le don de prophétie était *transitoire*, et non habituel ou permanent, et que les prophètes ne connaissaient que ce que Dieu jugeait à propos de leur révéler chaque fois par une manifestation spéciale ».

perfectius et ultimum fœdus conderet, omnemque per Apostolos suos revelationem divinam in terris compleret.

Quibus præmissis, jam licet directe aggredi objectum princeps brevis (1) hujus disquisitionis.

II. De modo quo prophetæ consilia Dei cognoverint.

1/ *De natura variisque modis revelationis divinæ prophetis factæ.* Auctor II Petri 1, 21 loquens de prophetis V. T. (2) inquit: « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines ». Deus enim prophetas sua consilia edocuit proprie dicta revelatione: « multifariam, multisque modis olim Deus locutus est patribus in prophetis » (*Heb.* 1, 1).

De modo autem quo Deus prophetis sese revelaverit præclare pro more suo, agit S. THOMAS, *Summa theol.*, 2ª 2ᵃᵉ, q. CLXXI-CLXXIV, ejusque doctrinam ab Illᵒ ac Revᵒ WAFFELAERT expositam reperire est apud *Collat. Brug.*, t. II, p. 302 ss., t. X, p. 138 ss.

Ut autem melius intelligatur modus quo prophetæ consilia Dei hominibus *manifestaverint,* juvat hanc doctrinam de actione Dei revelantis breviter recolligere, quibusdam additis quæ magis directe ad scopum intentum conducere videntur.

Præcedit revelationem proprie dictam actio Dei præparatoria (3), qua prophetæ intentio elevatur ad percipienda divina. Sequitur dein actio Dei, quæ proprie revelatio est, et apud audientem infert immediatam perceptionem revelationis seu cognitionis propheticæ. Hæc actio Dei revelantis fieri potest per *voces articu-*

---

(1) Qui plura desiderat adire potest CORNELY, MANGENOT, DE BROGLIE, *ll. cc.* Non exstat tractatus historico-dogmaticus de Prophetismo hebræo a catholico conscriptus.

(2) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in Epistolas Catholicas,* ed. 5ª, Brugis 1909, *h. l.*

(3) Quæ a S. Thoma vocatur *inspiratio,* q. CLXXI, a. 1, ad 4ᵐ.

latus audibiles: ità Deus Moysi « ore ad os locutus est », ei simul altiorem quamdam majestatis suæ visionem tribuens (1). Hic tamen revelationis modus plane extraordinarius fuisse videtur, et ut talis proponitur *Num.* **12**, 6 ss, ubi dicit Dominus: « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in *visione* apparebo ei, vel per *somnium* loquar ad eum ». Attamen, in libris propheticis V. T., unam dumtaxat (2) legimus revelationem quæ prophetæ ipsi (3) per somnium facta sit (*Dan.* **7**, 1 ss.), ità ut ordinarius modus quo illustrati sunt prophetæ fuerit *visio*, id quod etiam nomina prophetarum (4), inscriptiones librorum vel pericoparum frequentesque prophetarum testimonia ostendunt (5).

Visio autem prophetalis triplex assignanda videtur juxta triplicem quæ in nobis est vim cognoscitivam: sensus exteriores, imaginationem et intellectum.

a) Interdum enim (6) *sensibus prophetæ externis objectum* percipiendum offerebatur. Ita Moyses olim oculis suis rubum ardentem viderat (*Exod.* **3**, 2 ss.); Deum loquentem audivit (*Exod.* **20**, 21; ita etiam Daniel oculis suis vidit scripturam in parietc digestam atque angelum Gabriel, qui visionem antea habitam ei explicavit, auribus suis audivit (*Dan.* **5**, 25; **8**, 15). Verùm hoc ultimum exemplum non omnes ut indubium proponunt (7).

---

(1) Cf. *Num.* **12**, 6 ss.; *Exod.* **33**, 11, 20 ss. Ita pariter in pluribus N. T. locis vox de cælo audita fuisse refertur.

(2) Ut notat Cornely, *o. c.*, p. 291.

(3) Dicitur *prophetæ* ipsi. Nam Deus pluries sese somniis hominibus manifestavit. Cf. *Gen.* **28**, 12; **31**, 11; **37**, 5, 9; *I (III) Reg.* **3**, 5. Etiam ethnicis dabantur somnia prophetica (recole somnia Pharaonis, Nabuchodonosor.), quorum tamen interpretatio ab Israelitis plerumque petebatur.

(4) Hebr. *roeh* et *hozeh*, videns, gall. *(le) voyant.*

(5) Cf. *Is.* **1**, 1; **2**, 1; **6**, 1; *Jer.* **1**, 11, 13; *Ez.* **1**, 1; *Amos.* **1**, 1; **7**, 1; **9**, 1; *Zach.* **1**, 8 etc.

(6) Cf. Cornely *(l. c.)* quem hic satis presse sequimur.

(7) Cf. etiam *I Sam.* **3**, 1-19. Condamin, *Les Etudes*, t. CXVIII, p. 22. Clar. Auctor *l. c.* scite disserit de missione supernaturali Prophetarum populi Israel, atque solide confutat theorias Rationalistarum.

b/ Frequentior in S. S. memoratur visio qua *sensibus internis* formæ quædam *imaginariæ* imprimuntur, sive omnino divinitus impressæ, non per sensus externos acceptæ, sive divinitus ordinatæ ex his quæ a sensibus erant acceptæ, ita ut Deus phantasmata præexistentia tantùm certo modo ordinaverit ad determinatam rem significandam. Hac ratione Ezechiel vidisse videtur ollam accensam ab aquilone, duos calathos plenos ficis (*Jer.* 1, 12, 13; 24, 1 ss.), Amos Dominum stantem (1) in muro lito (*Am.* 7, 7). Mentio visionum frequentissima apud prophetas occurrit (2).

c/ Interdum Deus *menti* prophetæ infundit species intelligibiles novas, vel species existentes certo modo ordinat. Et in triplici casu lumine supranaturali intellectum ita elevat et illustrat, ut novam cognitionem judicando acquirat « sicut patet de his qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli » (3).

Quovis modo autem revelatio fiat, ad cognitionem propheticam præter descriptam *acceptionem* specierum repræsentantium (specierum sc. in toto vel ex parte novarum, vel noviter ordinatarum ad aliquam cognitionem), requiritur (4) supernaturale *judicium* de rebus repræsentatis. Principalior porro in propheta est supernaturale judicium « quia judicium est completivum cognitionis » (5).

Nota. Varios autem modos quo Deus supernaturaliter prophetis cognitionem communicabat, iisdem sæpe vocibus prophetæ ipsi designant, ita ut haud raro difficile

---

(1) Cf. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 265 s.

(2) Cf. Mangenot, *o. c.*, c. 729.

(3) Ita S. Thomas, 2ª, 2ᵃᵉ, q. CLXXIII, a. 2 in C., coll. a. 3 in c. cum *Commentario* Cajetani ad h. l. Observat S. Thom., *l. c.*: « Erit autem propheta si solummodo intellectus ejus illuminetur ad dijudicandum etiam ea quæ ab aliis imaginarie visa sunt: ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis ».

(4) Ut statuit S. Thomas, *l. c.*

(5) Ità S. Thomas, *ibid.*

sit dictu, ad quamnam communicationis speciem prophetia quædam pertineat. De eadem quoque visione sine ullo discrimine (1) utuntur verbis *videndi* et *audiendi:* prophetæ *loquuntur visionem* et *vident verbum* (2). Id unum significare volunt se ex sola divina revelatione immediata hausisse omnia illa quæ proloquuntur, ita ut sua verba vere et proprie sint verba divina.

2/ *Quoad statum prophetæ psychologicum* durante revelatione *ipsi* facta, hæc statuenda videntur. Ubi objectum externis prophetæ sensibus offerebatur (ut sub a), vel ubi species intelligibiles novæ immediate ejus intellectui imprimebantur vel species intelligibiles certo modo ordinabantur (ut sub c), non videtur propheta alienatione sensuum extra se raptus fuisse. De duplici hoc casu agens, explicite ait S. Thomas (3): « Manifestum autem est quod non fit abstractio a sensibus quando aliquid repræsentatur menti prophetæ per species sensibiles, sive ad hoc specialiter formatas divinitus, sicut rubus ostensus Moysi, et scriptura Danieli; sive etiam per alias causas productas..... Similiter etiam non est necesse ut fiat alienatio a sensibus per hoc quod mens prophetæ illustratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus speciebus: quia in nobis perfectum judicium intellectus habetur per conversionem ad sensibilia, quæ sunt prima nostræ cognitionis principia ». At ubi habetur influxus intelligibilis luminis vel impressio immediata intelligibilium specierum, ut innuit S. Thomas (4) et expresse ait Cajetanus (5), abstractione a sensibus opus est quando *intellectuali* revelatione mens prophetæ ad contemplanda superiora (i. e. facultatem naturæ excedentia) elevatur.

---

(1) Ut notat Cornely, *l. c.* Cf. etiam Prat, *Les Etudes*, t. LXXXVI, p. 476 et Condamin, *ibid.*, t. CXVIII, p. 22 s.

(2) *Is.* **2**, 1; *Hab.* **2**, 1; *Abd.* **1**, 1 etc.

(3) *Summa theol.*, 2ª, 2ªᵉ, q. CLXXIII, a. 3, in c.

(4) *l. c.*, in fine resp. ad 3ᵐ.

(5) In *Commentario* ad h. l.

« Sed quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias (ut sub b, p. 167), necesse est fieri abstractionem a sensibus, ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea, quæ exterius sentiuntur ».

Hujusmodi alienatio a sensibus seu exstasis (1) est status, in quo animus per motionem supernam a corpore quasi alienatur, et rapitur ad contemplationem specierum intelligibilium aut specierum imaginariarum quæ divinitus ei informantur. Ita S. Petrus, dum oraret, cecidit in « mentis excessum » (*Act.* 10, 9 ss.); ita S. Paulus in exstasi ad tertium cœlum raptus fuit (*II Cor.* 12, 2 ss.) (2). At vero, talis alienatio a sensibus in prophetis nunquam fit cum inordinatione naturæ, et multo minus fit cum inordinatione honestatis aut morum.

Quo major erat alienatio a sensibus, eo vividius propheta species intelligibiles vel imaginarias divinitus communicatas percipiebat, ità ut conscientia revelationis communicandæ alte animo ejus inhæreret. Dicta mentis alienatio, ubi locum habebat, cum ipsa veritatis revelandæ perceptione cessabat, ità ut propheta cum plena libertate et intellectuali facultate pollens, Dei eloquia ac consilia manifestaverit.

3/ Rite adhuc observandum est (3) *in revelatione divina cognitionem divinitus communicatam, a propheta cognosci ut divinam.* Etenim, cum actio Dei revelantis tendat ad hoc, ut mentem suam prophetæ significet, oportet ut Deus veritatem audienti seu percipienti communicet vere *ut verbum suum*, testando seu auctoritate sua muniendo dictum suum ; adeoque debet

---

(1) Quæ potest esse plus minusve perfecta (cf. S. Thomas, *l. c.*) et quæ « non fit in Prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, sicut in arreptitiis vel furiosis, sed per aliquam causam ordinatam, vel naturalem, sicut per somnium, vel spiritualem, sicut per contemplationis vehementiam, sicut de Petro legitur ».

(2) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum,* Brugis 1910, p. 239.

(3) Quod jam notavimus apud *Colllat. Brug.*, t. XIV, p. 485; cf. Ills ac Revs Waffelaert, *ibid.*, t. II, p. 306.

propheta percipiens revelationem, veritatem divinitus percipere ut verbum Dei, clare cognoscens Deum loqui (1).

4/ At vero (2), etsi recte a Deo infusa dicantur cognitionis propheticæ principia, « puta lumen interius confortans intellectum, vel etiam species rerum revelandarum repræsentativæ, (quanquam illæ non semper sint ex infusione divina, ut mox dictum est, sed quandoque a Deo sit sola nova ordinatio seu dispositio specierum præexistentium), nusquam tamen dices infusum *ipsum cognitionis actum*. Etenim actus cognoscitivus quædam operatio vitalis est, essentialiter ab intrinseco oriens atque elicita, cui absolute repugnat ut sit ab exteriori indita. Unde sequitur quod *ipsa quoque cognitio prophetica adhuc servat modum cognoscentis*. Modum autem cognoscentis dico, etiam ex parte rei cognitæ, sicut generale est quoties cognitio perficitur per hoc quod cognitum intelligibiliter concipitur et exprimitur a cognoscente ».

Unde revelatio prophetica, licet ab exteriori veniens, induere debuit modum subjecti seu prophetæ, eique esse commensurata, cum quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur, ut fert notum axioma philosophicum.

Inde sequitur prophetas veritatem revelatam percepisse exercendo actionem naturæ suæ convenientem, sc. vere humanam, propriam, singulorum indoli, culturæ cæterisque dispositionibus individuantibus proportionatam (3). Ita rite advertit Vigouroux (4): « Du

---

(1) Cf. S. Thomas, *Summa theol.*, 2ª, 2ᵃᵉ, q. CLXXI, a. 5 in c. Propheta tamen circa revelata sibi non necessario cognoscit omnia quæ Deus intendit per illa, ut ostendit Doctor angelicus a. 3 hujus quæstionis.

(2) Uti egregie observat Billot, *De Inspiratione S. Scriptura*, Romæ, 1906, p. 48.

(3) Cf. ea quæ diximus de modo quo hagiographi actionem instrumentalem perfecerint, exercendo actionem propriam. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 401 s.

(4) *Manuel Biblique*, t. II (Paris, 1906) p. 575.

reste, dans le songe comme dans la vision, le Seigneur se servait ordinairement des images qui étaient familières aux prophètes pour en revêtir ses révélations ; c'est ainsi que les visions d'Isaïe et de Jérémie ont une couleur palestinienne, tandis que celles d'Ezéchiel et de Daniel sont remplies de traits et de symboles empruntés à la Chaldée ».

Quibus principiis de modo quo Deus se prophetis revelaverit, præ oculis habitis, jam facile intelligi poterit modus quo Prophetæ vicissim consilia Dei, divinitus accepta, coætaneis communicaverint.

(Sequetur).

A. Camerlynck.

S. Congregatio de Religiosis

DECLARATIONES

Circa articulum sextum « Auctis admodum » editi die IV Novembris MDCCCXCIII (1).

In articulo sexto decreti *Auctis admodum*, editi a sa. me. Leone XIII, inter alia, hæc statuuntur: « Professi tum » votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis loco- » rum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, præter alia a » jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem » per annum sacræ theologiæ operam dederint, si agatur de » subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; » et quoad presbyteratum, saltem per triennium, præmisso » tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

Porro circa genuinum sensum hujus articuli, varia dubia sacræ Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ exhibita sunt, quæ ad sequentia capita reduci possunt:

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum præfatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissæ fuerunt vacationes, vel horæ lectionibus in schola tradendis multiplicatæ, vel alia quacumque de causa?

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur?

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum

(1) Cf. commentarium apud R. P. Vermeersch, *De religiosis... periodica*, 1909-1910, t. V, p. 46-48.

annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere (1)?

IV. Utrum verba ejusdem decreti *Auctis admodum*: « præ- » misso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycæalia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, imo primariam etiam institutionem (2)?

V. Utrum studia philosophica seu lycæalia, humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant?

VI. Utrum præfata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycæalium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinæ principalis seu theologiæ, philosophiæ et linguæ latinæ peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinæ accessoriæ, juxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycæalibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut præfatæ litteræ licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis?

Et sacra eadem Congregatio, de speciali mandato sanctis-

---

(1) Hoc et sequentibus articulis probatur Romanum Pontificem in mentem habere ad unum reducere rationes studiorum in Seminariis et in Institutis religiosis. V. *Circolare ai Vescovi e Programma generale di Studi, approvato da Sua Santità, per tutti i Seminarii d'Italia,* 10 maii 1907, ap. *Il Monitore ecclesiastico,* 1907-1908, t. XIX, p. 165-170. Quousque hæc nova ordinatio de quarto theologico anno obstringat sodales religiosarum Familiarum, examinat R. P. Vermeersch, *l. c.*, p. 47.

(2) Articulis 3-8 attenditur ad rationem studiorum theologico studio præponendorum, prouti habetur in Italia, cf. citat. *programma di studi,* § I-III; G. M. C. *Esame di una questione essai rilevante nella direzione dei Seminari* apud *Il Monitore ecclesiastico,* 1907-1908, t. XIX, p. 21-32.

In singulis regionibus *regularis curriculus* studiorum in scholis primariis et secundariis perficiatur oportet.

simi Domini nostri divina providentia Pii Papæ X, respondet prout sequitur:

Ad I. *Negative* in omnibus; et quælibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad II. *Affirmative*, dummodo tamen complexus trium hujusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad III. *Affirmative*, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycæalia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycæalem rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycæalia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime præparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycæales, de lycæalibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a Moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad V. *Negative* quoad studia philosophica seu lycæalia; *affirmative* quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: *a*/ decimum quintum ætatis annum excesserit; *b*/ statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycæale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c*/ et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. *Negative*. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convàlidatione, exhibita jurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, præhabita jurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

Ad VII. *Negative* ad primam partem, *Affirmative,* ad secundam.

Ad VIII. Superiores in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: 1° *quoad curriculum theologicum,* candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem præsentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2° *quoad inferiora studia, eidem curriculo pramittenda: a/* eumdem candidatum, rite peractis primariæ institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b/* præfatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspicato superavisse.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quæ de integritate et duratione studiorum in præsenti documento dicuntur, sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus generalibus elencho disciplinarum, quæ singulis annis scholasticis seu academicis adsignatæ sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, Instructionem de studiis apud clericos Ordinum et Institutorum religiosorum rite et integre peragendis præparet, in plenario E^morum^ Patrum ejusdem Congregationis cœtu examinandam, et probante Summo Pontifice, publici juris faciendam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus (1).

Romæ, e Secretaria ejusdem sacræ Congregationis, die 7 Septembris 1909.

L. ✠ S.

Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

---

(1) Illa declaratio effectum retroactivum non habet, nec proinde extendenda ad candidatos qui ante diem septimam septembris 1909 fuerint admissi: Cf. Vermeersch, *l. c.*, p. 48.

Consultatio

1. « An, qua occasione, et *quo modo*, docendi sunt fideles, — præsertim operarii, — tum in scholis, tum e suggestu, sibi non licere nomen dare societatibus nomini christiano infensis (præcipue socialistarum) » ?

2. « Quodsi docendi sunt, nonne expediret in *Collationibus* exhibere schema hujusmodi instructionis, ut ab omnibus eodem fere modo, hæc maximi momenti doctrina fidelibus proponatur » ?

Resp. Ad I. **An docendi ?** — Affirmative, ut vel leviter reflectenti apparet. Etenim fidelibus nostris, præprimis hominibus tenuis conditionis, præsertim operariis, gravissimum exstat ex parte socialismi periculum tum variorum peccatorum, tum etiam defectus ab ipsa Ecclesia fideque sua catholica. Et ex altera parte illud quod, post gratiam divinam, munire eos posset contra aggressus pravæ hujus doctrinæ, cognitio np. et conscientia veri rerum status, multis infeliciter deest : vago utique modo multi apprehendunt aliquam dari in socialismo, vel potius in multis sequacibus ipsius, repugnantiam principiis catholicis; accurata autem notitia destituuntur, et, decepti vel ipso nomine *factionis operariorum* quo quasi sibi exclusivo se exornant, decepti iteratis declarationibus folicrum pravorum vel ducum se nihil adversari fidei, sed unice curam intendere miseræ sortis operariorum, — periculi ingentis cui se exponunt nomen dando associationibus socialistarum, minus conscii existunt (1). Dubium nobis

(1) Sic bene, ex analysi operis D. VANDERVELDE, *Essais socialistes* (Paris, Alcan, 1906) de indole socialismi nostri et de periculis quibus exponuntur operarii nostri, concludit DEFOURNY, in *Revue sociale catholique*, 1905-1906, p. 180 s.: Fallacia et duplicitate utuntur socialistæ nostri relate ad rem religiosam : Eorum enim placita huc reduci possunt : « Le socialisme est anticatholique. — Les socialistes sont libres-

non est, quod si nitidam ipsis daremus et solidam doctrinam, tum de vera indole socialismi nostri, tum de iis quæ socialistica non sunt, periculum ad socialismum delabendi non parum diminueretur, — præcipue si non verbis tantum sed etiam praxi doceremus.

Qua occasione et quo modo (1)?

Sainte Thérèse et Saint Jean de la Croix! Voilà certes des noms qui ne laissent pas d'effrayer certains esprits. Peut-on songer à lire ou à permettre de lire ces grands mystiques? Le livre du P. Alphonse sera pour beaucoup de lecteurs une révélation, il dissipera plus d'un préjugé et engagera plus d'un prêtre à vouloir se nourrir à la source même *cælestis ejus doctrinæ pabulo,* suivant la prière de l'Eglise à la fête de Sainte Thérèse.

Kard. Vaughan. *De jonge Priester.* Uit het Engelsch door **Bernard A. J. V. Baaren,** Pr. Leiden, Van Leeuwen, 1909. In-12, VIII-358 bl.

In conferentievorm schreef Kardinaal Vaughan op het einde van zijn leven deze reeks onderrichtingen voor de jonge priesters, d. i. deze priesters die de overgangsperiode doormaken, welke met de priesterwijding begint en een onbepaalden tijd voortduurt, totdat nl. hun geest en karakter vaste richting gekozen, juiste en beslissende streving genomen heeft. Dikwijls zijn ze aan zichzelf overgelaten, moeten ze zelf

zich leiden en oefenen in de heiligheid, die hunne roeping onderstelt. Soms is een biechtvader, een vriend, een boek hun gids. Voor hen wou dit boek een gids zijn, en de gids is wijs en ervaren.

« Als ik velen, zegt de vertaler, die met mij behooren tot de « Jonge Priesters », heb nuttig kunnen zijn, zal ik mij overvloedig beloond rekenen ». Velen zal hij nuttig zijn, ook jongeren die nog priester moeten worden en misschien ook ouderen, die het sedert lang geworden zijn.

C. Willems. *Philosophia moralis.* Treviris, ex officina ad S. Paulinum, 1908. Gr. in-8, xv-584 p. Pret. 7 M.

Institutiones philosophicas (2 vol) jam complevit doctissimus Philosophiæ in Seminario Trevirensi Professor scribendo etiam *Philosophiam moralem.* Quemadmodum in prioribus voluminibus, ita etiam in hoc nova et vetera amico fœdere tractavit : doctrinæ enim Veterum conjunxit placita Recentiorum, assumens quæ utilia sunt ædificio morali, cetera relinquens aut rejiciens qua inutilia aut falsa. Inde accrevit tractatus molis ingentis, at hincinde, quod timendum erat, paululum indigestæ. Huic tamen periculo aliquatenus provisum est ipsa dispositione typographica : curavit nempe Auctor multa minoribus litteris imprimenda ac insuper in indice notavit asterisco materiam, quæ in re ethica fundamentalis atque necessaria videtur. Una alterave sententia vel expositio minus placuit : puta p. 167, ubi conscientia dicitur actus primario rationis, *secundario voluntatis;* p. 178 ss. expositio de dubio solvendo in re morali.

Ceterum opus illud libenter commendamus studiosis lectoribus.

M. Gillet, O. P. *Over Karaktervorming.* Leuven, Keuboekerij, 1909. Gr. 8°, xii-277 bl. 2 fr. 50.

Bij de behandeling van zijn onderwerp, is Pater Gillet niet eenzijdig gebleven, zooals het te dikwijls gebeurt met psychologen of met moralisten. Psycholoog en moralist te zamen, heeft hij willen den invloed aantoonen van de levensvoorwaarden en van de zieletoestanden op onze zedelijke handelingen, en tevens de rol doen uitschijnen van het christen ideaal en van de genade.

De bedoeling is opperbest, en we mogen erbij voegen met Pater De Groot, die deze voordrachten heeft ingeleid, « dat nagenoeg alle hoofdstukken van *Karaktervorming* ernstig gehoor verdienen, ook verre buiten de wereld der studenten » (bl. VIII). We konnen echter ons niet ontmaken van den indruk, dat in dit boek het christelijke, het bovennatuurlijke te veel in de schaduw bleef.

H. Mahieu.

H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum Cleri. Brugis, Beyaert, 1910. xx-540 p.

De indole hujus operis hæc desumuntur ex præfatione auctoris : Sensu quodam speciali *probatio* solet dici *exercitatio in aliqua virtute*

peculiari et complectitur seriem aliquam exercitiorum, quibus aliquis per aliquod temporis spatium quasi ex professo sese informet ad virtutem determinatam, ut scilicet eam intimius cognoscat, altius æstimet ac perfectius exerceat.

Porro proponitur instituenda confratribus sacerdotibus *probatio charitatis*. Uti facile apparebit lectori studioso, sumitur charitas in toto ambitu suo, prout est omnium virtutum forma, mater et regina, ac proinde non tantum quoad actus ejus specifice proprios seu elicitos, sed etiam imperatos; imo, ac præcipue, consideratur prout est *vinculum perfectionis* (Col. III, 14). Videlicet assumitur tamquam directorium totius tractationis doctrina Doctoris Angelici: *Secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianæ vitæ* (1). Unde hæc nostra probatio charitatis vix non erit *probatio perfectionis*.

Superest adhuc ut, pro meliori intelligentia totius operis nostri, breviter aperiamus rationem quam exponendo materiam sumus secuti. *Probatio* quælibet est ordinata ad virtutem aliquam intimius *cognoscendam*, altius *æstimandam* ac perfectius *exercendam*. Cognoscitur autem virtus per studium ac meditationem, quæ est pars præparatoria orationis mentalis; ex intimiori cognitione sponte sequitur altior æstimatio, quam augebit pars affectiva orationis mentalis; inde jam inclinamur ad exercitium virtutis: inclinatio vero perficitur per proposita efformata in tertia parte orationis mentalis, et de facto exercetur virtus ope examinis particularis.

Exinde apparet quasnam partes implere debeat Auctor, qui proponit probationem lectoribus instituendam: videlicet in *prænotandis* et *notis* exhibere conati sumus doctrinam moralem et asceticam, quæ sit materia studii instituendi extra tempus destinatum orationi mentali; deinde præparavimus materiam orationis mentalis seu *meditationes:* hæ continent potissimum materiam pro consideratione mentis seu meditatione stricte dicta; nec tamen omisimus indicare affectus congruos eliciendos ac proposita efformanda.

Approbatio Ill. ac Rev. Waffelaert, Episcopi Brugensis:

Hæc *Probatio charitatis* accuratæ doctrinæ copia insignis et christiana cum sapientia atque unctione suavi Clero proposita, fiat, precamur, omnibus et singulis sua probatio, ut super omnia charitatem habeamus quod est vinculum perfectionis.

Brugis, 20 februarii 1910.

† G. J. Episc. Brugen.

H. Mahieu. *Het Brood des Levens.* Bovennatuurlijk leven, dagelijksche Communie. Derde uitgave. Brugge, K. Beyaert, 1910. IV-216 bl. Prijs: 1 fr. 25. Per 12 ex., 1 fr.

De tweede uitgave was merkelijk vermeerderd: in het eerste deel, over *het bovennatuurlijk leven*, had schrijver breedvoeriger uiteengezet *hoe dit leven gevoed wordt* door Christus in het H. Sacrament; in het tweede deel,

(1) *Summa theol.*, 2-2, q. 184, art. 1, ad 2. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 588 ss.

had hij meer gesteund op de meditatie en het bijzonder onderzoek en meer bijzonder aangetoond hoe de dagelijksche Communie ons dagelijksch leven moet doordringen en heiligen.

Deze derde uitgave verschilt zooveel niet van de tweede: op enkele plaatsen werd ze verbeterd en vermeerderd, en in het aanhangsel werden ettelijke documenten bijgevoegd.

GOEDKEURING.

Wij schenken zeer geern onze goedkeuring aan deze derde uitgave van het Boekje: *Het Brood des Levens,* door E. H. Mahieu, S. T. L., bestuurder en leeraar in ons groot Seminarie; boekje dat, vol zalvende leering, ons schijnt allerbest geschikt om het zalig gebruik der veelvuldige Communie te verspreiden, en ja, uit de dagelijksche Communie overvloedige vruchten van heiligheid, naar den wensch van het aanbiddelijk Hert van Jesus, te putten.

Brugge, 5 Januari 1910.

† G. J., Bisschop van Brugge.

M. C. Nieuwbarn, O. P. *Beknopt, Kerkelijk Handwoordenboek.* Verklarend woordenboek van katholieke geloofs- en zedenleer, liturgie, symboliek en kerkkunst met illustraties en bijlagen. Tilburg, Bijvoet en Antwerpen, Nederlandsche boekhandel, 1910. In-8, 546 kol. Fr. 6.

De gunstig gekende schrijver van *Het H. Misoffer en zijne Ceremoniën* (1) en *Het Roomsch Kerkgebouw* geeft ons nu een aantrekkelijk « Woordenboek van kerkelijke zaken, » dat bij velen welkom zal heeten. Het gemis van een handig kerkelijk woordenboek deed zich sterk gevoelen bij de groote massa onzer ontwikkelde katholieken die in onze bedrijvige eeuw den tijd niet vinden om uitgebreide werken over kerkelijk leven te lezen en hunne onkunde in katholieke leerpunten, gebruiken, dingen en benamingen bij dagelijks lezen en spreken veelal ondervinden en ook beklagen. Aan dezen biedt eerw. schrijver een praktischbruikbaar Handwoordenboek, in hetwelk hij op merkweerdige wijze in zeer beknopten omvang uiterst veel wetenschappelijke en doorgaans gegronde gegevens heeft weten samen te brengen.

Voor ontwikkelde katholieke leeken is het boek allernuttigst. Dat een priester, die volledige kerkelijke studien gedaan heeft, in het meerendeel der artikelen weinig nieuws zal vernemen spreekt vanzelf, en toch zal hij met genoegen stilhouden niet enkel bij de uitgebreidere bijlagen en de ontelbare leerrijke printjes, maar ook bij den uitleg van minder bekende woorden en zaken en bij allerlei wetensweerdigheden.

Moge het boek van Eerw. Pater Nieuwbarn in vele familiekringen binnendringen en er de katholieke leer en het kerkelijk leven beter laten kennen en hooger doen achten!

---

(1) Zie *Collat. Brug.*, XIII, 133.

Barin L. *Catechismo liturgico.* Vicenza, G. Galla, 1907-1909; in-8, IV vol. F. 4,50.

V. I. Nozioni generali, forme e parti della Liturgia, 116 p., F. 1.

V. II. Del divino officio, 126 p., F. 1.

V. III. Santa Messa, 242 p., F. 1,50.

V. IV. Sacramenti e sacramentali, funzioni particolari e straordinarie, 340 p., F. 1,50.

Tractatus de liturgia sacerdotali completus, in quo ita exponit praxim servandam ut simul valde laudabiliter tentet simul exponere nonnullorum rituum originem. Dolendum tamen notiones historicas non esse magis accuratas nec ita expositas ut explicent nexum cum *hodierna* liturgia. Rarius exponuntur principia vel regulæ generales. In tradendis regulis practicis non satis apparet lectori necessaria distinctio inter præscripta ipsius rubricæ et opiniones sive ipsius auctoris sive aliorum scriptorum. Raro adnotantur fontes, textus librorum liturgicorum, decreta, rubricistarum opera.

Clericus devotus. Orationes, meditationes et lectiones sacræ ad usum sacerdotum ac clericorum, cum extracto ex Rituali. Friburgi, Herder, 1909. In-32. 488 p., religatum linteo: F. 3,60; corio: 4,75.

Mirum quam copiosa materia tam nitidis ac magnis typis impressa colligi valeat in volumine dimensionis ac ponderis minimi. Hoc libello, sine ullo incommodo, continuo secum habere potest clericus unde assidue nutriat pietatem et omni data occasione ministerium sacerdotale exerceat. Delectus materiæ optimus; exhibentur enim præparationis ad missam vel S. Communionem et gratiarum actionis modus duplex, preces matutinæ et vespertinæ, preces in visitatione Sanctissimi, quædam parva officia et exercitia devotionis, ordo ministrandi Baptismum, Viaticum et Extremam Unctionem, commendatio animæ, exequiarum ordo (non tamen juxta ultimam editionem Vaticanam) benedictiones. Accedunt demum 40 meditationes sat breves sed substantiales et ex optimis auctoribus selectæ, necnon lectiones sacræ; nempe SS. D. N. Pii PP. X Exhortatio ad clerum.

Het Heilig Vormsel. Leering, gebeden en ceremoniën. Brugge, K. Van de Vyvere, 1910. In-24, 32 blz.

Grondige leering over het sakrament, latijnschen tekst met vertaling der gebeden en muziek der gezangen, deugdelijken uitleg van al de ceremonien die in voege zijn bij de inhaling en het uitgeleide van Z. H. den Bisschop en bij het toedienen van het Vormsel: dat alles vindt ge in dit lief en zeer nuttig boekje dat wij geerne — door toedoen der priesters —

in de handen zouden zien van alle vormlingen. Het zal helpen tot de goede bereiding even als tot het deftig deelnemen in de plechtigheid der Vorming en zal eene aangename gedachtenis zijn van het ontvangen sakrament.

C. CALLEWAERT.

Van der Heyden J. *The Louvain American College, 1857-1907*. Louvain, Ceuterick, 1909, in-8, x-412 p.

Dans cette monographie, artistiquement éditée et copieusement illustrée, l'auteur a réuni, à l'occasion du cinquantième anniversaire du Collège Américain de Louvain, tous les souvenirs qui se rattachent à cette institution. Il y a un vrai plaisir à parcourir ces 25 chapitres, dans lesquelles l'auteur raconte agréablement, non sans *humour* parfois, les humbles débuts et la prospérité toujours croissante du collège, ainsi que la grande influence qu'il exerça, durant les cinquante premières années de son existence, sur l'église, si florissante aujourd'hui, de l'Amérique du Nord. A ce dernier titre, comme contribution à l'histoire des missions au XIXe siècle, le livre du Rév. M. Van der Heyden mérite surtout notre attention. On y verra aussi avec plaisir que le diocèse de Bruges a fourni un bon contingent d'élèves au Séminaire Américain.

R. DE SCHEPPER.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Abrégé du Graduel Romain contenant les messes pour tous les dimanches et fêtes doubles etc., d'après l'édition typique Vaticane avec traduction française par Dom LUCIEN DAVID. Düsseldorf, Schwann (édition U²), 1910-322*-233**-[196]-122* p. M. 4,80 relié.

Baudot, Pr., S. J. *L'Evangile du Prédicateur*. Manuel homilétique d'Evangile. Bruges, Soc. St Augustin, [1909]. In-12 de 676 p. 3 fr. 50.

Billot G. *La bienheureuse Mère Barat*. La Fondatrice, l'Educatrice, la Sainte. Paris, Téqui, 1910. In-12, 85 p., F. 0,75.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Cartes murales pour l'enseignement du chant grégorien, à l'usage des Écoles, Séminaires et Maîtrises. Rome-Tournai, Desclée et Cie. Trois grands tableaux 125 × 85 cent., prix, en feuilles frs 10,00; montés sur baguettes, frs 12,00.

De Amicis P. M., P. C. M. *Novum Cæremoniale pro missa privata* ex Ephemeridibus liturgicis excerptum. Romæ, Artero, 1909. In-8, 94 p. Fr. 1,50.

De Smedt Ch., S. J. *Notre vie surnaturelle.* Son principe, ses facultés, les conditions de sa pleine activité. Tome I. Bruxelles, Dewit, 1910. In-12, XVI-572 p.

Ecker J. *Petite Bible illustrée de l'enfance.* Paris, Bloud et Cie, 1910. In-8, 60 p. relié. F. 0,50.

Feige P. *Saint Joseph.* Exercice en trente méditations. Paris, P. Téqui, 1910. In-18, 206 p. F. 1.

Ghewy R. *Sur le passage du Maitre.* Scènes évangéliques. Scènes de nos jours. Bruges, Beyaert, 1910. In-8, 292 p.

Grimes. *Traité des scrupules.* Instructions. Paris, Téqui, 1910. In-18, 266 p. F. 1.

Hulsman A., S. J. *Mijne Eerste H. Communie.* Hoe de kleinen tot Jesus kunnen gebracht worden. Mechelen, We P. Ryckmans, 1910. In-8, 416-24 bl. Fr. 1,60.

Liber usualis missæ pro dominicis et festis duplicibus. Édition en notation grégorienne sans signes rythmiques. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1910, in-12, 993-[70] p. F. 3.

Liber usualis missæ pro dominicis et festis duplicibus. Notation moderne rythmée. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1909, in-12, 1182-80 p. F. 4,50.

Lietzmann H. *Lateinische altkirchliche Poesie.* (Coll. Kleine Texte für theologische und philologische Vorlesungen und Uebungen n. 47-49). Bonn, Marcus, 1910. In-8, 64 p. M. 1,50.

Editio accurata, adjecto apparatu critico, hymnorum et carminum præcipuorum Ecclesiæ latinæ scriptorum: Hilarii, sed præsertim Ambrosii, Prudentii et Commodiani.

Mocquereau Dom. *Exercices rythmés de vocalises grégoriennes.* (Extrait du *Nombre musical grégorien.*) Partie de l'élève. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1909, in-8, 136 p. F. 1,75.

Id. *Le décret du 14 février 1906 de la S. Congrégation des Rites et les signes rythmiques de Bénédictins de Solesmes.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1906, 27 p. F. 0,50.

Id. *Causeries sur les signes rythmiques et leur utilité.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, s. d., 24 p. in-12. F. 0,25.

Pesch Chr., S. J. *Prælectiones dogmaticæ.*

T. V, *De gratia. De lege divina positiva.* Edit. 3a. Friburgi Br., Herder, 1908. In-8, 331 p. M. 5,60.

T. VIII, *De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis.* Edit. 3a, 1910. In-8, x-344 p. Fr. 6,75; relig. 8,75.

Piacenza P. *Prælectiones de sacra liturgia. De divino officio.* Romæ, Forzani, 1909. In.8, 460 p. F. 4.

Id. *Expositio novissima rubricarum Breviarii Romani.* Romæ, Artero, 1909. 2 vol. in-8, 340 et 562 p. F. 6.

Practisch handboek der christelijke leering of Catechetische voorlezingen, volgens het boek van den H. Augustinus De catechizandis rudibus, door Mgr A. Gruber. Gent, Van der Schelden, 1906. In-8, 292 bl.

Quadrupani R. P. *Direction pour rassurer dans leurs doutes les âmes timorées.* Paris, Téqui, 1910, 6e édit. In-18, 178 p. F. 1.

Id. *Direction pratique et morale pour vivre chrétiennement.* Paris, Téqui, 1910, 6e édit. In-18, 196 p. F. 1.

Recueil de prières et de chants. Edition chiffrée et rythmée. Kyriale. Messe pour les défunts. — Extraits du Graduel. — Chants pour le Salut. — Cantiques. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1909. In-12, 169 p. F. 0,65.

Rouillon A. M. *Le péril des sens.* Paris, Bloud et Cie, 1910. In-16, 186 p. F. 2,50.

Schober G. *Cæremoniæ missarum solemnium et pontificalium, aliarumque functionum ecclesiasticarum.* Edit. altera, Ratisbonæ, Pustet, 1909. In-8, 428 p. F. 3,75, relig. F. 5.

Texier A. *Jeanne d'Arc et l'Eglise devant la Libre-Pensée.* Conférence. Paris, Téqui, 1910. In-12, 36 p. F. 0,50.

Tissier J. *La vieille Morale à l'école.* Paris, Téqui, 1910. In-12, p. 416. F. 3,50.

Vigourel A. *La liturgie et la vie chrétienne.* Paris, Lethielleux, 1909. In-8, 504 p.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Ostende differentias quæ inter tres narrationes conversionis S. Pauli in libro Actuum deprehenduntur (9, 1-30; 22, 5-16; 26, 9-20) non esse contradictiones, uti Rationalistæ immerito contendunt, easque ipsam facti seu conversionis miraculosæ substantiam non attingere.

II

Breviter indica connexionem inter quæstionem de cooperatione Dei in operationibus creaturarum et quæstionem de modo quo Deus cognoscit liberas actiones creaturarum.

III

Dijudica malitiam aspectuum pravorum.

IV

Dijudica malitiam tactuum et amplexuum pravorum.

V

Indica remedia generalia adversus tentationes.

VI

Qualis debet esse forma casulæ?

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

A. De Meester. *La guérison miraculeuse de Pierre De Rudder. Relation des deux premières enquêtes faites en 1875.* Roulers, J. De Meester, 1910, in-8, 61 p. Fr. 1.

***

Is verschenen bij K. van de Vyvere-Petyt, te Brugge.

Kerkelijke Kalender van het Bisdom Brugge voor 't jaar 1910.

Dit aanbevelensweerdig werkje wijst al de Oratiën en bijzonderheden aan der H. Mis van *iederen dag* en der Vespers van alle *Zon-* en *Feestdagen.* Het bevat daarenboven een aantal liturgische aanteekeningen over kerkplechtigheden, feestdagen, Requiemmissen, commemoratiën, enz. In-32, 64 bl. Prijs: 0,15 fr. het stuk; 1,20 fr. voor 12.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Cum figurati dicendi modi frequentissime occurrant apud Prophetas; cum hi præterea utantur rebus populo notis ad res futuras describendas; cum demum vaticinia in visionibus plerumque conspiciant (in quibus velut in pictura abest distinctio temporum), generalia quædam principia propone ad prophetias explicandas aptissima, quæque simul ostendant inerrantiam Scripturæ in genere litterario prophetico sartam tectam manere.*

R. I. **Inerrantiam Scripturæ** in genere litterario prophetico sartam tectam manere omnes auctores catholici ultro fatentur. Cæterùm, ex omnibus quæ supra (1) de natura inspirationis disputavimus, satis liquet « quæstionem biblicam » inter catholicos nostro tempore agitatam non tam litem esse theoreticam de inspirationis extensione (omnes enim omnia hagiographi judicia inspirata esse tenent), neque de Scripturæ inerrantia (omnes pariter omnia judicia hagiographi (2) esse ab errore immunia agnoscere debent) (3) — quam

(1) T. XIV passim, et hoc t. XV, p. 7 ss.; 73 ss.; 129 ss.

(2) Attamen catholicos quosdam s° XIX extensionem inspirationis nimis restrinxisse fatemur. Cf. Van Noort, *De fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami, 1906, p. 35 s.; Bainvel, *De Scriptura Sacra*, Parisiis, 1910, p. 140 s.

(3) Quamvis ultrò demus hac in re propositas fuisse et adhuc proponi theorias philosophice parum accuratas et theologice haud satis tutas. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 346 ss.; t. XIII, p. 659 ss. Pariter iis quæ apud *Biblische Zeitschrift*, t. VII, p. 151 proponuntur, haud adstipulamur.

quæstionem practicam hermeneuticæ seu interpretationis sensûs ab hagiographis intenti.

Etenim dissensus, ubi viget, circa quæstionem facti versatur: quænam judicia hagiographi in casu particulari proferre intenderint. Porro, hæc *quæstio facti,* ut pluries diximus, maxime pendet a determinatione speciei litterariæ in libro aut libri parte usurpatæ. Verùm, cùm singula genera litteraria tùm profana, tùm sacra rite sint determinanda, cùmque singula species habeat propria interpretationis principia seu regulas, nihil mirum si hinc inde, imò satis frequenter interpretes catholici de Scripturæ sensu (1) dissentiant.

Summi igitur momenti est uniuscujusque generis litterarii interpretationis regulas adæquate determinare apteque applicare, ut de sensu ab auctore sacro intento rite constet.

Quodsi fiat, inerrantia Scripturæ non solùm sarta tecta manebit, sed non alia apparet via quà in tuto collocari possit debeatque.

Unde suprà p. 160 ss. et infrà p. 233 ss. genus litterarium propheticum ejusque proprietates essentiales (2) paucis delineare conati sumus, ità ut jam breviter, inspecto etiam quæstionis tenore, hujus generis explicandi regulas compendiose proponere liceat.

---

(1) Qui dissensus eo facilius obtinet, quod sensus Ecclesiæ seu Traditio paucorum Scripturæ locorum sensum authentice definivit, quodque consensus SS. Patrum moraliter universalis cuidam interpretationi ibi tantum refragatur, ubi revera adest et sensum quemdam communiter admissum ad fidem moresve pertinere tenet. Cf. supra, p. 77 s. Unde nihil est in hoc interpretum dissensu quod catholicos angere, imò movere debeat. Invigilare sane debent interpretes ne prudentiæ limites prætergrediantur, neve absque sufficientibus rationibus thesim vel etiam hypothesim proponant. Cavere quoque debent theologi ne Traditionem quasi a priori contra novas interpretationes invocent, ipsumque textum sacrum attente inspicere negligant.

(2) Ad normam operum a probatis auctoribus conscriptorum. Loca assignata circa « modum quo Prophetæ consilia Dei cognoverint eaque manifestaverint » profectò heic præsupponimus.

II. **Generalia principia de interpretatione prophetarum** (1).

Cùm non omnia quæ in libris prophetarum leguntur sint prophetiæ stricte dictæ; cùm aliunde in libris non proprie propheticis, veræ prophetiæ occurrant, oportet sane ut prophetiam seu stylum propheticum adesse constet.

Dignoscendæ autem prophetiæ inservire possunt a/ variæ formulæ introductoriæ intra vel extra libros propheticos occurrentes, quales sunt e. g.: Factus est sermo Domini ad... (cf. *II Reg.* 7, 4 et prophetas passim), visio..., verbum revelatum est..., onus (2) quod vidit..., hæc ostendit mihi Dominus etc.; b/ citationes explicitæ in N. T.: cf. e. g. *Mt* 1, 22 s.; c/ traditio antiquæ Synagogæ et præsertim Ecclesiæ; d/ deficientibus hisce indiciis, interpres quandoque in ipso textu ob argumenti elevationem aut formæ sublimitatem prophetiæ signa reperiet (3), ut *Is.* 9, 1 ss.

Ad rectam autem interpretationem prophetiæ de qua constat, sequentia principia (4) generalia (5) observanda videntur:

1° *Figuratis dicendi modis* prophetarum in specie applicanda sunt quæ de tropis explicandis in genere p. 129 ss. tradidimus.

Quod figuris ac *rebus populo hebræo notis* utatur propheta ad res futuras describendas, nequaquam mirabitur qui modum quo prophetæ consilia Dei cogno-

---

(1) Cf. Pelt, *Histoire de l'Ancien Testament*, Paris, 1904, t. II, p. 148 ss.; Bacuez et Vigouroux, *Manuel biblique*, t. II (Paris, 1906), p. 566 ss.; Zapletal, *Hermeneutica biblica*, Friburgi H., 1908, p. 107 ss.; Pesch, *De Inspiratione Sacræ Scripturæ*, Friburgi, B., 1906 p. 504 ss.; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. II, p. 275 ss.

(2) Cf. C. Rohart, *De oneribus biblicis contra gentes*, Insulis, 1893.

(3) Cf. Zapletal, *o. c.*, p. 109.

(4) Mens nostra sane non est ut materiam hanc penitus exhauriamus, de qua, qui istud intenderet, integrum tractatum proponere deberet.

(5) Nam singuli prophetæ suas habent proprietates, uti videre est e. g. in Introductionibus specialibus ad singulos minores prophetas apud Van Hoonacker, *Les douze petits prophètes*, Paris, 1908.

verit (cf. supra, p. 165 ss.) eaque propalaverit (v. infra, p. 233 ss.), secum reputabit.

Ubi autem sensus figuratus adesse ostenditur, non tantùm is solus ab auctore intenditur, sed præterea imagines a prophetis adhibitæ non sunt nimis premendæ: sat sæpe principalis tantùm significatio retinenda est. Solent enim prophetæ, secundum affectùs sui vehementiam, etiam vehementes, audaciores adhibere imagines quæ non ad litteram exponendæ sunt. Sic magnas rerum mutationes sæpe terræ motu, siderum casu, solis et lunæ obscuratione depingunt. Cf. resp. I^m mensis sequentis.

2° Ad *symbolorum* pariter veritatem minime requiritur, ut omnia eo modo quo in symbolo repræsentantur, re et opere exprimantur: verbalis ergo ac litteralis explicatio jure merito excluditur. In symbolo enim (1) res adhibentur in figuram ac repræsentationem aliarum rerum; proinde ipsæ res symbolicæ nequeunt eædem esse cum iis quarum sunt symbola. Insuper quia sunt symbola, non possunt in eodem ordine ac in eadem forma transferri in seriem rerum existentium; alias enim non essent symbola, sed ipsæ illæ res repræsentandæ. Sic destructio armorum est frequens symbolum pacis Messianicæ (2). Ita Isaias **11**, 6-9 unicum judicium proferre videtur, futuram sc. pacem messianicam, quam utique pulcherrimo symbolo evolvit (3). Ità pariter Ezechiel c. 40-48 theocratiæ instaurationem imaginibus et symbolis luxuriose describit, neque ea que de templo, de ritibus, cæremoniis etc. dicuntur, ad litteram intelligi debent, imò nec possunt (4). Neque debet interpres

---

(1) Ut ait KNABENBAUER, *Commentarius in Isaiam prophetam*, Parisiis, 1887, t. I, p. 277.

(2) *Zach.* **9**, 10; *Mich.* **5**, 9 ss.; *Os.* **1**, 7; **2**, 10; Cf. VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 666.

(3) Quod egregie ostendit KNABENBAUER, *o. c.*, p. 275. — Cf. S. HIER., *In Is.* **11**, 6 ss.

(4) Uti solide probat KNABENBAUER, *Commentarius in Ezechielem prophe-*

in hujusmodi symbolicis descriptionibus circa minutissima quæque hærere eaque sollicite excutere et explicare: ipse processus litterarius adhibitus talem prophetiæ applicationem neque postulat, neque patitur.

Pariter, cum inter typum et antitypum non sit æqualitas sed similitudo, inepte agunt ii qui in regno messianico (cujus theocratia V. T. erat typus) omnia ad litteram adimplenda esse contendunt.

3° Quoad *actiones symbolicas* (v. infra, p. 242 ss.), sedulò investigandum utrum fuerint a prophetis in actum externum deductæ, vel potius meræ actiones imaginariæ prophetis in visione ostensæ.

4° Ut autem interpres dijudicet utrum prophetia, figurate symbolice vel typice proposita, *adimpleta vel adhuc adimplenda* sit necne, plura juvare possunt:

a/ Inquirat utrum prophetia absoluta sit, an conditionata. In specie notandum est (1) vaticinia promissoria vel comminatoria (i. e. ea, quibus bene agentibus præmia, male agentibus pœnæ prædicuntur), sæpe esse *conditionata*, quatenus præmium vel pœna hominibus in bono vel in malo perseverantibus continget. Mutata autem conditione, mutabitur eventus futurus.

b/ Historia quandoque adjutorio esse potest: plurium prophetiarum de Messia ejusque regno adimpletionem in libris N. T. et in Ecclesiæ historia reperire est, dum prophetias ad populum Israel nationesque ei vicinas spectantes in eorum historia adimpletas conspicere licet.

5° *Tempora rerum prænuntiatarum rite distinguat.* Etenim cùm Deus prophetis consilia sua ordinarie visione revelaverit (cf. supra, p. 167), cumque « viden-

---

tam, Parisiis, 1890, p. 500 ss. — Antiqui Judæi, quoniam ad propheticum imaginum et symbolorum usum non attenderunt, in Jesu Messiam promissum non agnoverunt, quum non esset rex ille potens, qui armorum vi omnes hostes populi electi devicit et fines terreni alicujus regni usque ad terminos terræ extendit. Cf. Cornely, *o. c.*, p. 303.

(1) Quod scite observat Pesch, *o. c.*, p. 505 s.

tes » res futuras ut præsentes, quasi in tabula depictas viderint (cf. infra, p. 240 s.) atque eodem modo verbis ac scripto proposuerint, successio temporum in prophetiis evanescit. Quæ autem simul, in eodem plano, uti aiunt, sæpe simul enuntiant, plures eventus tempore distantes unica imagine depingunt vel futura ut præsentia aut præterita proponunt.

Duo cum Cornely (1) proponimus exempla. « Historiam autem cum vaticiniis comparantes Judæi ex captivitate reduces in Isaiæ vaticiniis discernere potuerunt, quænam ad liberationem suam non spectent, sed majorem et splendidiorem messianicam liberationem annuntient, sicut nos post Jerosolymorum destructionem in vaticinio Domini, qui eumdem morem propheticum secutus judicium ultimum de Jerosolymis exercendum cum judicio ultimo de mundo exercendo conjungere voluit (*Mt* 24), discernere possumus, quæ ad prius illud judicium non spectent » (2).

Cæterùm, ut principia hìc compendiose tradita intelligat benevolus lector, loca prophetarum exempli causà adducta attente legere ac sedulò perpendere velit.

A. Camerlynck.

---

(1) *o. c.*, p. 299 s.

(2) Cf. *Mc* **13**, 1 ss. et *Lc* **21**, 5 ss. In hoc tamen Evangelio distinctio inter utrumque eventum clarius apparet. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 109 ss., ubi p. 114, n. 2 sententiam rejecimus Batiffol, *L'enseignement de Jésus*, Paris, 1905, p. 257 : « Nous aimons mieux penser que la tradition rédactionnelle a créé la confusion (entre les deux événements) en bloquant en un seul discours tout ce qu'elle possédait de paroles de Jésus sur l'avenir ». Cf. etiam Pesch, *o. c.*, p. 504 s., n. 2, cujus tamen interpretationem *Mt* **10**, 23 non admittimus, quasi in dicto textu de Christi reditu ad ultimum judicium sermo esset. De regni messianici *adventu* in loco subjecto agi arbitramur, ut apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 132 ostendimus.

II

Q. *Explica quomodo creatura* agendo *sit* causa instrumentalis *Dei.*

R. 1. In alicujus effectus productione non raro inveniuntur duæ causæ, quarum una dependet ab altera in causando et quarum una dicitur *principalis,* altera *instrumentalis.*

Porro *principale* agens dicitur id quod et quatenus *virtute* sibi *propria* (h. e. habente in ipso esse ratum et firmum) attingit effectum. *Instrumentale* agens dicitur id quod et quatenus (agendo quidem actionem sibi competentem) *movetur* a principale agente et *virtute* ab hoc *accepta* effectum attingit (1).

Instrumenta, nobis prius et melius nota, sunt ea, quibus homines in operibus artificialibus utuntur, ut v. gr. serra, securis, calamus. Consideremus calamum quo homo efficit scripturam: calamus habet aliquam determinatam *formam*, qua fit aptus ad extendendum, debito modo, atramentum, et secundum formam est plus vel minus aptus ad effectum producendum. Est porro actualiter et formaliter instrumentum quando ab homine (qui est causa principalis) *applicatur* ad extendendum atramentum et *movetur* in ipsa extensione atramenti, et sic efficit applicata et mota scripturam.

« Unde instrumenti *operatio* est *duplex:* una quæ est ei *connaturalis*, sicut extendere attramentum est connaturalis operatio calami, et scindere connaturalis operatio serræ, alia est operatio ejus *instrumentalis* sicut facere scripturam extendendo atramentum, et inducere

---

(1) Cf. S. Thomas, I Q. XLV, a. 5, I-II, Q. XVI, a. 1, III, Q. LXII, a. 1; *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 21; *De veritate,* Q. XIV, a. 1, ad 5; Billot, *De Sacramentis,* Romæ, 1893, t. I, p. 52 ss.; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 275; Cardinal Mercier, *Ontologie,* 3a Ed., Louvain, 1902, n. 221; Hugon, *La causalité instrumentale,* Paris, 1907, p. 6 ss.; Richard, *La causalité instrumentale,* in *Revue néo-scolastique,* 1909, t. XVI, p. 5 ss.

formam scamni secando lignum. Et sicut operatio instrumenti est duplex, ita est *duplex quo* operatur: unum sibi *proprium,* quod est qualitas habens esse fixum et completum in eo, puta acuitas dentaturæ in serra; alterum a principali agente participatum, scilicet motus, quo movetur ab arte, quique *virtus instrumentalis* dicitur, utpote constituens instrumentum, qua tale, in esse virtuoso seu effectivo principalis effectus...

« Porro tria ibi notatu potissimum digna inveniuntur. *Primum* est quod instrumentum debet aliquid *operari de suo;* aliàs, otiosa esset instrumenti assumptio... *Alterum* est quod oportet virtutem instrumentalem *subjectari in ipsissima actione qua instrumentum exsequitur proprium effectum... Tertio* quod virtus instrumentalis inveniri debet in ipsa linea naturalis operationis instrumenti, tamquam certa ejus modificatio vel elevatio » (1).

2. Hæc quæ inferuntur ex analysi rationis instrumenti, communiter noti, inveniuntur, proportione servata, in causalitate valde diversa a causalitate a qua procedunt opera facta arte humana (2); inveniuntur nominatim in causalitate qua omnis creatura agit sub influxu Dei.

Quod sic explicatur: Deus, causa principalis, *applicat* creaturam ad ipsum *agere,* h. e. ad ipsum *exercitium* actuale operationis, et creatura, applicata, effundit, secundum propriam (quæ ipsi inest) formam, *talem* operationem. Inde habetur in creatura, ut Dei instrumento, *operatio duplex* (h. e. operatio cum duplici formalitate, non duæ operationes): *una connaturalis,* sc. effundere *hanc determinatam* actionem, omnino proportionatam ipsi formæ quæ inest creaturæ; altera *instrumentalis,* sc. efficere *ut sit* operatio, *esse* operationis

(1) Billot, *o. c.,* p. 52-54.

(2) In theologia, instrumentalis causalitas asseritur præcipue in *scriptore sacro* a Deo inspirato; in *sacramento* efficiente gratiam, cf. *Collat. Brug.,* t. III, p. 518 ss.; in *humanitate* Chisti; in homine vel Christo efficiente miracula: de hoc ultimo cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 444.

(hoc superat capacitatem creaturæ, qua talis). Habetur etiam duplex *quo* operatur: sc. unum creaturæ *proprium*, quod est ejus facultas operativa; alterum, quod est virtus instrumentalis, nempe ipsa *applicatio* seu *motio* ad agendum et influxus Dei influentis *esse*.

Tandem habentur etiam illa tria, suprà indicata: a/ creatura *operatur aliquid de suo:* nam vere *effundit* ipsa operationem et *efficit* ut sit *talis* operatio; b/ virtus instrumentalis *subjectatur in ipsissima actione* qua instrumentum exsequitur proprium effectum: nam ipsa *applicatio* ad agendum in ipsa facultate operativa creatura recipitur simulque ad ejus operationem terminatur et in hac operatione producitur *esse* operationis per virtutem Dei; c/ virtus instrumentalis invenitur in ipsa linea naturalis operationis instrumenti, tamquam ejus *elevatio:* sane creatura ex ejus propria natura est in potentia ad suam operationem et operari exigitur a natura creata, sed creatura, quum ejus agere non sit ejus esse, est *in potentia* ad agendum: inde ut actu agat oportet ut *applicetur* a Deo et ut recipiat ab Ipso influxum ~~esse~~ esse operationis.

Ex dictis intelligitur creaturam, in agendo, instrumentum Dei constitui ex *tertio* et *quarto* modo secundum quos Deus operatur in omni operante: quatenus nempe Deus creaturam ad ipsum agere *applicat* et applicando *influit esse* operationis (1).

Corollarium. Actio creaturæ *tota* procedit et a creatura et a Deo: etenim quoad ipsum *exercitium* actio est *tota* a creatura ut a causa *instrumentali* et a Deo ut a causa *principali;* quoad *specificationem* actio est tota a creatura ut a causa principali *proxima* (sc. agente virtute propria) et a Deo ut a causa principali *remota,* quatenus applicat virtutem ad actum sibi proportionatum (2). Inde S. Thomas: « Non sic *idem effectus* causæ

(1) V. suprà, p. 13, 79, 135, ubi referuntur textus S. Thomæ.
(2) PIGNATARO, *De Deo Creatore,* Romæ, 1905, p. 510.

naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim a naturali agente fiat, sed *totus* ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus » (1). Non igitur actio creaturæ procedit partim a creatura et partim a Deo sicut *motio* passiva navis procedit partim a duobus trahentibus illam, quemadmodum dicebat Molina (2): sed causa secunda est in agendo dependens tamquam *instrumentum* a causa prima.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Parochus parochiæ A., in ecclesia sua, matrimonio assistit ineundo inter Titium et Titiam. Titius habet domicilium in parochia B., Titia vero minorennis, quam dictus parochus prævia instructione ad proclamationes admisit, inde a quinque hebdomadibus, parochiam A. descruit, in parochia C. famulatum exercitura, dum parentes habitant in parochia D. An et in quibusnam dispositiones Decreti* Ne Temere *transgressus est parochus, et ad quid ulterius tenetur?*

R. Parochus parochiæ A., celebrando matrimonium inter Titium et Titiam:

1° Transgressus est gravem dispositionem Decreti *Ne Temere,* insertam sub art. V, par. 2ª et 3ⁱᵃ, vi cujus dispositionis ad *liceitatem* exigitur ut, salvo gravis necessitatis casu, matrimonium celebretur coram parocho domicilii vel menstruæ commorationis, aut coram alio parocho, parochi proprii licentiam adepto. Et sane neque sponsus neque sponsa habent, juxta exposita, domicilium in parochia A.; neuter etiam inde a mensis spatio ibidem commoratur (3).

---

(1) *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 70. Cf. I, Q. CV, a. 5 ad 2.

(2) V. suprà, p. 47.

(3) Cæterùm, etiamsi sponsus haberet parochum de A. uti parochum

Illicita igitur fuit parochi assistentia, cum supponatur nullam gravem adfuisse necessitatem; non autem fuit *invalida:* ad valorem namque matrimonii sufficit ut celebretur coram parocho loci, qualiscumque sit; fuit autem initum matrimonium in casu coram parocho de A., in ejusdem ecclesia, adeoque infra territorii ejus limites.

Porro ad vindicandam suæ assistentiæ liceitatem, frustrà invocare posset parochus factum quod sponsam, prævia instructione, ad proclamationes admiserit. Equidem existit, in diœcesi Brugensi, ordinatio Episcopalis, concedens « parochis cujusvis loci diœceseos, in quo duæ pluresve paræciæ sedem habent, ut ipsi (vel sacerdos ab eis commissus) assistere valeant matrimonio eorum, quos, prævia instructione, ad proclamationes admiserunt, etsi postea hi parochiam suam dereliquerint, nisi forte in diœcesim alienam abiverint » (1); ast hoc statutum solum spectat *valorem* assistentiæ et non liceitatem, uti ostendimus apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 309 (2).

2° Obnoxius est *sanctioni* legis, quam statuit Decretum *Ne Temere,* sub art. X, quatenus scil. a/ parochi qui « præscripta violaverint, ab Ordinariis, pro modo et gravitate culpæ, puniantur »; b/ « si alicujus matrimonio adstiterint contra præscriptum par. 2^a^ et 3^a^ num. V, emolumenta stolæ sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant ».

Deberet igitur parochus de A. proprio nupturientium parocho, in casu, proprio parocho sponsæ, emolumenta

---

proprium, nondum ad hunc pertineret matrimonio assistere; ad tramites namque par. 5^a^ laudati art. V. « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsæ parocho celebretur, nisi aliqua justa causa excuset ».

(1) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 377 s.

(2) Inde est quod relatæ ordinationi diœcesanæ jam amplius non est locus, siquidem ex una parte non spectat nisi solum valorem assistentiæ, et ex alia parte valida est assistentia cujuscumque parochi, intra fines sui territorii matrimonium celebrantis.

stolæ restituere, quæ occasione nuptiarum forte perceperit: illa nimirum emolumenta quæ competunt parocho qua tali ex jure stolæ, exceptis illis quæ ipsi debentur ratione stipendii, pro missæ celebratione.

Difficultas autem hic occurrit, cum duo censeantur frustrari parochi proprii sponsæ: parochus domicilii paterni sponsæ in D., quod domicilium vi ipsius juris dispositionis retinere cogitur sponsa minorennis; parochus etiam mensilis commorationis in parochia C., in qua famulatum exercet eadem sponsa inde a quinque hebdomadis (1). — Cuinam igitur parocho restitutio est facienda?

Jamvero, donec a jure communi vel diœcesano solutio authentica intervenerit, æquum videtur ut emolumenta a parocho de A. indebitè percepta utrique parocho proprio pro media parte remittantur.

IV

Q. *Quænam pars acatholica et cum quibusnam personis potest matrimonium validè inire, absque servata forma Decreti* Ne Temere?

R. I. Exemptæ sunt a Decreto *Ne Temere* partes *acatholicæ,* quæ nempe, hic et nunc extra Ecclesiæ catholicæ gremium degentes, non fuerunt in Ecclesia catholica baptizati, nec unquam ad eam pertinuerunt.

Non sufficit igitur ad exemptionem quod persona aliqua pro momento cuidam sectæ hæreticæ vel schismaticæ sit adscripta: oportet ut nunquam, neque baptismo neque professione, ad Ecclesiam catholicam pertinuerit; a. v. oportet ut vel infidelis sit, vel sit et semper fuerit hæretica aut schismatica (2).

---

(1) Minorennes, licet non possint personali facto acquirere domicilium, possunt proprio facto acquirere quasi-domicilium, cui in hoc nostro negotio substituitur mensilis commoratio; ac possunt proinde hac via consequi proprium parochum.

(2) Non refert utrum hæretici seu schismatici sint Latini vel Orientales, uti decrevit S. C. C., 28 Martii 1908, ad 2um. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 467 s.

Consequenter non sunt a nova clandestinitatis lege exempti, seu, quod idem est, respectu præsentis legis (1), censentur catholici « omnes vel in catholica Ecclesia baptizati, vel ad eam ex hæresi vel schismate conversi, licet, sive hi sive illi, ab eadem postea defecerint » (2).

Porro baptizati reputantur in Ecclesia catholica a/ infantes qui « ex parentum vel tutoris voluntate ad Ecclesiæ catholicæ fontes sunt delati, vel qui, ex parentibus catholicis oriundi, a laico in necessitate sunt baptizati » (3); b/ adulti, i. e. septennes, qui propria voluntate sese baptizandos obtulerunt ministro catholico, vel, in necessitate, cuicumque alii.

Acatholicè autem baptizati infantes possunt ad Ecclesiam catholicam converti, post rationis usum adeptum, per propriæ voluntatis actum, vel etiam, ut videtur, ante rationis adeptionem, per voluntatem parentum, qui, conversi, eos catholicè educandos et inter catholicos adscribendos curaverint (4).

II. Nupturiens sensu indicato acatholicus est quidem exemptus a Decreto *Ne Temere*, sed *non communicat exemptionem suam* alteri parti : ac proinde, si hæc altera pars est legi obnoxia, pars acatholica a lege attingitur,

---

(1) Dicitur : *respectu præsentis legis ;* quia data definitio vocis *acatholica* non est illicò transferenda ad alias materias : acatholici extra hoc negotium potius sumuntur in sensu hucusque, sub jure Tridentino, usurpato, ad tramites Decreti C. S. O. anni 1859. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, 580.

(2) Art. XI, par. 1. Hanc paragraphum interpretantes Episcopi Hungariæ, in litteris circularibus 16 Martii 1909 (*Archiv. f. k. Kirchenr.*, 1909, p. 716 ss.), describunt personas in sensu Decreti catholicas : nempe catholica intelligitur « 1/ aut persona catholicè baptizata et in religione catholica educata et nunquam ab illa aversa ; 2/ aut persona catholicè baptizata, sed nunquam catholicam religionem professa ; 3/ aut persona catholice baptizata, sed mox ad hæresim aut schisma prolapsa ; 4/ aut persona etiam acatholica, quæ acatholicè quidem baptizata fuerat, sed per conversionem semel jam in gremium Ecclesiæ redierat, mox tamen iterum ab illa defecit ».

(3) Vermeersch, *De Forma Sponsalium ac Matrimonii*, ed. 4a, Brugis, 1908, n. 87.

(4) Van den Acker, *Decreti « Ne Temere » de Sponsalibus et Matrimonio interpretatio*, Buscoduci, 1909, p. 94 s.

non quidem directè, sed indirectè, ratione scil. subjectionis partis quam vult ducere.

Contrarium principium vigebat sub jure Tridentino, quatenus regulariter (1) exemptio unius communicabatur alteri, adeo ut, alterutra parte exempta, matrimonium non fuerit clandestinitatis legi obnoxium. Hæc exemptionis communicatio, uti notat Consultor ad decretum S. C. C. diei 28 Martii 1908 (2), neque ex natura matrimonii, neque ex natura legis irritantis matrimonium sine certa forma celebratum, deducitur, sed ex positiva concessione, sub œconomia Tridentina, erat inducta: conformior scil. est nova disciplina indoli contractus, utriusque partis habilitatem requirenti, necnon indoli legis formam contractus determinantis.

Abrogatum esse principium communicationis exemptionis eruitur ex art. XI, par. 2, Decreti *Ne Temere*, necnon ex solutione dubii primi a S. C. C., die 28 Martii 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 467 s. Nimirum *priori loco* dicitur: « Vigent quoque (statutæ leges) pro iisdem de quibus suprà catholicis, si cum acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus,... matrimonium contrahunt »; *altero* autem *loco*, ad dubium: « Utrum validum sit matrimonium contractum a catholica ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a Decreto *Ne Temere* statuta, respondetur: « negative ».

Ad hoc igitur ut acatholicus possit matrimonium validè inire, non servata forma Decreti *Ne Temere,* requiritur ut alteram partem ducat pariter a lege exemptam: personam scil. quæ et ipsa inter acatholicas recensetur, vel, si catholica sit, pertineat ad ritum Orientalem (3). Manent proinde novæ clandestinitatis

(1) Alia solutio fuit admissa pro insula Melitensi, de qua cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 262.

(2) *Anal. Eccles.*, 1908, p. 121 s.

(3) Omnes catholici Orientales, pertinentes scil. ad ritum Orientalem,

legi obnoxia matrimonia mixta vel matrimonia inter cultu dispares, idque, juxta tenorem modò relatum, etiamsi prævie obtenta fuerit dispensatio super mixta religione vel disparitate cultus (1).

En *normam generalem. Duplex* autem ab hac norma habetur hucusque *exceptio: una,* in gratiam Imperii Germanici (2); *altera* in favorem regni Hungariæ (3), quatenus nempe formalitatibus Decreti *Ne Temere non adstringantur* matrimonia *mixta* ibidem ineunda.

Pro cujus binæ exceptionis ampliori intellectu, attende 1° eam probabilius restringi ad sola matrimonia *sensu stricto mixta,* inter catholicam scil. partem et acatholicam baptizatam, non autem extendi ad matrimonia inter religione dispares (4); 2° partem *acatholicam,* cum

---

legi *Ne Temere* subducuntur non secus quam acatholici. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 186 et 298 ss.

(1) Hoc significat quod Ecclesia, dispensans super mixta religione vel cultus disparitate, non censetur dispensare super impedimento clandestinitatis, licet generatim verum sit Ecclesiam, dispensando super cultus disparitate, etiam dispensare, cum parte fideli, super omnibus impedimentis a quibus exempta existit pars infidelis.

(2) In Decreto *Ne Temere,* post tenorem art. XI, § 2, supra relatum, occurrit clausula derogatoria: « *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* ». Quam clausulam, in varium sensum ab Auctoribus primitus intellectam, ita est interpretata S. C. C., in decreto diei 1æ Febr. 1908, ad 4m, ut afficeret solum Imperium Germanicum. Ad dubium nempe: « An sub art. XI, § 2... comprehendatur tantummodò Constitutio *Provida* Pii PP. X, an potius comprehendatur quoque Constitutio Benedictina et cætera ejusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia », respondendum censuit: « Comprehendi tantummodò Constitutionem *Provida;* non autem comprehendi alia quæcumque decreta, facto verbo cum SSmo; et ad mentem ».

(3) Privilegium exemptionis deinceps ad regnum Hungariæ extendit S. C. de Sacram., die 27 Febr. 1909, attentis scil. peculiaribus adjunctis, quæ exponit *Archiv. f. k. Kirchenr.*, 1908, p. 763 s. Tenorem decreti cf. apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 561 s., collata p. 490, quo altero loco refertur decr. S. C. C., 8 Julii 1908, denegans dicti privilegii extensionem ad Imperium Russiacum et regnum Poloniæ sub dominatione Imperatoris Russiæ degens.

(4) Sola nempe matrimonia *mixta* comprehenduntur sub Constitutione *Provida* (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 285 ss.), cujus dispositiones, salvis restrictionibus explicitè factis, hic sanciuntur, uti ex citatis responsis S. Sedis liquet.

qua a parte catholica mixtæ nuptiæ celebrantur, esse sumendam ad normam Decreti *Ne Temere*, non autem sensu sub œconomia Tridentina admisso : quod authenticè docet S. C. C., in decreto diei 1ae Febr. 1908, ad 5m (1), et quidem meritò, propter salvandam necessariam uniformitatem in determinatione vocis *acatholicus*, respectu Decreti *Ne Temere ;* 3o exceptionem esse stricte interpretandam : imprimis nempe eam valere tantùmmodò pro matrimoniis in Germania vel in Hungaria celebrandis inter personas *utrimque natis in Germania vel respective* in Hungaria (2); ulterius derogationem factam pro Germania esse intelligendam et applicandam *independenter* ab exceptione facta pro regno Hungariæ et vicissim, absque ulla reciproca relatione (3).

Cæterùm duplex illa derogatio censetur concessa *ad tempus* et per modum provisorii indulti (4).

A. De Smet.

---

(1) Ad dubium : « Num in Imperio Germaniæ catholici, qui ad sectam hæreticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in juvenili vel infantili ætate, ad validè cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in Decreto *Ne Temere* statutam... », respondetur *affirmative*.

(2) Nimirum ad *dubium :* « Num exceptio, per Constitutionem *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti merè localis, aut etiam personalis », respondit S. C. C., 28 Martii 1908, ad 3m : « Exceptionem valere tantummodò pro natis in Germania, ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo ». Quam declarationem applicandam Hungariæ monuit decr. 27 Febr. 1909.

Porro S. C. de Sacr., die 18 Junii 1909, ad 1m, ita interpretata est responsum S. C. C. 28 Martii 1908, ut « *ambo* conjuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariæ ». *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 489 ss., ubi refertur status controversiæ ante hanc authenticam interpretationem vigentis.

(3) Decretum S. C. de Sacr., 18 Junii 1909, sub 2o et 3o, l. c. Unde nupturientes, qui ambo nati sunt in Germania non possunt matrimonium mixtum clandestinum validè inire in regno Hungariæ, et, vice-versa, nati ambo in Hungaria, nulliter contrahunt, extra formam Decreti *Ne Temere,* in Imperio Germanico ; imo una pars nata in Germania cum altera parte nata in Hungaria mixtum matrimonium invalidè init clandestinè, sive in Germania, sive in Hungaria.

(4) Revera *mens* S. Sedis in concedenda derogatione in gratiam Ger-

V

Q. *Exponatur trita divisio triplicis viæ, quæ respective vocatur* purgativa, illuminativa, unitiva.

R. Campus proprius theologiæ asceticæ habet tamquam initium seu terminum a quo charitatem communem seu, ut dici solet, statum gratiæ, et terminum ad quem charitatem non communem (1). Porro in illo campo distingui solet *triplex gradus*, juxta *triplex studium principale* seu occupationem charitatis, et ita habetur trita divisio triplicis viæ, quæ np. respective vocatur *purgativa*, *illuminativa*, *unitiva* (2).

Jam conemur distinctius proponere illam divisionem, sequuti doctrinam sobriam ac dilucidam Angelici (3).

1° **Via purgativa.**

« Primo quidem incumbit homini studium principale *ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis ejus,* quæ in contrarium charitatis movent; et hoc pertinet ad *incipientes*, in quibus charitas est nutrienda vel

---

maniæ, per decr. diei 1ro Febr. 1908, quæ mens prius non fuit divulgata, erat « ut scribatur Episcopis Germaniæ, ut perpendere velint graviora incommoda quæ proveniunt ex matrimoniis mixtis; et hinc supplicare SS[mo] ut tempore opportuno abrogare Constitutionem *Provida* dignetur ».

Pariter in decreto extensionis ad Hungariam dicitur concessionem fieri *pro nunc;* monentur etiam Episcopi Hungariæ, sui muneris esse « christifideles apto modo disponere ad excipienda qua decet filiali obedientia ac docilitate, ea quæ in posterum Apost. Sedes, ad legislationis unitatem in re matrimoniali assequendam, statuere opportunum duxerit ». *Canon. Contemp.*, 1909, p. 581 s.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 589 ss., et nostra *Probatio charitatis*, Brugis, Beyaert, 1910, p. 68 ss.

(2) Hanc divisionem communi sententia docent theologi ascetici, et inter propositiones Michaelis de Molinos damnatas ab Innocentio XI recensetur hæc 26ª: « Tres illæ viæ: purgativa, illuminativa et unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica: cum non sit nisi unica via, scilicet via interna ». DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 1246.

(3) S. TH., 2-2, q. 24, a. 9. — Cf. nostra opuscula: *Het Brood des Levens*, derde uitgave (Brugge, Beyaert, 1910), bl. 155; *Le Pain de Vie*, Bruges, Beyaert, 1908. p. 205.

fovenda, ne corrumpatur ». Incipientes igitur sunt maxime solliciti ut expient peccata mortalia (1) præterita et præcaveant futura (2): ad eos spectant praxes pœnitentiæ ac mortificationis, quibus anima *purgatur* a peccatis et concupiscentiis seu vitiis ac passionibus inordinatis, quæ sunt causæ peccati (3).

2° **Via illuminativa.**

« Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod *in bono proficiat;* et hoc studium pertinet ad *proficientes*, qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis charitas per augmentum roboretur ».

Postquam scilicet anima passiones ad aliquam moderationem redegerit, ita ut facile vitet peccata mortalia (4), jam attendere potest augmento spiritualis vitæ per exercitium positivum virtutum. Hæc autem via vocatur *illuminativa*, quia circa viam virtutis et modum crescendi in illa magis ac magis *illuminatur* mens hominis, practica scilicet illuminatione (5). Hæc illuminatio, quæ simul invitet atque alliciat, fit potissimum meditando vitam et doctrinam Jesu Christi, *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur* (6).

---

(1) Satis clare hoc docet S. Doctor in textu citato: quæ *in contrarium* charitatis movent (cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 590 sq.), ne *corrumpatur*.

(2) In III Sent., Disp. 29, a. 8: « Primus effectus caritatis est ut homo *a peccato discedat;* et ideo mens caritatem habentis in primis circa hoc maxime occupatur ut a peccatis præteritis emundetur, et a futuris præcaveat; et quantum ad hunc effectum dicitur *caritas incipiens* ».

(3) Cf. S. François de Sales, *Introd. à la vie dévote,* 1e p., ch. 5 ss. — Ideo in *Exercitiis spiritualibus* S. Ignatius primam hebdomadam reservavit viæ purgativæ, quatenus exercitans per meditationem veritatum æternarum deleat peccata præterita et concipiat horrorem peccati mortalis. Cf. *Probatio charitatis,* p. 359 ss.

(4) In III Sent., Disp. 29, a. 8: « Secundus effectus est ut *jam fiduciam de liberatione peccatorum habens* ad bonum adipiscendum se extendat; et quantum ad hunc effectum dicitur caritas *proficiens* ».

(5) Suarez, *De virtute et statu religionis,* Tract. IV, Lib. II, cap. 11, n. 6.

(6) Præfatio de Nativ. Domini. — Ideo post primam hebdomadam proponit S. Ignatius meditanda mysteria vitæ Christi regis nostri.

Status ille proficientium durat, « quamdiu difficile vitantur venialia peccata, et frequenter committuntur, quia et temporalia multa delectant, et mens variis phantasmatibus, et cor multis desideriis facile agitatur, quæ omnia exercitio virtutum paulatim auferuntur » (1).

3° **Via unitiva.**

« Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, *ut Deo inhæreat et eo fruatur;* et hoc pertinet ad *perfectos* qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo ».

« *Perfectorum* autem status inchoari censetur, quando animus a temporalibus omnibus ita est abstractus, ut pacem habeat, et variis desideriis non agitetur, nec passionibus ordinarie moveatur, sed in Deum sit totus principaliter intentus, et aut semper, aut frequenter attentus (2) ».

Occupantur igitur *perfecti* in hoc potissimum ut *uniantur* Deo per affectus amoris et perfectam conformitatem voluntatis cum voluntate divina. Porro videtur dicendum quod via unitiva non exigat media extraordinaria seu gratias mysticas, aliis verbis quod admittenda sit via unitiva etiam *ordinaria* (3).

Adverte diligenter illas occupationes non esse intelligendas modo exclusivo: statuitur triplex gradus *principalis* (4), at distingui possunt plures gradus intermedii; deinde distinctio fit *secundum studium principale:* incipientes sentiunt magis sollicitudinem *de vitatione peccatorum*, proficientes vero *de profectu virtutum*, et perfecti, *ut Deo inhæreant;* sed etiam incipientes et proficientes quærunt inhærere Deo, et « perfecti etiam in charitate

(1) Suarez, *l. cit.*, n. 3, et addit quod iste status ordinarie durat « vel toto vel majori vitæ tempore ».

(2) Suarez, *l. cit.*

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 348; t. XIV, p. 524.

(4) Salesius distinguit quatuor gradus, *Traité de l'amour de Dieu*, L. X, ch. 4 et 5, sed secundus et tertius possunt reduci ad gradum medium, np. proficientium.

proficiunt », et proficientes, dum una manu ædificant, altera tamen gladium tenent (2 Esdr. IV, 17) (1).

H. MAHIEU.

VI

Q. Paucis explica preces dicendas a sacerdote dum induit amictum, albam, cingulum, manipulum.

R. **Prænotanda** (2). — Certum est et hodie universim admissum indumenta et insignia liturgica non fuisse primitus inducta ob rationes mysticas. Recepta fuerunt ad functiones liturgicas vestimenta et insignia usu recepta, quæ decursu temporis, ex una parte in vita privata fuerunt derelicta, alia vero parte varias ob exigentias et rationes magis sunt usibus liturgicis accommodata et ornata.

Interim tamen susceperunt præfata indumenta, maxime a tempore Caroli Magni, significationes mysticas easque, pro regionum et temporum varietate, diversas.

1/ Quarum prima, a Rabano Mauro et Amalario sæc. IX proposita, fuit significatio quædam *moralis*, exprimens nempe virtutes quibus indui et ornari debet

---

(1) S. THOM., 2-2, q. 24, a. 9, ad 2 et 3. Videtur sanctus Doctor (2-2, q. 184, a. 2) reducere incipientes et proficientes ad charitatem communem; at sic intelligendus est quatenus proficientes nondum *assecuti sint* charitatem non communem, quippe quæ pertinet ad perfectos. Certocertius enim proficientes dicendi sunt *in via ad* charitatem non communem. — Circa divisionem triplicis viæ, utiliter leges inter recentiores, BARTHIER, *De la perfection chrétienne et de la perfection religieuse*, t. I (Paris, Poussielgue, 1902), p. 165 ss.; CHATEL, *De l'oraison mentale et de la contemplation*, Louvain, 1909, p. 12 ss.

(2) De tota hac quæstione cf. eruditissimum opus R. P. J. BRAUN, S. J. *Die liturgische Gewandung*, Friburgi, Herder, 1907, maxime Sect. V, cap. I, pp. 701-728. Cf. etiam A. FRANZ, *Die Messe im deutschen Mittelalter* (de quo ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 551 ss.). Quamplurimos orationum textus diversos invenies ap. E. MARTENE, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, cap. IV, art. 1. Explicationem precum Missalis exhibent auctores de Missæ cæremoniis tractantes, formularum vero Pontificalis pie exponit P. GONTIER, *Explication du Pontifical*, Paris, 1904.

celebrans. Et hæc quidem, notatim ad ædificationem ipsius sacerdotis, semper servata fuit.

2/ Mox tamen quæsiverunt liturgistæ ex intuitu et consideratione habitus liturgici instruere et ædificare populum. Et quum sacerdos in sacrificio missæ personam gerat Christi Domini, indumenta, interpretatione quadam *dogmatico-typica,* ita explicarunt ut singula docerent aliquid de Christo Salvatore, sive Ejus Incarnationem, dualitatem naturarum unitatemve personæ, sive Ejus virtutes, doctrinam aut habitudinem ad Ecclesiam. Quæ interpretatio occurrit maxime sæculo XII.

3/ Sed jam inde a sæculo XIII et usque ad nostra tempora prævaluit, in instruendis fidelibus, explicatio *repræsentativa de habitu Christi patientis.* Quum enim missa sit sacrificii crucis renovatio ac repræsentatio pronum erat indumenta celebrantis habere ut repræsentationem vinculorum, vestis albæ et chlamydis quibus Redemptor noster in passione fuit indutus.

4/ Simul tamen, licet rarior, occurrit apud nonnullos auctores explicatio quædam *allegorica militaris,* qua sacerdos exhibetur ut miles ad altare prælia Domini prælians adversus hostis populi Dei. Unde amictus significat galeam, alba loricam, stola lanceam, cingulum arcum, manipulus clavam et casula scutum.

In precibus autem ad induendum habitum liturgicum præscriptis — quæ ante Missale Romanum Pii V sat diversæ erant — sicut et in formulis ab Episcopo in ordinatione adhibitis, fere sola expressa fuit interpretatio moralis; et merito quidem quum hæc directe ordinetur ad ipsius sacerdotis ædificationem. Adsunt tamen quædam vestigia interpretationis allegoricæ militaris.

I. **Ad amictum.** « *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus* ».

Ut prima fronte apparet, desumitur significatio ex interpretatione symbolica militari. Quamvis amictus primitus ad protegendum collum sit admissus et ideo

circa collum et in humeros imponeretur — unde *humerale* vocatus est — non raro tamen, præsertim inde a sæc. XI, imponebatur primo in *caput* et tantum post accepta alia indumenta liturgica (1), a sacerdote dimittebatur circa collum. Usus ille asservatur hodiedum apud nonnullos religiosos, et in ordinatione subdiaconi ab Episcopo capiti imponitur. Hac ratione habitus est ut symbolum *galeæ* quæ caput et humeros militis protegit. Apostolus autem armaturam spiritualem christiani describens ait: « *galeam salutis* assumite » (Eph. 6, 17) quam magis explicite indicat (I Thess. 5, 8): « *galeam spem salutis* ». Spes enim salutis æternæ caput erigit in cœlum et protegit mediis in adversitatibus et *diabolicis incursibus*.

Alia est significatio, et moralis quidem, quam tradit episcopus subdiacono imponens amictum et dicens: « Accipe amictum per quem designatur *castigatio vocis* ». In collo enim, quod protegit amictus, est organum *vocis,* quam juxta regulas perfectionis sacerdotalis moderare, *castigare* debemus, ut digne tremendum sacrificium offeramus. In antiqua ecclesia Cameracensi orabat sacerdos ad amictum: « castiget et moderetur vocem meam custodia tua, Deus, ut non delinquam in lingua mea, sed loqui merear quæ tibi sunt accepta ».

II. **Ad albam.** « *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfrui merear sempiternis* ».

Significatio moralis desumitur a colore albæ. Symbolismo enim antiquo et universim recepto, albedo materialis immaculata designat *munditiem cordis* et etiam inde consequens internum animi *gaudium* (2). Hæc autem puritas animæ supernaturalis non obtinetur nisi ex meritis *Sanguinis Agni,* seu passionis et mortis

---

(1) Simili modo accipitur amictus a duobus diaconis qui Episcopo celebranti ad honores assistunt.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 636.

Redemptoris estque conditio simul ac via ad *gaudia sempiterna* cœli, quibus fruuntur sancti qui « amicti stolis albis... venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in Sanguine Agni ». (Apoc. 7, 13-14).

Eamdem originem ac alba habet superpelliceum: merito eamdem significationem moralem ei tribuit Pontificale: Episcopus enim imponens superpelliceum dicit « *Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* ».

III. **Ad cingulum.** « *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis,* et *exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus castitatis* ».

Cingulum adhibetur proprie ne alba « defluat et gressum impediat » (1). Unde vestes non succinctæ sæpe habebantur ut signum vitæ negligentis et dissolutæ: ideo monet Dominus: « sint lumbi vestri præcincti ». (Luc. 12, 35) (2). Quæ significatio strictior apparet in habitu liturgico: si enim alba habetur ut symbolum munditiei cordis, suapte natura cingulum, quo adstricta tenetur alba, significabit continentiam *puritatis* et *castitatis* per cohibitionem et *exstinctionem* motuum *libidinis*, quorum sedes *in lumbis* (3) poni solet. Ad hoc autem requirit auxilium *Domini* quod præfata oratione efflagitamus.

IV. **Ad manipulum.** « *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris* ».

Hæc oratio alludit ad originem manipuli et ad Psalm. 125, 5, 6: « Qui seminant *in lacrymis, in exsultatione* metent. Euntes ibant et *flebant*, mittentes semina sua. Venientes autem venient *cum exsultatione, portantes*

---

(1) Rabanus Maurus, *De institut. clericorum*, I, 17.

(2) S. Gregorii, *Hom. 13 in Evang.*, in Communi Conf. non Pontif. « Lumbos enim præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus ».

(3) Ut patet ex unctione renum seu lumborum in Extrema Unctione.

manipulos suos. » Liturgistæ quidam a sæculo jam IX censebant manipulum primitus fuisse linteum ad abstergendum sudorem; et revera « sudarium » interdum vocabatur. Hanc opinionem, a multis rejectam (1), R. P. Braun (2) nuper novis et non spernendis vindicavit argumentis, ita tamen ut instanter inculcaret præfatam mappulam, etiam extra liturgiam, non tam utilitatis practicæ causa (3) quam decoris et ornamenti gratia (Etikettetuch) adhibitam fuisse a personis altioris conditionis. Ex ipso tamen nomine et usu consueto « sudarii », pronum erat manipulum habere ut symbolum *laboris* et *doloris* qui sudorem et *fletum* provocare nati sunt. Labor autem improbus cum dolore conjunctus solet producere *mercedem* et fructus quibus *in exsultatione* frui licet. Unde dicit Pontifex in ordinatione: « Accipe manipulum per quem designantur *fructus bonorum operum* ». Et hæc veritas pulchre exponitur in citati Psalmi 125 versibus, in quibus occurrit — licet diversa significatione — ipsa vox *manipulus*. Unde ex his versibus contexta est oratio qua petimus a Deo zelum apostolicum ita seminandi in dolore ut cum exsultatione possimus portare manipulos plenos coram Patre cœlesti.

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 547.

(2) *Op. cit.*, p. 554 ss.

(3) Ad hunc usum commemorantur jam sæc. IX alia lintea, *facistergia* nuncupata.

Dissertatio

De modo quo Prophetæ consilia Dei cognoverint eaque manifestaverint.

(Cf. supra, p. 160 ss.).

III. De modo quo Prophetæ consilia Dei manifestaverint.

Prophetæ consiliorum Dei, quandoque futurorum, cognitionem a Deo accipiebant, ut ea consilia vicissim coævis nomine Domini communicarent. Porro, quovis modo cognitionem divinitus sibi revelatam significabant, nempe **verbali oratione**, vel **actionibus symbolicis**, vel **scripto**, ipsorum significandi seu prædicandi ac scribendi genus prorsus peculiare apparet. Speciales autem propheticæ prædicationis rationes, e modo quo Deus « videntibus » consilia sua communicavit, præprimis derivantur. Qui modus, uti supra p. 165 ss. ostendimus, ordinarie in visione imaginaria, unicuique prophetæ accommodatâ, consistebat.

1° **Prædicatio oralis.** Prophetæ, cum ex vocatione et munere legati Dei essent, ut concionibus exhortationibusque divinitus inspiratis pios Israelitas sub jugo Legis retinerent, malos ad eam revocarent, omnesque ad futuram Messiæ legem præpararent, præsertim verbo seu oretenus officio functi sunt.

Omnes antiqui prophetæ (1) coævos nonnisi oraculis viva voce prolatis concionibusque suis docuerunt ac admonuerunt. Ita Elias, Elisæus aliique nulla concionum collectanea scripta reliquerunt. Si prophetam regium David excipias, nonnisi sæc. VIII a. C. me-

(1) Qui gall, vocantur *prophètes d'action ou non-écrivains*. (Cf. MANGENOT, *Dictionnaire de la Bible*, art. Prophète, c. 713) et distinguuntur a prophetis-scriptoribus *(prophètes-écrivains)*.

diante, prophetiæ scriptæ esse cœperunt, postquam utique vivo vocis oraculo publice nuntiatæ fuerant. Ita Amos, inter prophetas-scriptores probabiliter antiquissimus (1), meritò supponitur omnia sua oracula prædicasse, antequam ea scripto consignaret. Jeremias per viginti tres annos ore prophetaverat, quando jussus est scribere a Domino dicente : « Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi » (*Jer.* 26, 1 s.). Plurimæ prophetiæ scriptæ sub forma concionum proponuntur, neque ullatenus dubitandum quin oratio verbalis, hoc antiquissimo tempore, solum medium aptum ad eloquia Dei spargenda fuerit.

Jure meritò supponimus prophetas longe plerosque quorum scripta in canone fuerunt servata, imò forsan omnes, prius concionatores fuisse quam scriptores, adeoque universas (2) fere eorum prophetias scriptas nihil aliud esse quam oralis ipsorum prædicationis descriptionem, sæpe utique summarie contractam. Apposite scribit Mangenot (3): « Vraisemblablement, les discours des prophètes n'étaient pas reproduits par eux intégralement, textuellement, sténographiquement. A moins qu'il ne s'agisse d'oracles écrits pour être lus, la reproduction n'est pas faite *in extenso,* mais seulement sous forme de citations partielles ou même de simples résumés. Jérémie commençant à dicter ses prophéties après 23 ans de ministère, ne se souvenait plus textuellement des paroles qu'il avait prononcées, et il n'a pu les reproduire littéralement. Les écrits de beaucoup de

---

(1) Mangenot, *o. c.*, c. 724 eum circa a. 865 prophetasse opinatur; Van Hoonacker, *Les douze petits prophètes,* Paris 1908, p. IX, potius a. 765-755 assignat.

(2) Notat Vigouroux, *Manuel biblique,* t. **2** (Paris, 1906, p. 580): « Certaines parties des livres prophétiques n'ont probablement été publiées que par *écrit,* comme la seconde partie d'Isaïe, **40-46**, et d'Ezéchiel, **50-58**, qui, contenant des prédictions relatives à des temps éloignés, c'est-à-dire à l'avénement du Messie, n'avaient pas besoin d'être connues aussi rapidement ».

(3) *o. c.*, c. 713.

prophètes sont donc des recueils d'extraits ou de spécimens de leur prédication. Ils y ont résumé ou condensé eux mêmes la substance de leur enseignement, les thèmes qu'ils avaient vraisemblablement traités et développés à diverses reprises. Parfois cependant, le texte primitif a été reproduit intégralement. On peut penser qu'il en a été ainsi de ces discours rédigés sous forme poétique, en strophes régulières et avec refrain répété ».

Ex dictis autem patet de orali prophetarum dictione nihil in specie esse dicendum, cùm concionum genus litterarium servatum, sit in eorum scriptis de quibus in particulari statim agendum erit. Quoad symbolicas actiones quæ oralem prædicationem sæpe comitabantur, pariter ea applicanda erunt quæ de hujusmodi actionibus in specie breviter hic statim exponimus.

2° **Actiones symbolicæ** in prophetica prædicatione sæpe et variis quidem modis usurpabantur.

a) *Actiones symbolicæ prædicationem prophetarum quandoque comitabantur.* Ita, ut pauca (1) indicemus exempla, I (III) *Reg.* **11**, 29-39 Ahias Silonites propheta, obviam habens Jeroboam Ephrathæum, apprehendit pallium suum novum et scidit in duodecim partes, et ait ad Jeroboam : « tolle tibi decem scissuras ». Qua actione symbolica, ut ipse propheta explicat, schisma decem tribuum post mortem Salomonis futurum prædixit : « Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus ». Ità etiam I (III) *Reg.* **20**, 35-43 propheta (2) jubet socio suo ut ipsum percutiat, plaga nempe quæ sanguinem eliciat, ut eo modo deformatus et sanguinolentus occurrat regi Achab, et non solum

(1) Plura proponuntur apud MANGENOT, *o. c.*, c. 714 s. De pluribus tamen actionibus ibi enumeratis dubitari potest, utrum de facto positæ fuerint, seu utrum ut facta historica explicandæ sint, vel potius interpretationem allegoricam seu symbolicam requirant.

(2) Qui non nominatur, sed quem Michæam fuisse quidam supponunt.

verbis, sed etiam specie miserabili ac fœda illi deformitatem cædemque denuntiet, propterea quod impium regem Syriæ Benadad, hostem populi Israelitici, bis devictum, incolumem abire sivisset, imò cum ipso fœdus iniisset (1).

Ita adhuc Isaias (20, 1 ss.) nudus, i. e. absque pallio prophetis proprio (2) et discalceatus incedens, ignominiosam deportationem Ægyptiorum in Assyriam portendit; Jeremias (19, 1 ss). langunculam coram populo confringens, Hierosolymæ regnique destructionem prædicit. b/ Multæ tamen actiones symbolicæ in *ipsis libris prophcticis* occurrentes, ejusmodi sunt ut meritò dubitetur utrum per modum allegoriæ tantum in *visione* prophetis fuerint ostensæ, an ab illis in opus externum de facto deductæ fuerint. Verùm adhuc in N. T. exemplum actionis symbolicæ cum prophetia conjunctæ reperitur, ubi Agabus zonâ Pauli alligans sibi pedes et manus, Pauli vincula et carceres vaticinatus est (*Act.* 21, 10 ss.).

Sive autem actiones symbolicæ prædicationem comitatæ fuerint, sive ut mere imaginariæ prophetis in visione ostensæ et ut tales ore vel scripto fuerint propositæ, hujusmodi symbola, sensus et imaginandi vim percellentia, valida prædicationis propheticæ subsidia exstiterunt.

3° **Scripta prophetica.** Præter prophetias quæ in Scripturæ libris didacticis et historicis leguntur, et a viris propheticis qui eas ediderunt (ut Elias, Eliseus etc.) litteris mandatæ non fuerunt, in canone V. T., sexdecim libri prophetæ nomine insigniti asservantur. Quatuor prophetæ majores numerantur: Isaias, Jeremias cui adjungitur Baruch, Ezechiel et Daniel, et duodecim minores: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et

(1) Cf. tamen Van Hoonacker, *o. c.*, p. 686.
(2) Cf. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 686.

Malachias (1). Minores vocantur, non quod minor sit eorum auctoritas, cum æque Dei legati fuerint eorumque scripta æque fuerint a Deo inspirata, sed ideo quod eorum scripta breviora exstant.

Plerique prophetæ viva voce consilia Dei annuntiasunt priusquam ea scripto consignarunt, uti jam monuimus. Quidam tamen prophetias suas scripserunt ut scriptæ in populo spargerentur ac publice legerentur (2). « Les recueils d'oracles prophétiques ont vraisemblablement été formés pour la plupart par les prophètes eux-mêmes qui réunissaient ainsi, groupaient l'ensemble de leurs oracles, dont quelques-uns peut-être avaient primitivement été rédigés sur des feuilles volantes. Il n'est pas certain toutefois que tous aient fait la collection de leurs prophéties. Quelques-uns ont pu laisser ce soin à leurs disciples. Les oracles d'Isaïe et de Jérémie ne semblent pas avoir eu, dès le début, une destination publique. Ces prophètes les avaient gardés dans le cercle étroit de leurs disciples. Plus tard, les livres prophétiques furent communiqués au peuple, et tous finirent par être reconnus officiellement et publiquement comme la parole de Dieu. La prophétie écrite a ainsi exercé une plus grande influence que la prophétie simplement orale » (3).

Advertere liceat (4) acceptionem supernaturalem rerum scribendarum a Deo prophetis suppeditatam, non fuisse sufficientem ad charisma inspirationis quocum prophetæ aliive prophetias revelatas in libris canonicis descripserunt. Etenim neque revelatio stricte dicta neque acceptio notitiæ rerum scribendarum, cum sit tantùm conditio necessaria ad inspirationem prærequi-

---

(1) De eorum successione chronologica cf. MANGENOT, *o. c.*, c. 723 s.; VAN HOONACKER, *o. c.*, p. VIII ss. Alias divisiones v. apud CORNELY, *Introductio in U. T. libros sacros*, t. II, 2 (Parisiis, 1887), p. 286 s.

(2) Hoc de prophetiis Amos et Daniel conjicit MANGENOT, *o. c.*, c. 713 s.

(3) Cf. MANGENOT, *o. c.*, c. 714.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 483 ss.

sita, formalem rationem seu essentiam inspirationis ingreditur. Ut Deus vere esset *auctor* libri prophetici, *insuper* influxus in intellectum et voluntatem prophetæ-hagiographi charismaticus supra (1) descriptus requirebatur.

Quibus præmissis de stylo seu de genere litterario prophetarum nonnulla trademus, quæ ad hæc tria commode revocari posse videntur : 1/ Prophetæ in sua scribendi ratione ad *poeticum genus* frequenter accedunt ; 2/ quoniam circa divina consilia *visionibus* præsertim eruditi fuerunt, ea consilia, maxime de rebus futuris, sub visionum forma proposuerunt ; 3/ quoniam consuetus propheticæ cognitionis modus per visiones fiebat, ideo *figuris, symbolis, maxime symbolicis actionibus* in suis orationibus et scriptis frequentissime usi sunt (2). — Quæ singula paucis explicamus.

1. *De dictione poetica prophetarum.* Conciones propheticæ tropis seu figuris (metaphoris, allegoriis etc.), quibus poetæ stylum suum exornant, conspicuæ apparent : adeoque prophetiarum interpretationi ea sunt applicanda, quæ suprà p. 129 ss. de figurata Scripturæ dictione disputavimus.

Imò, nonnulli auctores libros Prophetarum inter libros poeticos reponunt contenduntque prophetarum poesim medium tenere poesim lyricam inter et didacticam, vel ex utraque esse mixtam. Quidquid sit de hac quæstione, certum est non tantùm dictionem poeticam in libris propheticis frequenter reperiri, verùm etiam aliam notam, qua ab oratione prosâ poesis distinguitur, scil. rhythmum apparere. A rhythmo autem poetico Græcorum, Latinorum aliorumque prorsus differre videtur rhythmica species Hebræorum, quæ ex integrarum sententiarum idearumque harmonia exoritur, et in parallelismo hemistichiorum et versuum stropharumque

(1) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 462 ss.
(2) Cf. Cornely *o. c.*, p. 291 ss.

principaliter consistit. Quamvis ille rhythmus hebræus quoad plura elementa nondum rite sit cognitus, et de variis elementis sat acriter certent auctores (1), certum tamen est rhythmum, saltem idearum et sententiarum, aures quidem sed multo magis animos suaviter delectantem in libris Scripturæ poeticis reperiri, eumque parallelismum (2) apud prophetas non deesse (3).

Dictio tamen poetica consueta, hinc inde in juxta carmina efflorescens, non impedit quominus prophetæ certis in locis mere historicos agant (4). Unde, ut supra p. 211 notavimus, ut prophetiarum limites accurate definiantur, multùm interest.

2. *Prophetæ visiones quas de divinis consiliis divinitus acceperunt, tanquam testes fideles eo modo quo eas viderant, referunt.*

Hinc plura ex ipso modo quo Deus prophetas illustravit, optime explicantur (5):

a/ Res futuræ interdum velut *presentes* aut etiam *præteritæ* proponuntur. « Mos hic est prophetarum omnium, inquit S. Chrys. (6), de nondum factis tanquam de factis loqui. Quia enim mentis oculis videbant, quæ post multos annos futura erant, idcirco velut nunc ob oculos videntes omnia narrabant ». Etenim, ut ait

---

(1) De existentia stropharum et utilitate quam interpreti præbere possunt, multùm disputatur. Cf. e. g. CONDAMIN, *Le livre d'Isaïe*, Paris 1905, p. VII ss. et VAN HOONACKER, *Les douze petits Prophètes*, Paris 1908, passim, præs. p. 198 ss.; ZENNER, *Die Chorgesänge im Buche der Psalmen*, Freiburg i. B. 1896.

(2) De parallelismo cf. CORNELY, *o. c.*, p. 2 ss.; VAN STEENKISTE, *Commentarius in librum Psalmorum*, t. I, Brugis, 1886; BACUEZ et VIGOUROUX, *Manuel Biblique*, t. II (Paris, 1906), p. 265 ss.; et opus antiquum, semper adhuc mentione dignum LOWTH, *De sacra pœsi Hebræorum*, Oxonii, 1753.

(3) Cf. e. g. *Lament. Jer.* **1**, **2**, **4**, et *Nahum* **1** et **2**, ubi carmina alphabetica occurrunt; *Hab.* **3**.

(4) Cf. e. g. *Is.* c. **36-39**; *Jer.* c. **26**, c. **36-41**.

(5) Quæ enucleatius exponuntur apud CORNELY, *o. c.*, p. 295 ss.

(6) *In Gen.*, 1ª hom., **10**, 4.

S. Aug. (1): « secundum scientiam prophetantium jam pro factis [aut præsentibus] erant habenda ». Ita in celebri vaticinio Messianico Isaias 7, 14-16 Virginem-matrem præsentem intuetur (2): « Ecce virgo gravida et pariens filium, et vocat nomen ejus Emmanuel ». Ita etiam *Is.* **8**, 8 ss.; **9**, 6: « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis ». Ita pariter *Zach.* **9**, 9: « Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet (hebr. venit) tibi justus, et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ ». Cf. etiam *Joel* **1** et **2** (3).

b/ Prophetæ, utpote eorum quæ viderant testes fideles, ea sola, quæ viderant, *eoque modo quo ea viderant,* enuntiare potuerunt. « Prophetæ, inquit S. Thomas (4), non omnia prophetabilia cognoscunt, sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem hujus vel illius rei ». Hæc autem varia fragmenta prophetica, quandoque parum definita, apto ordine disponi atque componi debent, ut completam rei (e. g. Messiæ prænuntiati ejusque regni) imaginem exhibeant.

Sic Isaias modò loquitur de nativitate Messiæ, modò de ejus regno glorioso, modò de passione ejus: hæc omnia colligenda sunt et inter se comparanda ut integra veritas revelata appareat.

c/ Prophetæ in visione quasi in tabula picta res intuentes, plures aliquando eventus tempore nonnunquam longo distantes, unica imagine simul enuntiant, ità ut omnis *chronologica eventuum successio evanescat* (5).

---

(1) *In Ps.* **4**, n. 6. Alibi tamen iidem Patres minus recte docent tempora præterita in prophetiis ideo esse adhibita *quia tam certa sint quasi facta sint,* quamvis utique hoc assertum sit verissimum.

(2) Juxta textum hebræum. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 74.

(3) Van Hoonacker, *o. c.*, p. 144.

(4) *Sum. théol.*, 2ª 2ᵃᵉ, q. CLXXI, a. 4. Cf. *I Cor.* **13**, 9. Cornely, *o. c.*, p. 295 observat: « Prophetæ ipsi vaticinia sua integra non semper intellexerunt atque impletionem ea clariora esse redditurum monuerunt ». Cf. *Dan.* **8**, 27; **12**, 8 ss.; *Zach.* **1**, 9; **2**, 2 etc.

(5) « Neque parum crescit difficultas, si prior eventus, quoniam typus

Isaias e. g. 10, 11 adventum Messiæ ita Assyriorum interitui adjungit, quasi longo sæculorum intervallo non sint separati.

Non desunt quidem vaticinia, in quibus tempus futuri eventus accurate definitur (1); in longe pluribus autem vago quodam modo aut omnino non indicantur, quia a prophetis, ut videtur, ignorabatur. Testatur *I Pet.* 1, 10 s. (2) prophetas V. T., qui de futura Redemptionis gratia prophetaverunt, scrutatos esse privatis utique studiis, « in quod vel quale tempus » dictum beneficium eventurum « significaret in eis Spiritus Christi ». Ut familiari comparatione utamur (3), prophetæ eventus tempore distantes viderunt adeoque nobis delineaverunt « sur un même plan, dans un tableau, sans perspective de lignes et de coloris » (4).

3. *Prophetæ imagines et symbola sibi in visionibus ostensa, vicissim in orationibus et scriptis proponunt.*

Imagines seu figuræ e fontibus desumptæ sunt quos suprà, p. 132 ss. descripsimus, sc. ex natura, ex moribus, necnon ex institutionibus religiosis Hebræorum eorumque historia, ità tamen ut singulorum propheta-

---

erat alterius, posteriori sit similis prophetæque in sua descriptione ab uno (a typo) ad alterum (ad antitypum) transeant iterumque ad priorem revertantur, ut de una sola re eos agere facile putaveris ». Ita CORNELY (*o. c.*, p. 298 s.), quem hîc satis presse sequimur.

(1) Cf. e. g. *Is.* **7**, 8; **16**, 14; **20**, 3; **21**, 16; **23**. 15 etc.; *Jer.* **25**, 12; **27**, 7; *Dan.* **9**. 25 ss.

(2) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in Epistolas Catholicas*, Brugis, 1909, p. 98 s. Videsis etiam *Jon.* **4**, 1-11.

(3) Cf. CORNELY, *l. c.*, ubi alia etiam comparatione res illustratur: « Quemadmodum nos cœlum nocturnum intuentes stellas quidem videmus multas. quæ immensis spatiis inter se separantur. sed nec quam longe a nobis distent nec quæ sint viciniores aut remotiores discernimus, nec vera, quibus separantur, spatii intervalla cognoscimus, ita prophetæ futuros quidem eventus viderunt, sed eorum relationem chronologicam non perceperunt ».

(4) Cf. Illmo ac Rev^mo WAFFELAERT, *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. II, p. 277 cum nota.

rum adjunctis personalibus quodammodo accommodatæ videantur (1).

Cùm præterea integra vetus æconomia typus sit seu figura N. T. (2), facile concipitur cur Deus figuris V. T. uti voluerit, ut futura, maxime de Messia, prophetis revelaret.

Præter imagines typosque apud prophetas innumera occurrunt *symbola*, quibus res futuræ ipsis manifestabantur. Symbolorum nomine imagines intelligimus rerum, *quæ revera non exstiterunt,* sed prophetis in visionibus fuerunt ostensæ ut res futuras significarent. Exempla ità abundant, ut quædam ex. cc. 7-8 Amos afferre sufficiat. Locustarum nubes quam vidit Amos (7, 1-3) et quæ in eo erat ut herbam terræ comederet, famem Israeli infligendam significabat, quam tamen prophetæ intercessio avertit. Ignis quem perspexit quemque preces ejus pariter averterunt (7, 4-6), vastationem regno Israel inferendam portendebat. Uncinus pomorum, seu potius maturorum fructuum quem Dominus ostendit prophetæ (8, 1 ss.), Israel judicio maturum esse symbolice indicabat.

Multæ præterea *actiones symbolicæ* in libris prophetarum describuntur et de pluribus, uti jam obiter diximus, meritò dubitatur utrum a prophetis in actum externum deductæ fuerint, annon potius meræ fuerint actiones imaginariæ, in visionibus prophetis solummodo ostensæ, executioni nullatenus mandandæ neque unquam mandatæ. Eo vel magis dubitandi ratio apparet, quod

(1) De sensu typico cf. CORNELY, *o. c.*, t. I, p. 530 ss.; ZAPLETAL, *Hermeneutica biblica,* Friburgi H., 1908, p. 39 ss.

(2) Ita Amos qui ante vocationem suam erat pastor, imagines e vita pastoritia et rustica haurit. « C'est ainsi que les termes de comparaison lui sont fournis par les traîneaux servant à battre le blé (**1**, 3), le char surchargé de gerbes (**2**, 13), le crible (**9**, 9), les cèdres et les chênes (**2**, 9), le berger disputant au lion les restes de sa proie (**3**, 12), les vaches de Basan (**4**, 1), le torrent aux eaux perpétuelles... etc. ». Cf. VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 197.

certocertius plures imaginariæ actiones symbolicæ in prophetiis occurrant.

Ita in allegoria prophetæ-pastoris, Zacharias (11, 4 ss.) jubetur gregem (seu populum) pascere, i. e. ejus curam suscipere eique de omnibus providere. Id Zacharias præstat ex sua parte, sed postea gregis rebellis ac contumacis curam dimittit. Jam vero, dubium non est (1) prophetam hæc omnia in visione expertum esse atque egisse. Sic etiam Jeremias **25**, 15 ss. jubetur sumere « calicem vini furoris » de manu Domini, et propinare « de illo cunctis gentibus ». Et v. 17 id a se factum narrat: « Et accepi calicem de manu Domini et propinavi cunctis gentibus ad quas misit me Dominus ». En sane actio symbolica mere in visione peracta (2).

Ex dictis patet in libris prophetarum methodum litterariam deprehendi specialem, ipsis propriam, vi cujus actionibus mere symbolicis consilia Dei proponuntur. Processus ille litterarius eo vel minus est mirandus quod, uti ostendimus, dictæ actiones prophetis « videntibus » supernaturali modo ostensæ fuerint, ac deinde orali prædicatione opportune propositæ, imò quandoque in actum deductæ.

Verùm, cùm non omnes hujusmodi actiones practice effectæ fuerint, jure merito interpretes quærere possunt, imò tenentur, utrum in casu particulari actio quædam ut historice gesta vel ut mere idealis seu imaginativa (3) habenda sit necne. Solum præterea prophetæ testimonium se in dicta actione partes quasdam explevisse, non sufficit ut historica seu objectiva actio-

---

(1) Cf. Knabenbauer, *Commentarius in prophetas minores*, Parisiis, 1886, p. 343, et præsertim Van Hoonacker, *o. c.*, p. 651 ss., 671 s.

(2) Eodem modo explicanda videtur ratio symbolica (lumbare seu cingulum putridum) *Jer.* **13**, 1 ss. Inde nullatenus sequeretur « narrationem a vate fuisse confictam » uti Knabenbauer, *o. c.*, p. 183 præpostere supponere videtur. Cf. etiam *Ez.* **4**, 1 ss.

(3) Quamvis utique divinitus semper proposita, quod satis superque ostendisse confidimus.

nis realitas statuatur, cùm simile testimonium de actionibus occurrat, quas ut reales et objectivas accipere haud licet (1).

Conclusio. Brevis hæc de cognitione locutione ac stylo prophetarum disputatio genus litterarium propheticum proprias habere interpretationis regulas luculenter ostendit. Cujus interpretationis principia supra p. 20 ss. compendiose proponere conati sumus. Inde etiam confirmatur fundamentale circa inspirationem Scripturæ ejusque inerrantiam principium « a determinatione speciei litterariæ maxime pendet solutio quæstionis facti quænam judicia hagiographus proferre intenderit, et quodnam sit eorum objectum » (2): veritatem logicam narrationi historicæ (3) e. g. et prædicationi propheticæ eodem modo non convenire apparet liquidò (4).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. e. g. *Jer.* **25**, 15 ss.; *Ezech.* **4**, 1 ss., 14 etc. Videsis Van Hoonacker, *Nouvelles études sur la restauration juive,* Paris-Louvain, 1896, p. 83 s. — Mangenot, *o. c.*, c. 714 s. varias symbolicas actiones enumerat: *Os.* **1-3**; *Is.* **8**, 1 ss. (non **1-4**); **20**, 1-6; *Jer.* **13**, 1-21; **18**, 1-10; **19**, 1-13; **27**, 2-13; **28**, 1-17); **32**, 6-44; **43**, 8-13; **51**, 59-64; *Ez.*, **2**, **8-3**, 3; **3**, 24-27; **4**, 1-3; **4**, 4-8, 9-17; **5**, 1-17; **12**, 1-16, 17-20; **24**, 15-24; *Zach.* **6**, 6-16; deinde generale hoc judicium exprimit: « Bien que quelques unes (?) de ces actions symboliques présentent des difficultés au point de vue de leur réalité historique, ce ne sont pas de simples figures de rhétorique comme le prétendait Reuss, mais plutôt des faits réels, accomplis sous les yeux des spectateurs afin de les impressionner plus vivement et de leur donner une saisissante leçon de choses ». Omnes actiones ab clar. auctore citatas sensu historico esse intelligendas, minime putamus. Quoad *Zach.* **6**, 6-16 cf. Van Hoonacker, *l. c.*, et *Les douze petits prophètes,* p. 626 ss.: pariter apud *Os.* **1-3**, ubi de prophetæ connubio cum « uxore fornicationum » ejusque « filiis fornicationum » ex illa genitis. Cf. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 12 ss., maxime p. 38 ss. ubi indoles narrationis symbolica solidis argumentis contra plerosque recentiores interpretes propugnatur. Cf. adhuc *Ag.* **2**, 10 ss.; *Hab.* **2**, 2.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 401 ss.; 568 ss.; t. XV, p. 73 ss.

(3) De differentiis historiographum inter et stricte dictum prophetam quædam notata reperire est apud Pesch, *De inspiratione S. Scripturæ,* Friburgi B., 1906, p. 506 s.

(4) De propetis magna cum utilitate leges opus jam laudatum Ill^i ac Rev^i Waffelaert, *Méditations théologiques,* Bruges, 1910, t. I, p. 96 ss.; t. II, p. 268-329.

E Sacra Congregatione Rituum

I

RATISBONEN. *(Ratisbona)* (1).

De « Postcommunione » in Missa SS. Perpetuæ et Felicitatis MM. et « Communione » in Missa S. Agnetis secundo.

Fridericus Pustet, S. Sedis Apostolicæ necnon Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, novas parans Missalis Romani editiones, eidem Sacræ Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit, nimirum:

I. Decreto diei 25 Augusti 1909, Festum Ss. Perpetuæ et Felicitatis Martyrum e simplici ritu ad duplicem minorem evectum, die sextæ Martii assignatum cum Officio et Missa propriis atque ad universam Ecclesiam extensum est (2). Jamvero inter Postcommunionem, prouti hucusque multa jam per sæcula commemorari solebat in Festo S. Thomæ Aquinatis die 7 Martii et inter Postcommunionem prouti posita est in Missa *Me expectaverunt* de Communi Martyrum non Virginum illud interest discrimen, quamvis valde exiguum, quod in Postcommunione hucusque commemorari solita nomen Ss. Martyrum Perpetuæ et Felicitatis expresse recitetur, in illa vero de Communi non, cum desit littera *N*. Quæritur quid sit eligendum?

II. In Communione Festi S. Agnetis secundo, die 28 Januarii, inter diversas Missalis Romani editiones antiquiores, recentiores et recentissimas aliud parvum extat discrimen. Nempe post illa verba: *quærenti bonas margaritas, inventa* in quibusdam editionibus additum est verbum *autem*, in qui-

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1910, p. 75.

(2) Juxta recens decretum S. R. C. *Meten.*, diei 28 Januarii 1910 (apud *Acta Apostolicæ Sedis*, 1910, p. 118), in ecclesia propria festum SS. Martyrum Titulare, quod hucusque celebrabatur die septima martii, translato festo S. Thomæ Aquinatis, amodo recoli debet die sexta martii, non vero relinquendum est in die natalitio (septimo martii), juxta decretum n. 3876[3].

busdam deest. Quæritur utrum in futuris editionibus Missalis Romani addendum sit verbum *autem,* vel non?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, reque accurate perpensa, ita rescribere rata est:

Ad I. In Missa *Me expectaverunt,* si fuerint plures Martyres, sive Virgines sive non Virgines « *Postcommunio* » post verba *Martyribus tuis* addantur *N. et N.*, uti in Orationibus præcedentibus (1).

Ad II. Stetur editioni Gradualis Romani nuperrime approbatæ, typisque Vaticanis evulgatæ, in qua verbum *autem* non habetur.

Atque ita rescripsit, die 3 Decembris 1909.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

II

CURIEN (2) *(Chur-Coire).*

De Offertorio in Missis Cantatis.

Ab hodierno R^mo^ D^no^ Episcopo Curiensis Diœcesis proposito dubio: « An sustineri possit consuetudo quæ in multis Ecclesiis minoribus Curiensis diœceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur?

Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicæ suffragio, respondendum censuit: *Negative* et serventur Rubricæ et Decreta (3).

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1909.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

---

(1) Est applicatio quædam principii quod pro orationibus pro defunctis olim statuimus ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 57-63 et t. XIV, p. 631, 5°. — Pari ratione in Invitatorio hujus festi dicendum est: « Laudemus Deum nostrum in confessione *beatarum Perpetuæ et Felicitatis* ».

(2) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, p. 81.

(3) Cf. decretum *Tergestina,* 3 Jul. 1904 (ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 195) et decreta nn. 1936 et 3104[1].

III

CEPHALUDEN. *(Cefalù)* (1).

De quisbusdam pecularibus consuetudinibus in Officio, in Missa, aliisque sacris functionibus.

Hodiernus R^mus^ Episcopus Diœcesis Cephaludensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

I. Utrum tolerari possit longæva consuetudo adhibendi in expositione insignis Reliquiæ S. Crucis D. N. J. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SS^mo^ Sacramento solemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur; vel potius standum sit decretis jam latis N. 2324 *Brixien.*, 14 Septembris 1736 et N. 2722 (2) *Lucionen.*, 23 Maii 1835?

II. Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in Feria VI Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis*, 20 Martii 1869, ad VII?

III. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus quocunque anni tempore, Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus,* post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interrumpitur, expleta hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve Regina*, ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali?

IV. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in Missa solemni vel in Vesperis incensat SS^mum^ Sacramentum solemniter expositum (3)?

V. An pulsari possint organa cum canuntur lectiones ma-

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, p. 81.

(2) Apud *Acta Apost. Sedis,* errore typographico, citatur n. *2727*.

(3) Agitur in hoc dubio de incensatione SS. Sacramenti quæ fit ante incensationem altaris; nullatenus vero de ea quæ facienda est ante benedictionem SS. Sacramenti: dum enim hæc peragitur omnes genuflectere debent.

tutini in Officio Defunctorum et in Missa pro Defunctis, quando chorus silet?

VI. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit præscriptioni Cæremonialis Episc. Lib. II, cap. VIII, 70-71?

VII. Utrum in benedictione quæ datur cum Reliquiis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canonicis?

VIII. Missam solemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc? Standumne consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.*, 16 Martii 1833 et N. 3937 *Urgellen.*, 11 Decembris 1896?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I et II. Standum decretis.

Ad III. Negative ad utrumque.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative ad primam partem; et Negative ad secundam, juxta Cæremoniale Episcoporum Lib. I, cap. XXVIII, N. 13.

Ad VI. Standum Cæremoniali Episcoporum.

Ad VII. Genuflectendum est ab omnibus.

Ad VIII. Standum Decretis.

Atque ita rescripsit, die 16 Decembris 1909.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

Adnotanda. *Ad dubia I et II.* Ex decretis S. R. C. nn. 2324, 2390[7], 2660, 2722, 2769 ad x, 2854, 3201[7], 3256, quæ hanc materiam respiciunt sequentia statui posse videntur:

I. Reliquiæ S. Crucis non sunt exhibendæ reverentiæ quæ deferuntur SS. Sacramento exposito (1) (n. 2660,

(1) Permittitur tamen ut Reliquia S. Crucis, non vero Sanctorum, deferatur processionaliter sub baldachino (decr. S. R. C., 16 jan. 1907, ad II, ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 421).

2722[1]). Unde: a/ nunquam ei est genuflectendum utroque genu (n. 2722[2], 2854); b/ in choro non debent clerici stare nudo capite toto tempore quo manet exposita (n. 2722[2]); c/ non potest thurificari a sacerdote genuflexo (nn. 2324[2]), 2660, 2854, 3201[7]) nequidem in feria IV in Parasceve (n. 2769 ad X[1]). Et concludimus eam non esse velo obtegendam si concio habeatur.

II. Reliquiæ S. Crucis publice expositæ exhibendæ sunt reverentiæ *sicut SS. Sacramento in tabernaculo incluso*. Nam

1/ ei est genuflectendum, nonobstante contraria consuetudine (n. 3201[7]), etiam in choro (nn. 2722[2], 2854, 3201[7]): a/ ab omnibus qui transeunt ante illam (nn. 2390[7], 2722[2], 2854); b/ in missa coram Ligno S. Crucis exposito: in accessu et recessu et quoties transitur ante medium altaris, a latere ad latus, ut in incensatione altaris (nn. 2722[1], 1854).

2/ Incensatio facienda est triplici ductu a sacerdote stante, (nn. 2324[2], 2660, 2854, 3201[7]), facta genuflexione ante et post thurificationem.

3/ Si vero reliquia S. Crucis sit recondita in custodia, veneranda est sola capitis inclinatione (nn. 2390[7], 2854).

III. Color paramentorum proprius qui S. Cruci convenit est rubeus (n. 3256), licet in feria VI Parasceves utendum sit, ratione specialis indolis functionum hujus diei, pluviali et stola coloris nigri et velo humerali coloris violacei (n. 3466[1] et 16 jan. 1907, ad II, ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 421).

IV

BRUNEN. *(Brünn)* (1).

Dubia circa Ecclesiæ et Altarium Consecrationem.

R^mus^ D^nus^ Paulus Huyn, Episcopus Brunensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur reverenter exposuit:

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1910, p. 117.

I. In Consecratione Ecclesiæ consecratum fuit Altare, cujus mensa habebat sex cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio et sextam supra lapidem quo clauditur sepulchrum reliquiarum. Signatæ porro sunt cum aqua primæ quinque cruces, at cum sacris oleis tantum primæ quatuor et sexta, omissa quinta. Quid in casu faciendum? Hinc quæritur:

II. An signandæ et ungendæ sint primæ quinque cruces, an primæ quatuor et sexta?

III. An responsum huic quæstioni valeat etiam pro Altaribus portatilibus?

IV. An in Consecratione Altarium portatilium Episcopus consecrans debeat ipse omnes cruces propria manu ex incenso formare et candelas imponere; an his in actionibus a sacerdotibus adjuvari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Orator seu consecrans in casu acquiescat.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. Episcopum consecrantem in prædictis actionibus posse adjuvari a sacerdotibus.

Atque ita rescripsit, die 14 Januari 1910.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

V

Ex decreto *Squillacen*, diei 11 Februarii 1910 (1):

« An in Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, liceat uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu, stricte liturgico gregoriano, partium variabilium Missæ solemnis, hymnorum et aliorum canticorum? »

Resp.: *Negative.*

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, p. 119.

S. Congregatio Consistorialis

Circa competentiam relate ad matrimonia mixta (1).

S. Congr. S. Officii litteris diei 27 Martii 1909 a S. Congregatione Consistoriali formalem declarationem petiit circa competentiam relate ad matrimonia mixta. Itaque proposito dubio in terminis ab Adsessore S. Officii statutis hoc est: « qualis sit competentia S. Officii in re de matrimoniis mixtis, sive inter baptizatos et non baptizatos, sive inter catholicos et acatholicos, tam quoad partem practicam, nempe concessionem dispensationum, quam quoad partem speculativam, nempe solutionem dubiorum quæ possunt de hac materia exsurgere, etiam respectu recentis decreti *Ne temere* », Emi Patres, perpensis consultorum votis et re mature considerata, respondendum censuerunt: « Competentiam S. Officii se extendere ad omnia quæ sive directe sive indirecte, in jure aut in facto se referunt ad Privilegium Paulinum et ad præfatas dispensationes. Et ad mentem, quæ est: supplicandum SSmum ut statuat ac decernat ut quælibet quæstio circa præfata matrimonia deferatur Sacræ Congregationi S. Officii, salva huic Sacræ Congregationi potestate, si ita censeat et casus ferat, quæstionem ipsam remittendi ad aliud S. Sedis officium ».

SSmus, audita relatione infrascripti Cardinalis Secretarii, resolutionem ratam habuit et confirmavit, mandavitque ut in posterum quælibet quæstio circa matrimonia mixta deferatur S. Congregationi S. Officii juxta petita, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. XI n. 2° et 3° statuta (2).

L. ✠ S. C. Card. De Lai, *S. C. Consistorialis Secretarius.*
Scipio Tecchi, *S. C. C. Adsessor.*

---

(1) Sine die est hoc decretum in Commentario officiali *Acta Apostolicæ Sedis*, t. II, 1910, p. 56.

(2) Decretum *Ne temere* cum præcipuis subsequentibus declarationibus C. Consilii et C. de Sacramentis invenies apud A. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ad calcem, p. 531-537, Brugis, 1909.

Annotationes.

1° Animadvertendum est quod Congregatio Sancti Officii, etsi dubia quæ de ipsius competentia in aliquo negotio oriri possint ipsa *per se* dirimat (1), præsentem tamen quæstionem Congregationi Consistoriali solvendam proposuit.

2° Scopus hujus decreti fuit ut, suppressa a Const. *Sapienti* omni cumulativa potestate, integra materia de matrimoniis mixtis, sive inter baptizatos et non baptizatos, sive inter catholicos et acatholicos initis, exclusivæ competentiæ S. Officii perspicue reservetur, exclusa competentia tum C. Concilii, cujus auctoritate Decretum *Ne temere* prodiit, tum C. de Sacramentis, quæ nuper, die 18 Junii 1909, dubia hac de re sibi proposita diremerat.

3° Illa competentia, juxta præsens decretum, declaratur generalissima, imo et ampliatur, adeo ut, quævis quæstio, theoretica aut practica, juris aut facti, directe aut indirecte ad privilegium Paulinum vel ad dispensationes disparitatis cultus et mixtæ religionis pertingens ad S. Officium sit deferenda (2), salva hujus potestate, si ita censeat et casus ferat, quæstionem remittendi ad aliud dicasterium, v. gr. ad Congregationem Concilii si dubium moveatur circa Decretum *Ne temere*, vel ad Tribunalia si res via judiciali sit absolvenda.

4° Nec ideo, hoc S. C. Consistorialis responso, adjecta est S. Officio *potestas judicialis* circa causas nullitatis Matrimonii hoc capite motas (3). Sed si judicio S. Officii, casus practicus via judiciali solvendus censeatur, ab hac Congregatione ad S. Rotam Romanam remittendus est. Attamen in hoc adaucta videtur

---

(1) *Normæ peculiares*, cap. VII, art. II, n° 6.

(2) Quoad dispensationes matrimoniales mixtæ religionis et disparitatis cultus pro regionibus Orientalium competens est C. pro negotiis Rituum Orientalium. Cf. Dubium de competentia S. C. de Prop. Fide, 12 nov. 1908, ad VI, ap. *Acta Apostolicæ Sedis*, I, p. 149 ss.

(3) A. De Meester, *De reformatione curiæ romanæ*, p. 19, Brugis, 1909; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 467 s.; Ojetti, *De curia romana*, p. 54 ss. Romæ, 1910.

S. Officii potestas quod ita agere valeat *jure proprio*, etiam si agatur de causis in prima instantia judicandis, quin ipsi opus sit decreto specialis commissionis Sanctæ Sedis. Hujusmodi est potestas concessa C. de Sacramentis in causis dispensationis super matrimonio rato.

A. De Meester.

S. Congregatio de Religiosis

Declaratio circa decretum d.d. 7 Sept. 1909 « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis » (1).

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia, die 4 Januarii 1910 infrascripto Cardinali Præfecto benigne concessa, decernere dignatus est, ut dispositiones Decreti Sacræ Congregationis de Religiosis, d. d. 7 Septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, ad mulierum quoque Religiosas Familias in posterum extendantur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicæ et sub pœna nullitatis professionis, non excipiantur sive ad novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes:

1° quæ, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsæ fuerint;

2° quæ a scholis domesticis, in quibus puellæ speciali cura in spem amplectendæ vitæ religiosæ educantur, quacumque ratione dimissæ fuerint;

3° quæ, sive ut professæ, sive ut novitiæ, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissæ fuerint; vel, si professæ, dispensationem votorum obtinuerint;

4° quæ jam admissæ, sive ut professæ, sive ut novitiæ in unam provinciam alicujus Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissæ, in eamdem vel in aliam ejusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ, 4 Januarii 1910.

L. ✠ S.

Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus*.
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius*.

(1) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 612.

Consultatio

Quæritur. In Sabbato Sancto prohibetur missa de *Requiem* etiam exequialis corpore præsente. Nonne potest tamen deduci corpus defuncti ad ecclesiam ut eo præsente celebretur missa de die?

Respond. Negative!

Ostendimus ap. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 306 ss., juxta Rituale et Decreta nunquam pro exequiis corpore præsente licere celebrare missam de die.

Hoc præ cæteris valet de iis diebus in quibus non tantum exequiæ cum missa prohibentur, sed et exequiæ etiam absque missa transferri debent « ad horas post-meridianas post diei festi vesperas et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali acris campani sonitu ». Ita enim statuit decretum S. R. C., n. 3570[1], *Corduben.*, d. d. 27 jan. 1883, cujus verba allegavimus *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 308, et quod fuit confirmatum S. R. C. decretis n. 3946 in *Illerden.* (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 187 in nota) et in *Parentin. et Polen.* diei 8 Jan. 1904. (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 187).

Inter hos autem dies certissime computari Triduum sacrum (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 188) nemini unquam dubium esse potuit qui vel auctores aut calendarium inspexerit vel saltem de sensu et significatione officiorum Sabbati Sancti paulisper recogitaverit.

Quare: vel funus est transferendum ad feriam II post Pascha; vel exequiæ faciendæ sunt absque missa et officio et sonitu campanæ emortuali, absolutis omnibus officiis Sabbati Sancti, quo casu missa exequialis cantata, vel pro paupere lecta, celebrari potest corpore moraliter præsente, feria II post Pascha, quia est infra biduum a die sepulturæ.

C. Callewaert.

Notæ Bibliographicæ

R. Ghewy. *Sur le Passage du Maître.* Scènes Evangéliques, Scènes de nos jours. Bruges, Beyaert, 1910. In-8, 292 p. avec illustrations. Prix : 2 fr.

Nous lisons dans l'*Avant-Propos* (p. 3) : « L'auteur de ces pages n'a qu'un but, celui de mieux faire connaître aux simples fidèles les merveilleuses et touchantes guérisons survenues à Lourdes sur le passage du T. S. Sacrement, et d'augmenter ainsi la foi et la confiance en Jésus-Hostie, le *bon Maître* de la divine Eucharistie. Il ne présente donc qu'un modeste travail de *vulgarisation* et de piété eucharistique ».

Ce but, hâtons-nous de le dire, a été complètement atteint. L'A. a eu l'ingénieuse idée de mettre en regard l'Evangile et les guérisons eucharistiques de Lourdes : il fait lire quelques passages de l'Evangile, auxquels il rattache les faits de Lourdes. Nous trouvons vraiment ce que promet le sous-titre : *Scènes Evangéliques, scènes de nos jours.* Le *bon Maître passa* benefaciendo (Act. X, 38), il *passe* encore de nos jours en faisant le bien. Il était utile de souligner cette bonté attirante du Maître et en même temps la leçon que nous donne la Vierge de Lourdes, en nous conduisant à son divin Fils : *Per Mariam ad Jesum.*

Ajoutons que ce « modeste travail de vulgarisation » offre un réel intérêt *apologétique,* non seulement pour les « simples fidèles », mais pour tous les lecteurs de bonne foi. Le simple exposé des faits, souvent peu connus, même quand il s'agit de guérisons désormais célèbres (Gargam, Mme Rouchel, Melle Tulasne etc. etc.), le simple exposé fait plus d'impression sur la masse des lecteurs qu'une étude scientifique et critique (1). Nous ne parlons évidemment pas de ceux dont N.-S. faisait dire à Abraham : « Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ». (Luc. XVI, 31).

R. P. Alphonse de la Mère des Douleurs, C. D. *Méditations de Sainte Thérèse* appropriées aux commençants dans la vie intérieure. Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, [1910]. In-12, IX-389 p. 3 fr.

Ce volume est publié comme complément du premier volume de la *Pratique de l'oraison mentale* (2), dont il est pour ainsi dire une application pratique. C'est un recueil de méditations, composé en majeure partie d'extraits des principaux écrits de Sainte Thérèse Celles qui n'offrent

(1) Ceux qui ont reçu la brochure *De genezingen te Lourdes* (Geloofsonderricht, Reeks A, Nr 11) feront bien de lire dans l'ouvrage de M. Ghewy les détails des guérisons rapportées ou indiquées dans cette brochure.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 201.

pas le texte de la Sainte sont rédigées d'après sa méthode de méditer. Elles sont appropriées aux commençants, à la voie purgative: gravité du péché, Oraison dominicale, mystères de la Passion de N.-S.

Nous recommandons ce volume comme nous avons recommandé le volume précédent.

H. MAHIEU.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Dubosq René. *Les étapes du Sacerdoce* ou édition analytique du Manuel de l'Ordination. Paris, Bloud et Cie, 1910. In-16, relié, tranches rouges, 134 p. Fr. 1,75.

Mangenot. *La résurrection de Jésus.* Beauchesne, 1910, In-12, p. 404. Fr. 3,50.

Marin Abbé. *Monseigneur Hacquard, des Pères Blancs.* Conférence. Paris, Bloud et Cie. In-12, p. 47.

Maynard Abbé. *Vertus et doctrine spirituelle de S. Vincent de Paul.* Dixième édition. Paris, Tequi, 1910. In-12, 432 p.

Mercier Kard. *De plichten van het huwelijksleven.* Herderlijke brief vert. door ADRIANUS. Leiden, Van Leeuwen, 1910. In-12, 24 bl.

Ott G. *Mariabloemen* of *de Litanie van Lorette.* Beschouwingen voor de Meimaand, naar het Duitsch door Chr. Schets, pr. Brugge, K. Beyaert, 1910. In-12, bl. 328. Fr. 1,50.

Sepet Marius. *Louis XVI.* Etude historique. Paris, Téqui, 1910. In-12, 496 p.

Sicking L. J. *Het H. Sacrament verheerlijkt door de kunst.* |Geloof en Wetenschap, VIe serie, nº 1|, Nymegen, L. Malmberg, 1910. In-8, 64 bl. Fr. 0,70.

Tweede vlaamsche sociale week, (1909), Gent, Druk. Het Volk, 1910. In-8º, p. 340. Fr. 2,50.

Wouters L., C. SS. R. *Commentarius in decretum « Ne Temere » ad usum scholarum compositus.* Editio tertia. Romæ, Desclée; Amsterdam, Van Langenhuysen, 1910. In-8, 115 p. Fr. 1.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

S. Paulus de « Evangelio suo » in variis Epistolarum locis loquitur (*I Thes.* 1, 5; *II, Thes.* 2, 14; *Gal.* 1, 11; 2, 11; *I Cor.* 15, 1; *II Cor.* 4, 3; *Rom.* 2, 16; 16, 25; *II Tim.* 2, 8). — Expone quid dicta locutione intelligat.

II

Indica genuinam mentem Concilii Viennensis (1311-1312) damnantis doctrinam asserentem quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ vere ac per se non sit forma humani corporis. (Quoad textum, cf. JUNGMANN, *De Deo creatore*, n. 203).

III

Dijudica moralitatem lectionum turpium.

IV

Dijudica moralitatem osculorum.

V

Quomodo agendum est in ipsis tentationibus?

VI

Le décret du 23 prairial an XII a-t-il attribué aux communes la propriété des anciens cimetières?

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

A. De Meester. *La guérison miraculeuse de Pierre De Rudder. Relation des deux premières enquêtes faites en 1875.* Roulers, J. De Meester, 1910, in-8, 61 p. Fr. 1.

H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum Cleri. Brugis, Beyaert, 1910. xx-539 pp. Fr. 2,25 (linteo religatum: 2,85).

H. Mahieu. *Het Brood des Levens.* Derde uitgave. Brugge, Beyaert, 1910. Fr. 1,25.

* * *

Is verschenen bij K. VAN DE VYVERE-PETYT, te Brugge.

Kerkelijke Kalender van het Bisdom Brugge voor 't jaar 1910.

Dit aanbevelensweerdig werkje wijst al de Oratiën en bijzonderheden aan der H. Mis van *iederen dag* en der Vespers van alle *Zon- en Feestdagen.* Het bevat daarenboven een aantal liturgische aanteekeningen over kerkplechtigheden, feestdagen, Requiemmissen, commemoratiën, enz. In-32, 64 bl. Prijs: 0,15 fr. het stuk; 1,20 fr. voor 12.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. Ostende quomodo principia fundamentalia de moribus litterariis Prophetarum in ultimo Responso exposita, applicari possint interpretationi prophetiæ Joelis (2, 28-32; hebr. 3, 1-5), prout S. Petrus Act. 2, 15-21 ejus sensum exponit.

I. **Prænota.** Textus explicandus ad orationem quam S. Petrus in die Pentecostes habuit, pertinet, ejusque priorem complectitur partem: in hac autem Apostolus eos qui miraculum irrident linguarum confutat. Quos autem confutat: 1/ ex hora nimis matutina (v. 15); 2/ ex propheta Joele, qui prodigium illud pro epocha Messianica prædixerat (16-18). Dein ex eodem Joele propheta transitio ad alteram orationis partem desumitur; prædicit nempe severum Dei judicium contra incredulos ac peccatores (19-21). In altera enim parte monet lectores: ne talia vobis accidant, credite in Jesum-Messiam.

Textum breviter interpretamur, plura interpretationis principia in commentarii decursu adnotantes.

II. **Respondetur.** V. 15. *Non enim, sicut vos perperam æstimatis, hi* coapostoli mei aliique discipuli linguis loquentes (1) *ebrii sunt, cum sit hora diei tertia* ab ortu solis (seu hora nostra 9ª antemeridiana). — Apud pios Judæos, quibus sane Petrus Apostolos aliosque discipulos annumerare poterat, in more non erat positum

(1) De seipso non loquitur, quia ex ipsa sapienti ejus oratione, eum ebrium non esse satis constabat.

convivia summo mane instituere potumve sumere inebriantem (1).

V. 16. *Sed hoc* linguarum charisma quod miramini et quod quidam irrident, *est* adimpletio vaticinii messianici quod *prædictum est per prophetam Joel* (2):

V. 17. *Et erit in novissimis diebus* (3) sc. tempore messianico (4); *dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (5) i. e. copiose distribuam dona Spiritus omnibus hominibus, sine distinctione sexûs, ætatis aut conditionis socialis (6), uti ex verbis sequentibus liquet. — Verbum *effundam* ostendit donorum Spiritus s. copiam et varietatem; *super omnem carnem* eorum universalitatem denotat: hæc autem copia et universalitas ante epocham messianicam minime obtinebant. Hoc generale vaticinium ad totum tempus Messianæ œconomiæ spectat (7).

Divino hoc Spiritu moti *prophetabunt filii vestri et*, quod magis mirum est, *filiæ vestræ*. Prophetæ V. T. vice Dei (προ-φάναι) veram doctrinam monotheisticam

---

(1) Imò plures auctores autumant insuetum fuisse Judæis quidquam esculenti vel poculenti ante horam 9am (jugis sacrificii) sumere. Ità juxta Flav. Jos. (*De Vita*, LIV) opinantur Lightfoot, Beelen, Wetstein, Patrizi, etc. Inepta ergo erat ebrietatis calumnia.

(2) Prophetiam hoc sensu litterali et obvio legi apud Joelem unanimis est interpretum opinio. Sola lectione elucet Joelem c. **3-4** (heb.) de messianicis temporibus loqui. Cf. Van Hoonacker, *Les douze petits Prophètes*, Paris, 1908, p. 132. Recte igitur S. Petrus Prophetæ sensum exponit. Porro textus potius juxta LXX citatur et, pro antiquo textûs laudandi more, cum sat magna libertate. Differentias textum Actuum inter et textum hebræum vide apud Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 128, n. 1.

(3) Apud Joelem habentur verba: *Post hæc* (μετὰ ταῦτα apud LXX), quod S. Petrus hîc dicere non poterat.

(4) Locutio « in novissimis diebus » apud Prophetas tempus Messianicum designat. Cf. *Mich.* **4**, 1; *Os.* **3**, 5; *Is.* **2**, 1 etc. Van Hoonacker, *o. c.*, p. 38.

(5) « Les hommes sont appelés *chair*, en opposition avec l'*esprit* de Jahvé répandu sur eux ». Ita Van Hoonacker, *o. c.*, p. 178.

(6) Imò, uti plures addunt, absque distinctione nationis.

(7) Cf. *Jo.* **4**, 10; **7**, 37 ss.

prædicabant, vitia et peccatores arguebant atque increpabant, aut etiam res absconditas propalabant, futurosque prædicebant eventus (cf. suprà, p. 160 ss.). Verba sequentia « *juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabant* » idem prophetiæ charisma denotant: duplicem proponunt modum quo Deus prophetis consilia sua communicare solebat, sc. modum extraordinarium *(somnium)* et modum consuetum seu *visionem imaginariam* (cf. supra, p. 166 ss.).

Porrò, primum aliquod speciale **principium interpretationis** applicandum hîc apparet: *modus loquendi Joelis est symbolicus* (cf. supra, p. 241 ss.), neque sensu proprio ejus verba sunt accipienda (1), quasi omnes œconomiæ meßsianæ participes, charismate *prophetiæ* donandi essent. Joel, ope charismatis prophetiæ Spiritûs Hebræis notissimo docet omnes Christi fideles copiosis Spiritus donis fore locupletatos. Inter hæc autem dona præprimis recensenda venit gratia gratum faciens (2), atque etiam varia charismata gratis data, ut charisma linguarum quod a Joele prædictum fuisse S. Petrus clarissime affirmat (3).

V. 18. *Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.* Hic vers. dona Spiritus absque socialis conditionis discrimine effundenda fore docet.

At verò aliis prodigiis epocham messianicam insigniendam Joel proclamat. Citationem quamvis ad calumniam Judæorum confutandam jam non inserviat, Petrus protrahit, maxime quia ansam ad alteram ora-

---

(1) Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Prophetas minores*, T. I (Parisiis, 1886), p. 231 s.; VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 179.

(2) Cur Auctores quidam (uti CEULEMANS, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Mechliniæ, 1903, p. 54) hanc prophetiam ad sola charismata restringere videantur, non apparet.

(3) Charismata maxime in primitiva Ecclesia, frequentia et mirè varia fuisse ex Epp. ad Corinthios liquet. Cf. PRAT, *La théologie de S. Paul*, t. I, (Paris, 1907), p. 172 ss.

tionis partem transeundi, opportune præbet: « Ne *vobis* pœnæ Dei terribilissimæ accidant (v. 21), credite in Jesum-Messiam ».

V. 19. *Et dabo prodigia in cælo sursum*, (quæ v. 20 describuntur) *et signa in terra deorsum*, quæ statim proponuntur: *sanguinem et ignem et vaporem fumi*, sc. bella et incendia.

V. 20. Signa in cælo seu in ære: *Sol convertetur in tenebras* seu penitus obscurabitur, *et luna in sanguinem*, sc. luna colorem sanguineum habebit, *antequam veniat dies Domini magnus et manifestus* (hebr. terribilis), np. dies justi judicii (universalis) nomine Dei per Messiam instituendi (1).

V. 21. *Sed omnis quicumque invocaverit nomen Domini* seu Jehovah debito cultu coluerit, *salvus erit*, seu judicium Dei tremendum contra incredulos evadet.

Quemadmodum S. Petrus in v. 20 prophetiam interpretans, « diem Domini » sensu messianico intelligit, ita etiam locutionem « invocare nomen Domini » de confessione messianitatis Jesu Christi hujusque cultu interpretatur.

Quæritur quousque varia quæ in vv. 19 et 20 prædicuntur, jam adimpleta fuerint, aut aliquando verificanda sint?

Quæstioni huic respondentes, **interpretationis principia supra, p. 211 ss. proposita, applicamus.**

1° Non est nimis anxie quærendum de singulis adjunctis in prophetia traditis. Sane verba Joelis (et S. Petri) merè metaphorice vel hyperbolice explicari non possunt, eo vel magis quod Christus ipse prædixit

---

(1) « Dies Domini » locutio est jam apud antiquiores prophetas (*Am.* **5**, 18; *Joel* **1**, 15; *Soph.* **1**, 7), maxime apud recentiores obvia et frequens (*Is.* **2**, 12; **13**, 6, 9; *Ez.*, **13**, 3). Est dies justi judicii a Deo de nationibus infidelibus et de Israelitis pervicacibus exercendi. Prophetæ ultimum et definitivum judicium hac locutione intelligebant. S. Petrus infusionem Spiritus S. a prodigiis in natura physica futuris sejungens, prophetiam recte exponit.

in extremis mundi diebus, ante judicium universale, magnas in natura rerum commotiones, magnasque in mundo physico mutationes futuras esse (1). Cavendum tamen est a nimis litterali imaginum apocalypticarum explicatione, *quia prophetæ secundum affectus sui vehementiam, audaciores solent adhibere imagines, quæ non semper ad litteram exponi possunt* (2).

2° *Tempora rerum prænuntiatarum rite distinguenda sunt* (cf. supra, p. 213 s.). Joel duos eventus tempore distantes, unico prospectu prophetico complectitur, sc. regnum Messiæ abundanti Spiritus s. donorum copia insigniendum — et judicium Dei ultimum, quo malorum ruina et fidelium felicitas consummatur. Calamitates mundi physici vv. 19-20 nuntiatas, pauci in ruina Hierosolymitana jam fuisse adimpletas censent. Plerique autem physicas perturbationes in fine mundi esse adimplendas tenent. Et hi ultimi sane mentem prophetæ ejusque interpretis S. Petri multo perfectius assequuntur (3).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. *Mt* **24**, 29; *Mc* **13**, 24 s.; *Lc* **21**, 25, coll. *Apoc.* **6**, 12 ss.; **8**, 7; **9**, 2; **16**, 2 ss.; *II Thes.* **2**, 8.

(2) Ait Ceulemans, *o. c.*, p. 36: « Hæc verba (Joelis)... ad litteram, quantum fieri potest, accipienda sunt ». Nolumus quidem in hoc casu determinato, propter loca parallela in oratione Christi eschatologicâ assignata, huic asserto contradicere. Attamen, ubi de sensu litterali imaginum apocalypticarum haud certò constat, judicium prudenter quandoque suspenditur.

(3) Quid S. Petrus privatim de tempore parousiæ autumaverit, hîc non est inquirendum. De parousia cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 117 s.; t. XII, p. 529 ss. et Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Epistolas catholicas*, Brugis, 1909 passim, præsertim p. 121, 154, 213 s., 217 s. Plures hujusmodi dies statuere quibus Dominus varias calamitates infidelibus immittit (uti facit Ceulemans, *o. c.*, p. 36), non est locutionem propheticam interpretari, sed eam potius variis *accommodare* eventibus quos in recto non significat. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 130 s.

II.

Q. *Explica quomodo præmotio physica, quam suprà, p. 79, exposuimus, non repugnet libertati indifferentiæ.*

R. 1. Libertas indifferentiæ est proprietas voluntatis qua potest *eligere,* h. e. unum recipere, alio recusato (1). In hoc actu *ipsa* voluntas *sese determinat ad unum*, ideo est domina sui actus, ideoque ipsi est imputabilis actus.

In hoc differt *electio* ab omnibus aliis creaturæ operationibus, quod non sit *ad unum determinata:* nec a natura, nec a forma aliqua addita, sicut a specie intelligibili impressa determinatur intellectio, nec ab objecto, sicut a bono cognito ab intellectu determinatur primus motus voluntatis in finem, voluntatis scilicet *ut natura* (2). In hoc essentialiter consistit actio libera (libertate indifferentiæ) quod ipsa volitio sit *specificata* seu *determinata ad unum* ab *ipsa voluntate*, ita ut hæc sit vere *causa* illius determinationis : si perit hæc causalitas, perit libertas indifferentiæ et imputabilitas actionis.

2. Præmotio physica, quam suprà, p. 79, exposuimus, non destruit illam causalitatem.

a/ Etenim præmotio physica formaliter *applicat ad agendum*, est ad ipsum *exercitium* actus, non ad *specificationem* ejusdem : requiritur enim ut facultas transeat de potentia ad actum, nempe de non agendo ad agendum.

Hanc autem doctrinam ad voluntatis operationem transferentes, ut videamus qua ratione sit explicanda de hoc actu, imprimis distinguimus duos voluntatis actus: 1/ actum voluntatis *ut natura,* actum videlicet quo voluntas *absolute* vult bonum, sive bonum in communi, sive aliquod bonum particulare : hic actus speci-

---

(1) V. suprà, p. 40 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 409. Actio sensuum externorum specificatur seu determinatur ad unum objecto quod actu immutat sensum ; actio phantasiæ determinatur ad unum phantasmate recepto in ipsa.

ficatur ab objecto, nempe a bono quod hic et nunc ab intellectu apprehenditur: hic actus non est electio, nec in hoc actu habetur libertas indifferentiæ (1); 2/ actum voluntatis *ut ratio:* actum nempe quo voluntas, quæ jam actu vult absolute aliquod bonum, prælucente consilio (quod est actus *intellectus*) (2) aliquid, ut medium, vult, seu eligit: hæc volitio specificatur ac determinatur ad unum per ipsam voluntatem.

b/ Præmotio physica est ad *primum* actum, nempe ad actum voluntatis ut natura, ad actum quo voluntas incipit agere quando non agebat. Hæc præmotio, ex natura sua, est ad ipsum *exercitium* prædicti actus volendi et est motio ad bonum in genere: actio vero, ad cujus exercitium applicat, *specificatur* ob objecto quod hic et nunc ut bonum apprehenditur ab intellectu. Non requiritur alia præmotio ad ipsam *electionem:* quia voluntas, quæ et quatenus actu vult bonum, ut finem, est physice capax, prælucente consilio, volendi aliquid ut medium, volendi unum recusato alio, seu *eligendi.*

Præmotio igitur non afficit immediate ipsam electionem, nec specificat illam et sic intactam relinquit libertatem indifferentiæ (3).

Objectio. Si præmotio physica ideo præcise requiritur ut voluntas transeat de potentia ad actum, præmotio requiritur ubicumque habetur transitus de potentia ad

---

(1) Inde talis actus, in statu viæ, de quo loquimur, non est *moraliter* malus aut bonus, nec proinde *imputabilis:* inde voluntatis appetitus naturalis ad id quod est moraliter malum, v. gr. ad fornicationem, non est peccatum. E contrario, peccatum est delectatio morosa, qua « voluntas, non obstante judicio rationis hunc actum repræsentatum esse malum, nihilominus, etiamsi per unicum tantum momentum, pergit ipsi *deliberate* immorari, sibique in ea complacere ». *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 577, Etiam voluntatis aversio naturalis a bono faciendo, non est peccatum: v. gr. repugnantia naturalis ad actum obedientiæ. Inde etiam in Christo naturalis horror a morte subeunda non erat contraria voluntati deliberatæ subeundi mortem. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 412.

(2) Cf. S. Thomas, 1-2, q. 39, a. 1.

(3) Non dubitare valemus quominus hæc sit S. Thomæ sententia: v. suprà, p. 40 ss.

actum; atqui voluntas, jam in actu volendi bonum, ut finem, est adhuc in *potentia eligendi;* ergo requiritur *secunda præmotio* ad ipsam electionem.

R. *Dist. antec.:* requiritur ubicumque habetur verus transitus facultatis de non agendo ad agendum, *conc.;* requiritur ubi habetur specificatio seu determinatio alicujus actionis aliunde jam virtualiter contentæ in actione facultatis, *nego.*

Contrad. min. Voluntas, jam in actu volendi finem, est *in potentia* eligendi, hoc sensu quod sit in mera potentia eligendi vel non eligendi, *nego;* hoc sensu quod ipsa possit *specificare* actionem electionis, quæ necessaria est, *conc.*

Sub datis distinctionibus nego consequentiam et consequens.

Explico. Uti suprà, p. 79, exposuimus, quia *agere* est perfectio, ideo non potest facultas, quæ est in mera potentia ad agendum, ipsa sola sese reducere ad operationem: quia nequit ipsa sibi perfectionem dare quam non habet: ideo requiritur præmotio physica.

Sed voluntas, quæ per præmotionem physicam, jam *agit* volendo finem (h. e. volendo bonum sive abstractum secundum rationem felicitatis, sive concretum in aliquo objecto), est ex natura sua sufficienter actuosa ut velit aliquid circa finem seu eligat. Etenim « quum in ordine reali finis per aliqua media et per operationem subjecti sit obtinendus, movetur voluntas *eadem necessitate* qua finem appetit ad hoc ut velit eligere et ideo consiliari. In his nequaquam est libera » (1). Aliis verbis amor ille quo voluntas actu amat bonum extenditur eo ipso ad eligendum (2): ideo quando voluntas, per præmotionem physicam, semel *actu amat* bonum,

(1) MATTIUSSI, *De voluntate:* lithogr., p. 165.

(2) S. THOMAS, 1-2, q. 12, a. 4 docet quod « unus et idem subjecto motus voluntatis est tendens ad finem et in id quod est ad finem ». Cf. *De veritate,* q. 22, a. 14. Tamen actio eligendi est diversa ab operatione qua *voluntas ut natura* vult bonum. Cf. S. Thomas, 1, q. 83, a. 4 ad 2.

vi hujus actus, *eligere debet*. Libertas vero indifferentiæ in hoc est quod ipsa *specificat* electionem : quod *hoc* vult, quum possit aliud velle. Non igitur libertas consistit in hoc quod voluntas sit *in potentia eliciendi* vel *non eliciendi* actum *electionis ;* sed consistit in hoc quod ipsa *specificat* seu *determinat ad aliquod objectum* volitionem necessariam, quæ comprehenditur seu continetur virtualiter in amore *naturali* ad bonum (1). Bene igitur distinguantur hæc duo : facultas quæ est in mera potentia ad agendum, et facultas actu agens et capax (ex sua propria perfectione) specificandi actionem quæ necessario sequitur ex sua virtute in actu.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Bertha votum habens simplex castitatis perpetuæ, absque prævia voti relaxatione, sponsalia init et matrimonium.*

1° An et quare valent sponsalia et matrimonium; 2° an et quousque potest Bertha matrimonio uti; 3° a quonam est dispensatio obtinenda?

R. **Ad 1m.**

1° *Sponsalia* sunt *invalida:* votum enim castitatis constituit, uti mox dicetur, impedimentum matrimonii, saltem impediens ; nequit autem validè promitti quod licitè non potest præstari.

2° *Matrimonium* sic contractum *valet*, quamvis illicitè ineatur. *Simplex* namque votum castitatis perpetuæ, a Bertha emissum, si inducit impedimentum prohibens, *non* inducit impedimentum matrimonii *dirimens*.

Quod ex voto castitatis nuptiæ contrahendæ *regulariter* reddantur *illicitæ*, id sponte intelligitur, cum voti

(1) Iterum apparet quod non accurata est libertatis definitio a Molina tradita : proprietas qua positis omnibus ad agendum requisitis potest voluntas *agere* vel *non agere*. Cf. suprà, p. 48.

adimpletio regulariter nequeat consistere cum statu conjugali (1).

Nullo autem jure *irritatur* matrimonium ex voto *simplici* castitatis, quod Bertha ante nuptias emiserit. Et quidem nemo est qui contendat voto simplici vim inesse irritativam ex *jure naturæ*. Coram jure autem *ecclesiastico* restringitur vis irritandi matrimonium ad solum votum *solemne*, salvo privilegio a Gregorio IX concesso in gratiam Scholasticorum S. J.: horum scil. votum simplex, post biennium novitiatus nuncupatum, impedimentum constituit dirimens matrimonii; sed hæc exceptio in nostro casu non est attendenda.

Sola quæ posset fieri *difficultas* spectat hypothesim qua Bertha vidua votum simplex castitatis emisisset olim, tempore prioris matrimonii, dum vir ex sua parte ad Ordines ascenderit: non desunt nempe Auctores qui hujusmodi voto, quod uxor in sæculo emittit, viro ad Ordines promoto, vim agnoscunt dirimendi matrimonium post obitum mariti ineundum. Atvero non sunt audiendi hi Doctores: censetur enim jus anterius, vim irritativam descripto voto adnectens, per Decretalem Bonifacii VIII abrogatum (2), nec ullibi apparet posterioris juris dispositione renovatum (3).

---

(1) Dicitur: *regulariter*; quia omninò exceptionaliter posset permitti ut aliquis cum hujusmodi voto nubat gravissima ex causa, putà ad legitimandam prolem, et ita ut alteri parti consentienti non fiat injuria, utque cautum sit voti adimpletioni, quatenus pars vovens promiserit Religionem ingredi et prævideatur promissionem executura.

Posset etiam, stricte loquendo, matrimonium contrahi inter duas personas utrimque votum castitatis habentes, mutui voti conscias, et addita conditione mutuò accepta servandi castitatem; ast tale matrimonium plenum esset periculis, quæ nonnisi in exceptionalibus adjunctis tentari queunt.

(2) Cap. unic., III, 15, in VI°: « Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, in ordine ad post contractum (seu contrahendum) matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit... per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ».

(3) Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, IV, n. 395, nota 63; Scherer. *Hand-*

Ad 2m.

Debitum conjugale *petit* Bertha *jure* quidem, sed *illicitè; licite* autem *reddit* debitum comparti illud jure exigenti. Nimirum

a/ Bertha vovens tenetur votum castitatis servare in quantum, salvo jure compartis, servari potest: non potest proinde *licitè* debitum *petere*, cum possit, illæso jure compartis, a petendo abstinere.

b/ Conservat *jus* petendi, seu potest in rigore juris exigere debitum: dictum enim votum non impedit quominus jus in matrimonio accipiatur, nec importat necessario renuntiationem, neque per illud in se vitiatur copula nec redditur objective inhonesta.

c/ Potest Bertha *reddere* debitum, idque debet, comparti quæ illud jure exigat; non debet namque neque potest votum suum servare nisi in quantum illæsa sunt jura compartis. Quodsi compars jus petendi amiserit, v. gr. per adulterium vel per spontaneam cessionem, non deberet pars vovens, nec adeo licitè posset, reddere debitum: quo proinde casu interdiceretur ipsi omnis usus matrimonii, nisi forsan, ratione instantissimi periculi, quod dispensatione præcaveri nequeat, voti observatio evaserit moraliter impossibilis.

Nota. Quæ dicta sunt de debito stricte dicto, seu de copula, valent de omnibus actibus *non consummatis*, ad copulam ordinatis: pars voto obnoxia non potest illos licitè petere quamvis possit eos jure exigere, eosque reddere potest ac debet comparti jure exigenti.

Ad 3m.

Pro obtinenda *dispensatione* super voto, in ordine ad licitam debiti petitionem, seu pro restitutione licentiæ amissæ petendi debitum (1):

a/ Si agatur de voto *in congregatione religiosa emisso*,

---

buch des Kirchenrechtes, II, p. 368 s.; et præ cæteris SCHARNAGL, *Das feierliche Gelübde als Ehehindernis in seine geschichtliche Entwicklung dargestelt*, Freiburg i. B., 1908, p. 194 s.

(1) Passim dicitur minus accuratè restitui *jus* petendi.

recurrendum est ad *S. Sedem,* et quidem ad S. Congregationem negotiis religiosorum sodalium præpositam, ut relaxatio voti obtineatur, in ordine ad licitum matrimonii usum.

b/ Si votum fuit *privatim* emissum, extra congregationem religiosam:

1/ Potest dispensatio obtineri pro foro conscientiæ ab *Episcopo*. Vi namque *Pagellæ* habet Ordinarius Brugensis facultatem pro foro conscientiæ « dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit » ; aliunde posset Episcopus ex potestate ordinaria super eodem voto privato et occulto dispensare, in casu urgenti (1).

2/ Potest etiam, in diœcesi Brugensi, dispensatio obtineri, non tamen extra actum sacramentalis confessionis, a Decanis (2), necnon a confessariis, ad audiendas confessiones, tempore missionis, deputatis.

Nota. a/ Monenda est Bertha conjux cum qua dispensatur, uti observat tenor *Pagellæ*, « ipsam ad votum servandum teneri, tam extra licitum matrimonii usum, quam si marito supervixerit », quatenus, « si, extra licitum matrimonii usum, contra VI Decalogi præceptum delinquat, aut, mortuo conjuge, alteri absque nova dispensatione matrimonio jungatur, sciat se contra votum hujusmodi facere, et debitum conjugale (licite) exigere non posse absque nova commutatione » seu dispensatione (3).

b/ Quod spectat *modum* dispensationem elargiendi, quando a confessario contingit dispensari : excepta confessione et absolutione sacramentali concessa, hanc *formulam* adhibeat confessarius : « Insuper auctoritate

---

(1) Ex eadem potestate ordinaria potest Episcopus dispensare super voto non certo vel non perfecto. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 328 ss.

(2) *Stat. diœc. Brug.*, P. I, T. II, art. 6.

(3) Cf. tenorem rescripti Romani, apud *Collat. Brug*, t. III, p. 585.

Apostolica mihi specialiter subdelegata, super voto castitatis, quod emisisti, ad hoc ut debitum conjugale licite exigere possis, tecum dispenso. In nomine P. et F. et Sp. S. — Passio Domini etc. ».

Quod spectat *pœnitentiam* imponendam : cum in casu dispensetur simpliciter et non tantum dispensando commutetur, potest confessarius mitius procedere quam in executione rescripti Romani ; in hoc nempe committitur executor ad commutandum dispensando, idque sub iisdem severis clausulis ac in rescripto dispensationis in ordine ad matrimonium ineundum : quæ clausulæ describuntur apud *Collat. Brug.*, t. III, p. 587. Cf. PLANCHARD, *Dispenses matrimoniales*, nn. 589-600.

IV

Q. *An et quousque potest conjux validè et licitè vovere castitatem ; et quid operatur votum sic emissum respectu matrimonii ejusque usus?*

R. **Ad 1m.**

A. Quod spectat votum castitatis **perfectæ** :

1° Potest illud *validè* et *licitè* emittere conjux infra ambitum *privilegii primi bimestris*. In hoc consistit illud privilegium quod conjux possit, post matrimonium contractum sed non consummatum vel vi aut dolo consummatum, per duorum mensium spatium (1), deliberare de Religione (stricte dicta) amplectenda, eamque reipsa amplecti, in eaque castitatem solemniter vovere, invita licet comparte (2).

2° *Extra privilegium primi bimestris :*

a/ *Consentiente comparte*, potest conjux *valide* votum emittere, tam privatim quam in congregatione religiosa.

---

(1) Illud bimestre est computandum regulariter a die contracti matrimonii, in casu autem quo controversia oritur, a die per judicem statuenda.

(2) CC. 2 et 7, X, III, 32.

Ut autem simul *licitè* voveat, servandæ sunt cautelæ in jure statutæ: vult nempe juris dispositio ut, in hoc casu, vel ambo Religionem ingrediantur stricte dictam; vel unus eam amplectatur ac solemniter profiteatur, dum altera pars, de incontinentia non suspecta, Ordines suscipiat aut castitatem voveat, sive in congregatione religiosa, sive etiam in sæculo servandam, voto emisso coram Ordinario ejusve delegato et duobus testibus.

b/ *Invita comparte*, conjux nec validè nec licite vovere potest castitatem perfectam, quousque illa compars non fuerit in perpetuum a jure suo debitum exigendi decisa; hæc autem juris perpetua privatio incurritur ipso facto propter adulterii delictum, ac potest etiam a judice infligi propter apostasiam vel hæresim, concessa in gratiam partis innocentis separatione perpetua (1).

Præterquam in casibus enumeratis, non potest conjux validè, nec proinde licitè, votum nuncupare perfectæ castitatis, nequidem in Religione. Cf. VERMEERSCH, *De Religiosis Institutis et Personis*, 2ª ed., Brugis, 1907, I, n. 145.

B. Quod spectat votum castitatis **imperfectæ**, non obligans scil. ad castitatem servandam nisi in quantum ejus observatio non nocet juri a comparte adepto:

Nihil impedit quominus hujusmodi votum *validè* emittat conjux, cum, attenta restrictione facta, planè salva sint et illæsa jura compartis (2). De se etiam *licitum* esset dictum votum, sed vix unquam opportunum, uti facilè apparet.

Ad 2ᵐ.

1° Votum castitatis *imperfectæ*, intactum relinquit matrimonium, sed partem voventem privat licentia petendi debitum, ad normam dictorum in responso ad IIIᵐ Qu., sub 2°.

---

(1) Cf. c. 6, X, IV, 19 et c 21, X, III, 32.

(2) Contraria quidem videntur capita 11 et 16, Causa XXXIII, qu. 5; sed possunt intelligi de voto continentiæ *absolutè servando*. Cf. ESMEIN, *Le Mariage en droit canonique*, II, p. 4 s.

2° Votum castitatis *perfectæ:* a/ si fuit *solemne,* dissolvit matrimonium non consummatum; b/ si fuit votum *simplex*, vel si ratum matrimonium fuit consummatum, non dissolvit vinculum, sed aufert, si non semper jus (1), saltem *licentiam* quomodocumque utendi matrimonio: conjux nempe voto obnoxius non tantum non potest licitè *petere* debitum, sed nec illud licitè *reddere,* cum, in quacumque hypothesi voti perfectæ castitatis matrimonio succedentis, supponatur compars juri debitum exigendi renuntiasse aut ab eo decisa (2).

A. De Smet.

V

Q. Breviter expone quid sit tentatio et a quo proveniat.

R. I. **Quid sit tentatio.**

« Dicendum quod, inquit S. Thomas (1, q. 114, a. 2), *tentare* est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumitur de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum; et ideo proximus finis cujuslibet tentantis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus vel malus. Bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire qualis aliquis sit, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut eum promoveat; malus autem, quando hoc scire vult, ut eum decipiat vel subvertat ».

Est igitur tentatio, ut dicit Augustinus (3), vel *pro-*

---

(1) Sæpe etiam in casu uti ablatum haberi poterit ipsum *jus* matrimonio utendi, cum tale votum facilè censeatur involvere renuntiationem dicto juri.

(2) Supponitur, sub altera parte responsi, votum matrimonio succedens non fuisse irritatum nec super eo dispensatum.

(3) *De consensu Evangelistarum,* L. II, n. 71 (al. c. 30): « Sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est: *Deus neminem tentat* (Jac. I, 13); et sub alia de qua dictum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. XIII, 3): illa seductionis est, hæc probationis ».

bationis (beproeving) vel *seductionis* (bekoring). Hic tentare significat *allicere ad peccatum* (1).

II. **A quo proveniat tentatio.**

Deus interdum dicitur tentare, hoc est probare; numquam autem vult tentationem seductionis: *Ipse autem neminem tentat* (Jac. I, 13), sed eam *permittit:* non vult tentationes et peccata fieri, sed ea non semper impedit et vult ea ordinare ad bonum (2).

Proprie tentatio provenit a diabolo, mundo et carne.

1. **Diabolus.**

« Diabolus semper tentat ut noceat, in peccatum præcipitando; et secundum hoc dicitur proprium ejus officium tentare. Nam etsi homo aliquando sic tentet, hoc agit in quantum est minister diaboli » (3). Ideo dicitur *tentator* (Mt IV, 3).

a/ *Quis* venit nomine diaboli? Dæmones sensu collectivo vel potius *diabolus et angeli ejus:* « Impugnatio quidem ipsa ex dæmonum malitia procedit, qui propter invidiam, profectum hominum impedire nituntur; et propter superbiam, divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem: sicut et angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem » (4).

b/ *Quomodo?* Non valet agere *directe* in intellectum aut voluntatem (5). « Tota *interior* operatio diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum; quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum » (6). Rarius proponit sensibus externis objectum

---

(1) Lege S. François de Sales, *Introd. à la vie dévote,* 4e p., ch. 3, ubi exponit processum tentationis ad peccatum, et notat insistendo discrimen inter sensum et consensum.

(2) Cf. S. Thom., I, q. 114, a. 1 et 2; H. Mahieu, *Probatio charitatis,* Brugis, Beyaert, 1910, p. 295 ss. et 366; *Collat. Brug.,* t. VII, p. 467.

(3) S. Th., I. q. 114. a. 2.

(4) S. Th., *l. cit.,* a. 1.

(5) *Ibid.,* a. 2, ad 3.

(6) *Ibid.,* a. 4, et 1-2, q. 80, a. 2.

aliquod ut delectabile : sic tamen videtur egisse erga Christum (Mt IV).

c/ *Utrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli* (1):

Indirecte: « quia instigavit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato consecuta est in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata ».

Non directe: « non enim omnia peccata committuntur diabolo instigante, sed quædam ex libertate arbitrii et carnis corruptione ». Unde dicit s. Jac. (I, 14): « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ». Præterea dicendum quod « nullum genus peccati sit, quod non interdum ex dæmonum suggestione proveniat » (2).

« *Caro* etiam et *mundus* dicuntur tentare, *instrumentaliter* seu *materialiter*, in quantum potest cognosci qualis sit homo, ex hoc quod sequitur vel repugnat concupiscentiis carnis, et ex hoc quod contemnit prospera mundi et adversa; quibus etiam diabolus utitur ad tentandum » (3).

2. **Mundus.**

Intelligitur mundus inimicus Deo et subjectus diabolo principi; et designat homines infectos principiis inimicis regno Dei, justitiæ np. et perfectioni christianæ : hæc principia scripto, verbo et exemplo nituntur spargere ut inducant bonos in tentationem, ac simul persecutione, contumelia et irrisione avertunt a bono et meliori. Inde intelligitur quid sint spiritus mundi et respectus humanus. Sub nomine mundi venire possunt quoque objecta sensibilia, quæ excitant concupiscentiam.

Bene David ab Augusta (4) : « Mundus etiam dupli-

(1) *Ibid.*, a. 3, et 1-2, q. 80, a. 4.

(2) *Ibid.*, ad 3.

(3) *Ibid.*, a. 2.

(4) Cit. apud Mutz, *Christliche Aszetik*, Paderborn, Schöning, 1907, p. 78, nota 2.

citer tentat nos: sive offerendo nobis ea, quibus ad se *alliciat*, sc. honores, divitias, voluptates, curiositates, adulationes et hujusmodi, sive quibus nos *terreat*, ut persecutiones, contumelias, rapinas et hujusmodi ». Adverte istas tentationes attingere appetitum sensitivum, in quo residet concupiscentia, priores appetitum concupiscibilem, posteriores irascibilem.

3. **Caro** est « *concupiscentia,* quæ est mater omnium malorum, et sine hac diabolus non generat in nobis aliquod peccatum » (1).

Ad rem S. Jacobus (I, 14-15) : « Unusquisque tentatur a *concupiscentia* sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem ».

Pro diverso objecto diversimode concupiscentia denominatur : desiderium inordinatum voluptatum sensibilium (gula et luxuria), cupiditas et superbia (1 Jo. II, 16). Alii magis inclinantur ad sensualitatem, alii ad divitias et bona terrena, alii ad honores et laudem hominum (2).

H. Mahieu.
Par ces motifs, le tribunal, oui les parties en leurs moyens et conclusions et les déclarant mal fondées dans leurs fins plus amples ou contraires, ouï l'avis conforme de Monsieur Vanderheyde, Substitut du Procureur du Roi, dit pour droit, que la demanderesse est propriétaire du terrain litigieux décrit aux motifs du présent Jugement; en conséquence, ordonne à la défenderesse d'en abandonner à la demanderesse la libre disposition et jouissance dans les huit jours de la signification du présent jugement; autorise la demanderesse à en prendre possession après ce délai et condamne la défenderesse aux dépens. (Du 4 mars 1910).

Observations.

En 1908, l'administration communale de la ville de Messines adressa à la Députation permanente de la Flandre occidentale une demande d'autorisation de bâtir sur l'ancien cimetière désaffecté depuis 1809. L'autorisation sollicitée lui fut refusée, attendu que le terrain en question appartenait à la fabrique d'église. La commune porta le différend devant le tribunal civil d'Ypres, qui statua comme il est transcrit plus haut.

Ce jugement est sujet à de graves critiques.

1° La question si vivement controversée de la propriété des cimetières, anciens biens des fabriques, méritait certes un examen moins sommaire. Décidant, comme l'avait fait, en 1903, le tribunal civil de Mons (1), que les anciens cimetières appartiennent à la commune, le tribunal d'Ypres se contente d'invoquer à l'appui de

(1) Jugement en date du 27 fév. 1903, v. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 128.

cette affirmation, l'argument de la jurisprudence actuellement en cours. C'est facile et peu compromettant.

2° Quant aux motifs énoncés par le tribunal pour mettre à néant le moyen principal invoqué par la fabrique défenderesse, nous les croyons dénués de fondements juridiques.

A l'appui de sa défense, la fabrique, subsidiairement, revendiquait la propriété de son ancien cimetière; principalement, elle invoquait, comme mode d'acquisition de la propriété du terrain litigieux, la prescription centenaire.

Le jugement déclare ce moyen non fondé (1). Voici comment il argumente.

La propriété d'un terrain ne peut être prescrite contre celui qui n'a pas la libre disposition de son bien, c'est-à-dire, la faculté de l'aliéner librement.

Or, aux termes des articles 8 et 9 du décret du 23 prairial an XII et de l'article 1 de l'arrêté royal du 30 juillet 1880, la commune propriétaire ne peut aliéner les terrains provenant d'un cimetière désaffecté depuis plus de cinq ans, qu'en vertu d'une disposition légale ou d'un arrêté royal.

Or, dans le cas, on ne peut citer aucune disposition de ce genre, autorisant la ville de Messines à aliéner son ancien cimetière.

Donc la prescription ne peut être invoquée contre elle.

A quoi, nous répondons :

a/ En principe, par le seul fait de la désaffectation du cimetière, celui-ci entre dans le domaine privé, aliénable et prescriptible de la commune.

b/ Toutefois, *par mesure de salubrité publique,* des

---

(1) Nous trouvons des considérants analogues dans un jugement de la Justice de paix de Thourout se prononçant contre la fabrique d'église de Handzaeme, en date du 10 mai 1907, dans le *Journal des juges de paix,* 1908, t. XVII, p. 63 ss.

restrictions importantes sont apposées aux droits du propriétaire, par les articles 8 et 9 du décret de prairial (1).

Mais, il importe de ne pas étendre ces restrictions au de là de la volonté clairement manifestée du législateur. Or, il est certain que, lorsqu'il s'est écoulé plus de cinq ans depuis la cessation des inhumations (2), le propriétaire peut affermer, échanger, aliéner ses terrains, c'est-à-dire, poser tout acte de propriétaire, à condition que le preneur ou l'acquéreur se conforme aux prescriptions de l'article 9 du décret de prairial, en d'autres mots, ne fasse aucune fouille ou fondation pour des constructions de bâtiment, jusqu'à ce que il en soit autrement ordonné.

S'il en est ainsi, pourquoi une fabrique ne pourrait-elle pas acquérir par prescription, la propriété d'un cimetière désaffecté, à condition qu'elle observe les obligations prescrites par le décret de prairial.

Cette assertion répond au texte du décret, à l'interprétation officielle qu'en a donné le ministre Chaptal dans la circulaire déjà citée, à l'avis du Conseil d'État des 13-15 nivôse an XIII, à l'opinion des auteurs (3).

c/ Il est vrai que l'arrêté royal du 30 juillet 1880 porte, à son article 1er, que les terrains provenant de cimetières supprimés depuis plus de cinq ans ne peuvent être *aliénés* ou affectés qu'en vertu d'un arrêté royale, à une destination autre que celle qui est autorisée par l'article 9 du décret de prairial.

---

(1) Circulaire du ministre Chaptal, du 8 messidor an XII, interprétative du décret de prairial, v. *les Pandectes*, vo cimetière, no 46 en note.

(2) Les *Pandectes, l. c.*, no 343 sont d'avis que ces actes peuvent être posés du moment que le cimetière ne sert plus aux inhumations. Nous croyons que c'est une erreur.

(3) V. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, édit. 7, t. II, no 806; les *Pandectes* no 46, note; no 343; de Brouckere et Tielemans, *Répertoire de l'administration*, vo cimetière, p. 53. La circulaire ministérielle du 16 sept. 1878 citée dans le jugement du tribunal d'Ypres ne renferme rien de contraire à cette interprétation.

E Sacra Congregatione Rituum

I

MANTUANA *(Mantova)* (1).

Prohibetur benedictio partis tantum sacrorum oleorum.

Postulato R^mae Curiæ Episcopalis Mantuanæ ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmissum sub die 24 Januarii 1910 circa consuetudinem antiquam etiam immemorialem benedicendi Feria V in Cœna Domini tantum partem Sacrorum Oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Servetur Decretum n° 2883 *Patavina,* 7 Decembris 1884, ad 3 (2), non obstante enunciata consuetudine.

Atque ita rescripsit, die 28 Januarii 1910.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

II

CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM CONGREGATIONIS AUSTRIACÆ (3).

De usu Kalendarii Regularium, quibusdam in casibus.

R^mus P. D. Joseph Sailer, Moderator Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, Congregationis Austriacæ, Præpositus et Abbas S. Floriani, Sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur pro opportuna declaratione humillime exposuit; nimirum:

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, p. 118.

(2) Hoc decreto prohibetur praxis de qua hic quæritur, et additur explicite: « in casu tantum necessitatis fieri potest additio, uti in Rituali [tit. V, c. I, n. 3] præscribitur ».

(3) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, p. 119.

I. Ab ultimo ante tres annos defuncto Parocho perinsignis Ecclesiæ Abbatialis S. Floriani, prædictæ Congregationis, extructum fuit in ipso oppido S. Floriani nosocomium, cujus administratio, juxta statuta suæ fundationis, penes Parochum pro tempore supradictæ Ecclesiæ residere debet. Jamvero in capella seu sacello dicti nosocomii, in quo quotidie Missa celebratur ab uno ex Canonicis supramemoratæ Abbatiæ, usu venit ad Divina peragenda Directorium seu Kalendarium Canonicorum Regularium.

II. Iisdem Canonicis Reg. S. Floriani, in parva Civitate *Wochlabruch,* est ecclesia Parochialis, cui jam tempore Imperatoris Josephi II adnexa fuit municipalis Ecclesia, in qua pariter usu venit Kalendarium Canonicorum Regularium.

III. In eadem Civitate *Wochlabruch* est domus Sororum scholis addictarum *(Schulschwestern)* apud quas multæ puellæ bonis litteris instituendæ degunt. In domo hac duo habentur sacella, in quibus Sacrum peragitur et quæ a duobus Canonicis Regularibus supradictæ Abbatiæ S. Floriani inserviuntur, cum ipsis demandata fuerit ab Episcopo Linciensi cura spiritualis tam sororum quam puellarum.

Hisce expositis, quæritur: An in primo, secundo et tertio casu adhiberi valeat Directorium seu Kalendarium proprium Canonicorum Regularium Lateranensium præfatæ Congregationis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita rescribere rata est:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative,* dummodo Ecclesia sit filialis Ecclesiæ Parochialis, vel præfatæ Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium concredita.

Ad III. In sacello principali publico vel semipublico *negative;* in altero sacello, utpote privato, *affirmative;* juxta decreta n° 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895, et n° 3910 *Ruthenen.* 22 Maii 1896.

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

E S. Congr. de Sacramentis

I

Decretum circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus concedendas regibus et regiæ stirpis principibus.

Inter causas majores Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas, dispensationes etiam illæ recenseri sunt solitæ, quæ ad principum regiæ stirpis matrimonia referuntur, exclusis ab ejusmodi utenda facultate aliis omnibus Ecclesiæ Præpositis.

Verum, quandoquidem quæ observantia et consuetudine nituntur, non omnia semper sic plane definita et perspicua esse soleant, ut nihil anceps relinquant; idcirco, ne in re tanti momenti ulla possit suboriri dubitatio, SS^{mus} D. N. huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum mandavit ut opportunum Decretum hac de re promulgaret.

Itaque Sacra hæc Congregatio SS^{mi} D. N. Pii Papæ X jussa faciens, de expresso Ipsius mandato atque Ejusdem auctoritate declarat, dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quæ regibus ac regiæ stirpis principibus erunt concedendæ, Sedi Apostolicæ speciali modo esse reservatas, ita ut ab hujus potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eamdemque potestatem in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus esse comprehensam.

Præsentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Hujus autem Decreti tenorem Sanctitas Sua in audientia habita ab infrascripto Cardinali Præfecto die VI Martii MCMX audivit et approbavit.

Datum Romæ, ex ædibus ejusdem S. Congregationis, die VII mensis Martii anno MCMX.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

Nota. Hucusque, uti monet ipsa S. Congregatio, non exstabat textus juris, quo inter causas majores S. Sedi reservatas referendas esse statuatur dispensationes regibus ac principibus elargiendas.

Porro præsens decretum formalem in hunc sensum emittit declarationem, qua S. Sedi ceu causæ majores reservantur *dispensationes matrimoniales* quælibet, super quibusvis impedimentis, etiam in remotiori gradu, in gratiam *regum et regiæ stirpis principum* concedendæ: ad hanc reservationem sufficit ut *una pars* ad regalem stirpem pertineat, illa nimirum quæ obnoxia est impedimento absoluto, puta voto, vel utralibet, ubi agitur de impedimento relativo.

Non possunt proinde Ordinarii, nec alii quilibet in quavis dignitate constituti, suis indultis et facultatibus quavis forma concessis uti cum dictis principibus, ad dispensandum super impedimentis in indultorum tenore comprehensis; non censetur tamen ipsis prohiberi usus potestatis *ordinariæ* (quam etiam quasi-ordinariam nuncupant) *in casu urgenti*, quo tempus deest Romam recurrendi.

Nihil expressè statuitur in Decreto circa ipsas *causas matrimoniales* vinculum spectantes: implicitè vero confirmatur jus consuetudinarium universim vigens, vi cujus illæ causæ S. Sedi reservantur et jam in prima instantia ad Romanum tribunal referuntur, quotiescumque actor vel reus inter principes adnumeratur (1). Et sanè hujusmodi causæ gravissimi sunt momenti, et gravioris quidem momenti præ dispensationis concessione; magis etiam timendum est ne inferiori judici in illis causis dirimendis plena deficiat libertas.

---

(1) Cf. GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, 1892, II, n. 1167; BASSIBEY, *Le Mariage devant les Tribunaux ecclésiastiques*, 1899, n. 52.

II

ROMANA ET ALIARUM.

Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 12 martii 1910, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia nimirum:

I. Quid intelligendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. « *Ne temere* ».

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures parœciæ ab uno tantum parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quædam amplæ parœciæ, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequent omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quæritur: *a*/ Possintne fideles parœciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, juxta art. VIII; *b*/ Quilibet vicus in secundo casu possintne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate præfati art. VIII uti valeant.

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat.

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas præscriptiones art. II, III, VII et VIII.

V. Quoad menstruam commorationem et vagos quæritur: *a*/ Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo,* i. e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto*, seu quoad illos qui nullibi prædictum domicilium aut quasi-domicilium habent; *b*/ Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis

menstruæ sensu absoluto acceptæ; *c*/ Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, præterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum.

VI. Accidit ut parochorum coadjutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex jure particulari facultate assistendi conjugiis non sit instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimonii adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo præsertim in majoribus parœciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quæritur in casu: *a*/ An matrimonia coram coadjutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida; *b*/ Quatenus affirmative, an licite coadjutores se gerant in assistentia connubiis præstanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione; *c*/ Utrum tolerari possit mos ut coadjutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in parœcia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadjutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur.

VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum jus speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cujus ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica *a notario* subscripta.

VIII. Utrum Ecclesiæ regulares exemptæ ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitæ, ad effectum adsistentiæ matrimonii.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum: 1° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2, adnotandi in libro baptizatorum conjuges tali die in sua parœcia matrimonium contraxisse; 2° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3° quo-

rundam Ordinariorum Sinensium qui quærunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Julii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quæsito proposito; et, *quatenus affirmative*, postulant ut responsum extendatur ad alios casus veræ necessitatis; 4° Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens.

Et Emi Patres ad hujusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

R. Ad 1um. Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine præsentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso jam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Ad 2um. Provisum in primo.

Ad 3um. Affirmative.

Ad 4um. Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

Quoad 5um. Ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad quintum datum a S. C. Concilii die 28 Martii 1908.

Ad *c:* Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel mensturæ commorationis.

Quoad 6um. Ad *a:* acquiescant, facto verbo cum SSmo; ad *b:* serventur de jure servanda; ad *c:* quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter præstandam, Archiepiscopus pro suo jure urgeat si quæ sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et præscriptum Ritualis Romani.

Ad 7um. Affirmative.

Ad 8um. Affirmative.

Quoad 9um. Ad 1um. Non expedire et ad mentem. Mens, est ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis prote-

gantur. Parochis vero aliisque animarum curæ præpositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re juvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen conjugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur.

Ad 2um. Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio præscribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3um. Quoad 1um. Negative; quoad 2um. Provisum in primo.

Ad 4um. Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiæ Episcopi.

Die autem 13 ejusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, supra relatas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

Adnotationes.

Soluta dubia potissimum spectant 1° interpretationem art. VIII Decreti *Ne Temere*, circa celebrationem matrimonii coram duobus dumtaxat testibus (dub. 1m, 2m et 3m); 2° competentiam parochi ejusve delegati ac testium ad assistendum nuptiis (dub. 4m, 5m, 6m et 8m); 3° inscriptionem in registro (dub. 6m, ad c, et 9m, ad 1m, 2m et 4m). Ulterius transeunter tangitur 4° quæstio de sponsalium celebratione (dub. 7m); et 5° elucidatur difficultas circa extensionem facultatis concessæ Ordinariis Sinensibus per decretum S. C. C. 27 Julii 1908 (dub. 9m, sub 3).

Ad 1m.

Postulatur quid, in tenore art. VIII, intelligendum sit nomine *regionis,* et in specie utrum tanquam regio

possit haberi parœcia, vel etiam vicus, quales interdum plures continentur in amplis parochiis.

Porro directe ad quæsitum non respondet S. Congregatio, sed normam proponit generalem, juxta quam laudatum Articulum VIII interpretandum velit et applicandum. Nimirum uti permittit privilegio concesso, matrimonium incundi coram duobus tantùm testibus, quotiescumque, inde a mensis spatio, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Nulla proinde privilegii usui apponitur restrictio, ac imo ipsa terminorum generalitate excluditur: sufficit quodcumque incommodum grave, a mense perdurans, quominus sponsi contrahant coram parocho ejusve delegato; nec refert undenam oriatur incommodum, sive ex parte sponsorum, sive ex parte sacerdotis; nec etiam refert, quod probè nota, utrum commune sit aut particulare, ad totam aliquam regionem extendatur necne.

Hucusque, attento tenore Art. VIII: « si in aliqua *regione*... », plures interpretes exigebant ad privilegii applicationem impossibilitatem communem, afficientem scil. majorem partem incolarum cujusdam loci (1); saltem requiri videbatur impossibilitas quædam sic dicta regionalis, talis nempe quæ ad totam quamdam regionem extendatur, licet non attingat nisi restrictam partem incolarum (2).

Contrà, præsentis responsi textum ac contextum attendenti vix dubium remanebit circa hoc: quodcumque scil. incommodum grave, etiam merè particulare

---

(1) Cf. inter alios, De Becker, *Legislatio Nova*, 1908, p. 36; Standaert, apud *Collat. Gandav.*, I, p. 151 ss.; Wouters, *Commentarius in Decretum Ne Temere*, 3ia ed., p. 75 ss.

(2) Hanc interpretationem uti probabilem sustinuimus apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 647 s. et præsertim t. XV, p. 107 ss., ubi adduximus auctores eidem interpretationi faventes; ibidem etiam notavimus duos insignes interpretes, Card. Gennari et Heiner, art. VIII jam intellexisse de impossibilitate particulari.

ac individuum esse attendendum, illudque legitimare matrimonium coram solis testibus. Et quidem non modò amplissimi ac generalissimi sunt termini usurpati, sed sola vox (regio), qua videbatur induci necessitas impossibilitatis communis vel saltem regionalis, atque excludi impossibilitatis mere particularis sufficientia, vox, inquam, illa in proposita regula prorsus omittitur, idque eo ipso momento quo expresse interrogatur S. Congregatio circa dicti termini interpretationem.

Quibus attentis confirmatur, ni fallor, et ultra, doctrina quam iterata vice vindicavimus (1), et nihil jam nos impedit ab illa urgenda et applicanda : posse nempe matrimonium validè et licitè iniri coram duobus testibus, absque sacerdotis præsentia, ab illis sponsis qui civiliter nubere non valeant et quorum nuptiis assistere, ob severas pœnalitates in Codice nostro Pœnali comminatas, inde a mense detrectaverit sacerdos competens.

Et sanè nemo neget sacerdotem gravi detineri incommodo quominus assistentiam suam in dictis adjunctis præbeat (2) ; adeoque, quando ex hac causa præsentiam suam detrectat, illicò obtinet unica conditio in norma præsentis decreti requisita : frustrà jam opponitur, quod hucusque non sine specie veritatis opponebatur, impossibilitatem illam non esse generalem nec plerosque nupturientes afficere.

Profectò sola incapacitas pro sponsis cæremonias civiles adimplendi ante matrimonium religiosum, non sufficit ut sponte sua et proprio marte ad matrimonii celebrationem procedant coram duobus testibus : posset namque parochus consentire ut, non obstante violatione legis anterioritatis et pœnæ comminatione, per se vel per alium, nuptiis assistat; quo casu nihil retineret nupturientes a celebratione matrimonii coram sacerdote, cum ipsi sponsi ab omni pœnalitate sint immunes.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 646 ss., et t. XV, p. 106 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 514 et 648.

Requiritur proinde ut dictis sponsis prævià constiterit de voluntate sacerdotis competentis, formiter ad hoc requisiti, suam assistentiam detrectandi, atque exinde mensis spatium effluxerit. In hoc cæteroquin non spernenda præsto est cautela contra abusus qui nati essent sequi ex nuptiarum celebratione extra sacerdotis præsentiam, si ad illam posset procedi inconsulto parocho vel Ordinario.

Solus autem interpellandus esset parochus proprius ut, in suo territorio, per se vel per delegatum, matrimonii celebrationi assistat: si nempe reliqui parochi non proprii, respectu validæ nuptiarum celebrationis, competentes sunt intra limites territorii sui respectivi, non posset absque gravamine eorum mens explorari, et commune est ipsis cum parocho proprio grave incommodum ab assistendo impediens.

Observa quod, juxta solutionem dubii tertii, privilegio art. VIII uti queunt nupturientes qui, in loco in quo degunt, habere possunt vel adire sacerdotem competentem, sed, in fraudem legis, in locum veniunt in quo constituuntur in impossibilitate eum habendi vel adeundi.

*
* *

Ad 2m.

1° Declarat S. Congregatio, ad dubium 4m, sub disciplina Piana nihil esse immutatum circa qualitatem *testium* pro matrimonii celebratione. Sub regimine scil. novi juris, non secus ac sub jure Tridentino, *validè* assistunt quævis personæ ad testandum idoneæ, ratione nempe utentes et sui compotes; illicitè vero assisterent acatholici in matrimoniis catholicorum, nisi gravi de causa et remoto scandalo (1).

2° Quod spectat competentiam *parochi* aut *delegati:*

a/ Urgetur solutio data a S. C. C., die 28 Martii 1908,

(1) Cf. Instr. S. C. de P. F., 9 Dec 1822, apud *Collectanea*[2], II, n. 779; decr. C. S. O., 19 Aug. 1891, apud *Collectanea*[1], n. 1855.

sub V, quatenus, ad licitam matrimonii celebrationem, non sit habenda ratio quasi-domicilii, sed solius *commorationis menstruæ*: unde pro parocho proprio, ad licitam assistentiam competens habendus est parochus menstruæ commorationis, seu parochus in cujus parochia alteruter nupturientium, signanter sponsa, a mense commoratur, sive alibi habeant domicilium vel quasi-domicilium, sive non; pariter non reputantur vagi, seu parocho proprio carentes, nisi soli illi qui nullibi domicilium habent nec mensilem commorationem.

b/ Possunt parochi et Ordinarii validè assistere matrimonio in ecclesiis regularibus *exemptis*, quæ in ipsorum territoriali districtu, in parœcia scil. vel respective diœcesi, situm habent.

c/ Ad quæsitum utrum valeant matrimonia quibus sacerdotes debita facultate destituti, nec ulla delegatione expressa instructi, adstiterint, sciente et non contradicente parocho loci: respondetur esse acquiescendum, facto verbo cum SS^mo^. Quod responsum innuit dubitationem persistere circa valorem hujusmodi assistentiæ, quamvis matrimonia de quibus petitur haberi possint qua valida, supplente scil., in quantum opus, S. Pontifice et sanante connubia fortè nulliter contracta.

Equidem valet delegatio *tacita,* quæ scil. ex factis præcedentibus et verè concludentibus colligatur (1); utrum autem tale factum constituat silentium parochi scientis et non contradicentis, id pendet ex adjunctis in singulo casu examinandis, hoc attento quod non sufficiat hujusmodi silentium, in casu quo parochus erroneè arbitratur sacerdotem assistentem jure assistere nec delegatione indigere (2). Quidquid sit, pro norma habeatur, ante factum, ut non præbeatur as-

---

(1) Cf. Causam *Mediolanen.*, 15 Febr. 1910, apud *Acta Ap. Sedis,* II, p. 206 ss.

(2) Cf duplicem Causam, *Annecien.* et *Parisien.*, relatam apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 608 ss.

sistentia, nisi prævie obtenta delegatione expressa, qua omni perplexitati occludatur aditus: et hoc intendere videtur S. Congr., monendo ut serventur de jure servanda.

Tandem circa morem hinc inde vigentem, ut parochi munus suum matrimonio assistendi *habitualiter* deferant in alium rite delegatum, quem ad hoc officium sibi substituant, tacitè concedit S. Congr. hunc morem juri communi non esse contrarium, nec illum improbandum dicit et deserendum, nisi in quantum jus particulare offendat.

*
* *

Ad 3m.

Urget S. Congregatio præscripta Decreti *Ne Temere* circa *inscriptionem matrimonii* in registro conjugatorum et baptizatorum; nec annuendum censuit precibus Epicopi Rosensis et Vicarii Apostolici Kiam-Si orientalis, postulantium dispensationem ab illa obligatione injuncta: horum scil. postulatum nititur in difficultate mandatum exequendi, ex eo proveniente quod verum conjugatorum nomen plerumque sciri nequit, ob perniciosam superstitionem, qua incolæ illarum regionum ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Vult nempe S. Sedes ut, in quantum fieri potest, variis adhibitis industriis, lex impleri curetur, adeo ut non cedat nisi coram morali impossibilitate eam observandi: quo casu cessat obligare.

Etiam in memoriam revocatur clausula, vi cujus ipsi parocho loci incumbit onus matrimonia contracta inscribendi, etiam tunc ubi coram delegato celebratæ fuerint nuptiæ; non videtur tamen prohibitum quominus parochus pro hoc inscriptionis munere aliquem sibi substituat specialiter ad hoc commissum, sed non potest illud officium, absque speciali indulto, relinquere indiscriminatim cuicumque sacerdoti matrimonium ex delegatione celebranti.

Ad 4m.

Declarat S. Congr. formam substantialem, in Decreto *Ne Temere* constitutam pro sponsalium celebratione, universim valere, eamque esse observandam ad valorem etiam in Hispania et America Latina: abrogato pro hisce locis jure speciali antea vigente. Unde ibidem, non secus ac in aliis regionibus, requiritur et sufficit ut scriptum documentum subsignetur, præterquam a partibus, ab Ordinario seu parocho loci, vel a duobus testibus, absque interventu notarii.

Ad 5m.

Ad tramites decreti S. C. C., 27 Julii 1908, ad VIIm, concessa fuit Ordinariis Sinensibus facultas, habitualiter etiam subdeleganda, ad dispensandum, supposita vera necessitate, a forma substantiali matrimonii, tum quoad matrimonia ex dispensatione contracta a baptizatis cum non baptizatis, tum quoad connubia contracta inter catholicos qui sub paganorum potestate sunt constituti.

Hanc autem facultatem pro gratia extendit S. Congregatio ad alios etiam casus veræ necessitatis, extra duplicem scil. hypothesim descriptam forsitan occursuros.

A. De Smet.

Notæ Bibliographicæ

Misboekje door eenen priester uit het bisdom van Brugge. Brugge, L. De Plancke, 1910; in-12, 64 bl. Prijs, ingenaaid: 0,40 fr.; gebonden: 0,60 fr. Merkelijke vermindering bij groot getal.

Veel wordt er, God dank, gedaan om de geloovigen en wel bijzonder de leerende jeugd de Heilige Mis beter te laten kennen en met grondiger godvruchtigheid te leeren bijwonen en medebidden. En niet zonder goede reden. De H. Mis immers moet niet enkel aanzien worden als het middenpunt van heel den openbaren eeredienst; zij moet ook wezenlijk worden het middenpunt en de bronader van het geestelijk leven van priesters en geloovigen. Bidden en strijden, de tweevoudige werking van den christen op geestelijk gebied, moeten in de H. Mis degelijke bereiding, ondersteunende kracht en versterkende eenheid zoeken en vinden.

Deze hoofdgedachte wordt, gansch het boekje door vooruitgesteld, niet in dorre beredeneeringen, maar in godvruchtige gevoelens en gebeden, in praktische wenken en voornemens die best passen op de verschillende ceremoniën en gebeden der Mis.

Daarin is grootendeels het kenschetsende en de weerde van het Misboekje gelegen. « De Mis der katechumenen bestaat uit voorbereidende onderwijzingen en gebeden: 't is dus de uitverkorene plaats om den dagelijkschen strijd te bereiden. — De Konsekratie is het middenpunt. Zij is de boom des levens, de bron aller genaden. — De H. Kommunie is de voltrekking van het H. Misoffer. Daarom... Kommuniceer... en zoek geen betere voorbereiding tot de H. Kommunie dan aandachtig Mis te hooren ».

Het boekje behelst, als inleiding, korte maar veelbevattende onderwijzingen over het H. Sakrificie en de ceremoniën. Het eigenlijke Misboekje, bestemd om gedurende de H. Mis gebruikt te worden, geeft een welgepasten uitleg der voornaamste ceremoniën, met daarbij passende gedachten, gevoelens en gebeden, deels aan het gewone der Mis ontleend, deels van elders uitgelezen om de Misceremonien en gebeden godvruchtiger te volgen. Als aanhangsel, geeft Eerw. schrijver een zeer nuttigen uitleg der ceremoniën onder het uitdeelen der H. Kommunie.

Aldus kan het werkje opperbest dienen als handboekje voor priesters die begeeren uitleg te geven over de Mis, als meditatieboekje, en als eigenlijk Misboekje in 't bijzonder voor dezen die min nuttig het Missaal kunnen gebruiken, tot hetwelk het eene practischen en beredeneerde handleiding biedt.

C. Callewaert.

A. Vermeersch, S. J. *Le Problème de la Natalité en Belgique.* Bruxelles, Maison de l'Action catholique, 1910. In-12, 70 p.

Le Père Vermeersch se fait vraiment l'apôtre de la campagne anti-malthusienne. A tous ceux qui veulent lutter à ses côtés contre l'onanisme, et le seconder par la plume et par la parole, la nouvelle brochure qu'il vient de publier, fournira des armes puissantes, capables d'atteindre l'ennemi au cœur.

En recherchant l'origine du mal qui menace de miner les bases de notre société actuelle, l'Auteur s'attache tout particulièrement à prouver que la cause principale se trouve dans l'oubli de Dieu et du devoir, dans le manque de virilité chrétienne à résister à l'entrainement des passions; sans nier l'influence des facteurs économiques, il montre qu'ils ne jouent, dans le problème de la natalité, qu'un rôle secondaire.

Pour rémédier au mal, l'on peut, et l'on doit avoir recours à l'intervention des lois, et avant tout à l'initiative privée, sur le terrain économique; mais le véritable remède doit s'attaquer au mal dans ses attaches les plus profondes: il faut rappeler le peuple au sentiment du devoir, à la foi en Dieu, qui en est la sanction et le fondement. Le Père Vermeersch trouve des accents énergiques à battre ce rappel au devoir, affrontant et réfutant magistralement les objections les plus spécieuses que l'on se plait à opposer à la conception chrétienne du devoir, notamment celle qui se déduit de la finalité des rapports conjugaux.

A. De Smet.

Registrum status animarum. Bruges, Beyaert, 1910.

Ce registre comprend des pages en tableaux pour y inscrire les malades à visiter, les pauvres à secourir; une feuille pour chaque famille, pour y inscrire toutes les indications dont un Curé ou Vicaire a besoin. Pour 200 familles le prix est fr. 4,25; pour 300 familles: 5 fr.; pour 400 familles: fr. 5,75, le tout solidement relié avec deux sachets et portecrayon.

Le registre a été composé par un Curé, qui a pratiqué le système pendant plusieurs années. Nous croyons inutile d'insister sur les avantages de cette pratique et partant sur l'utilité de cette publication. Elle se recommande d'elle-même.

George Ott. *Mariabloemen of de Litanie van Lorette.* Beschouwingen voor de Meimaand, naar het Duitsch door Chr. Schets, pr. Brugge, K. Beyaert, 1910. In-12, bl. 328. Fr. 1,50.

Dit boekje bevat eene reeks beschouwingen en vertellingen voor elken dag van de Meimaand. Het zal goeden dienst bewijzen voor onderrichtingen of eigen overweging; het zou ook voordeelig gebruikt worden in de kerken waar men, volgens aloude gewoonte, tijdens de Mariamaand een geestelijke lezing houdt voor het christenvolk.

H. Mahieu.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Explica Eph. 2, 17-22.

II

Expone in quo consistat dogma de resurrectione carnis.

III

Compara *notionem* prolis legitimæ et illegitimæ coram jure canonico cum ejusdem notione coram jure nostro civili.

IV

Institue comparationem inter dispositiones juris canonici et dispositiones juris nostri civilis circa *modum legitimandi* prolem illegitimam.

V

Faites connaître, surtout au point de vue doctrinal, l'histoire du parti antinicéen sous le pontificat du pape Libère (352-366).

VI

Quid statuendum est de ornatu casulæ?

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

A. De Meester. *La guérison miraculeuse de Pierre De Rudder. Relation des deux premières enquêtes faites en 1875.* Roulers, J. De Meester, 1910, in-8, 61 p. Fr. 1.

H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum Cleri. Brugis, Beyaert, 1910. xx-539 pp. Fr. 2,25 (linteo religatum: 2,85).

H. Mahieu. *Het Brood des Levens.* Derde uitgave. Brugge, Beyaert, 1910. Fr. 1,25.

***

Is verschenen bij K. van de Vyvere-Petyt, te Brugge.

Kerkelijke Kalender van het Bisdom Brugge voor 't jaar 1910.

Dit aanbevelensweerdig werkje wijst al de Oratiën en bijzonderheden aan der H. Mis van *iederen dag* en der Vespers van alle *Zon-* en *Feestdagen.* Het bevat daarenboven een aantal liturgische aanteekeningen over kerkplechtigheden, feestdagen, Requiemmissen, commemoratiën, enz. In-32, 64 bl. Prijs: 0,15 fr. het stuk; 1,20 fr. voor 12.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 10 Maii 1910, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator*, Ill^{mus} ac Rev^{mus} Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Plurima eaque haud parvi momenti negotia in hoc nostro conventu tractanda erunt, quæ attente considerandi cum vix tempus nobis futurum prævideamus, brevitatis causa, de uno, sane gravissimo, pauca proloqui statuimus.

Populi nostri salutem, quam simul omnes utpote animarum pastores unice cordi habemus, in hoc tandem sitam esse luce clarius patet, ut totis visceribus Sanctæ Matri Ecclesiæ populus adhæreat, fidem catholicam integram et cum ea christianos mores integros servet. Atqui hæc hujusmodi sunt naturæ ut ipsam vitam quotidianam plebis christianæ afficiant, ut non theoretice et speculando obtineant sed in ipso exercitio et cultu privato ac publico sanctæ religionis consistant. Etenim fides servatur maxime et promovetur vivendo secundum fidei præcepta, moresque christiani aliud non important quam ipsam praxim christianarum virtutum. Quæ quum ita sint, nemo non videt quanti momenti sit ut, quam vocare solemus praxis religiosa, non modo individua et quasi solitaria, sed et publica ac communis servetur, foveatur, roboretur in dies magis, tantoque validius quo majora in dies impedimenta ac pericula fidei morumque exurgere videntur.

Ad hunc finem obtinendum sunt quidem adminicula majora interdum adhibenda, inter quæ eminent sacræ missiones in parochiis hinc inde, quam frequentius fieri potest, haberi solitæ. Quarum cum obvia mentio fit, non possumus quin dilecto nostro clero gratulemur ex corde, qui hisce ultimis temporibus in plurimis parochiis præclaros salutis fructus per sacra ista exercitia suo flagranti zelo excitavit.

Àt vero nunc solemnia atque ordinaria exercitia ac præsidia vitæ christianæ in parochiis seu praxis religiosæ paucis verbis delibare nostrum propositum est.

Quæ quidem cum ad tria fere revocari posse videantur, scilicet ad quotidianum religionis, præcipue orationis, exercitium, ad hebdomadariam sanctificationem diei dominicæ, et ad frequentem sacramentorum perceptionem, horum trium quasi centrum et cardinem haud immerito dixeris cultum diei dominicæ.

Re quidem vera, eadem ista tria reduci tandem possint ad frequentiam parochianorum in ecclesiis, quæ quidem præprimis diebus dominicis obtineat necesse est. Etenim a contrario argumentum sumendo: undenam praxis religiosa minuitur, quodve signum est hujus imminuti religionis exercitii nisi quod ecclesiæ minus frequententur aut deserantur, etiam diebus dominicis cæterisque de præcepto festivis? Profecto, quomodo Deum adorabunt ac deprecabuntur, quin imo de Deo vel cogitabunt per hebdomadam homines qui ne die quidem dominico ecclesiam adibunt?

Quando aut ubinam verbum Dei audient, fidem docebuntur ac christianæ vitæ præcepta, quandonam denique et ubi sacramenta suscipient? Nonne qui ecclesias deserunt brevi fiunt ut ethnici et publicani?

Sed et positive demonstratur esse veluti centrum et cardinem praxeos religiosæ diligentem impletionem præcepti divini ac ecclesiastici de observando die dominico.

Nam præterquam quod diem Domini sanctificando simul satisfieri potest præcepto orandi, quod et de necessitate medii est ad gratiam divinam consequendam, sine cujus auxilio nihil ad salutem utile perfici potest; præterquam quod illa ipsa dies dominica opportunitatem, et sæpe unicam, præbet populo christiano cœlestem doctrinam percipiendi, suscipiendique sacramenta, nonne præceptum est divinum idque omnium primum, antiquissimum ac sanctissimum quod Deus ipse per se ab initio mundi, postquam hominem creaverat, promulgavit cum *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat et benedixit diei septimo et sanctificavit illum* (1)?

---

(1) *Gen.*, II, 2-3.

Si igitur homo Deo cultum debet, nonne præprimis qualem ipse Deus præscripsit et sancivit, ut nempe sanctificemus diem septimum, Deo Optimo Maximo sacrum. Præterea cultum non modo privatum et domesticum sed et publicum Deo exhibeamus oportet. Quomodo vero id aptius et perfectius fieri potest quam si tota christiana communitas in unum congregetur et per legitimos sacerdotes supremum divini cultus actum, nempe sacrificium Deo offerat? Unde, præcepto Ecclesiæ divinum præceptum sapientissime determinante factum est ut sanctificatio diei dominicæ præcipue in hoc consistat quod, cum totus christianorum cœtus sanctissimo et augustissimo Novæ Legis sacrificio devote interest, renovetur ante omnium oculos Redemptionis humanæ mysterium, summum divinæ misericordiæ sacramentum, atque fons pateat inexhaustus divinarum gratiarum, necnon invitentur quam efficacissime homines ad participandum verius et intimius sacris mysteriis Corporis et Sanguinis Domini per Communionem cum sacerdote vel post sacerdotem.

Quæ quidem communis præsentia in cœtu ecclesiæ atque præprimis Communio ad eamdem sacram mensam commune charitatis vinculum arctius constringit, vitam alit quæ Christi discipulos decet, mutuum exemplum provocat et hisce omnibus, nempe hoc contactu mutuo, omnes et singulos in fide roborat, humanum respectum ex animis expellit, scandala et abusus facilius removet, pacem et concordiam mutuamque charitatem inter diversas hominum classes firmat, verbo, vitam parochialem vere christianam tanquam unius familiæ et gregis Christi nutrit et fovet.

Reverendi ac dilectissimi Domini, neminem vestrum fugit nec ampliori demonstratione indiget quanti intersit ut plebs nostra christiana, sicuti olim solebat, continuo frequens sit in ecclesiis et præprimis assidua ac constans in sanctificando, sicut oportet, die dominico. Quod quidem, Deo sint laudes, in plerisque parœciis nostris adhuc obtinet. Neque tamen diffitendum est majora in dies obstacula et impedimenta vel ex ipsis temporum adjunctis suscitari impletioni hujus magni præcepti Dei et Ecclesiæ, et majus quam olim periculum esse ne tam grave tantique momenti præceptum infringatur, quod — lugendum nimis — aliquibus in locis, præprimis in civitatibus hinc inde et a junioribus jam negligi constat.

Impedimenta et obstacula vanosque prætextus olim attigimus, nec ulterius evolvere hic necesse est, cum potius in deliberando hæc omnia ante oculos habebimus. Unum impedimentum sufficiat adducere magis universale et nostræ tempestati proprium, quodque consilio et opera sectarum secretarum promovetur, cui remedium invenire communi consilio satagamus, videlicet frequentiam profanarum festivitatum simul cum commoditate hodierna itinerandi quaquaversus etiam ad locos distantes, quo fit ut facillime a summo mane parochiam deserant præsertim juvenes, vix memores obligationis suæ diem dominicam sanctificandi, quin imo obviam currentes plurimis urgentibusque animæ periculis; quo etiam fit ut et parentum auctoritas et filiale obsequium ipsaque familiæ ejusdem membrorum necessitudo nexusque, aliunde jam tot modis laxatus, omnino pessumdentur.

His omnibus commoti, Rev. adm. ac dilecti Domini, cogitavimus de remedio communi consilio nostro instituendo atque opera et zelo indefesso totius cleri, adjunctis sibi in singulis parochiis quibusdam zelantibus laicis tum viris tum mulieribus piis, promovendo, quod in hoc forte consistat ut erigatur *Sodalitas ad procurandam sanctificationem diei Dominicæ,* cujus sodales, inscripto nomine in piæ sodalitatis regesto, sese speciali titulo adstringant ad pauca quædam servanda statuta, de quibus mox inter nos inquirendum erit.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Quum tanti momenti sit munus docendi doctrinam christianam, hujusque necessitas docendæ in dies magis urgere videatur, R. adm. Domini Decani deinceps, omni opportunitate data et præprimis in visitatione parochiarum, singulos sacerdotes hac de re interrogabunt, et ad Nos referent: quoties nimirum in hebdomada scholæ docendi gratia visitentur, item in ecclesiis aliisque sacris conventibus fidelium, juvenum et puellarum sacra doctrina rite proponatur. Nos ipsi in visitatione idem examen instituemus.

II.

Rev. adm. Domini Decani deinceps relationem visitationis parochiarum conficient juxta novas normas ipsis traditas, quarum exemplar *Collat. Brugen.* inseretur.

III.

Consentientibus inter se Rev^mis Episcopis Belgii, statuimus ut diligenter operam conferant R. D. Parochi erigendis *Comitatibus scholarum parochialibus,* statim ac *Comitatus regionales* a R. adm. Dominis Decanis constituti in quatuor regionibus inspectionis scholarum, nempe Brugis, Cortraci, Furnis et Ypris, hanc erectionem in parochiis expostulaverint.

IV.

Quod sanctificationem dici dominicæ attinet, statutum generale ferre minus opportunum ducimus, cum adeo diversa sint in locis diversis adjuncta. Obsecramus vero dilectum Clerum ut in singulis parochiis aliquid instituant vel operi existenti annectant et nihil intentatum relinquant ad dictum finem obtinendum.

Præcipimus autem ut mense Decembri proximo ad Nos Parochi omnes referant quid perfecerint quoque successu.

V.

Ad eumdem finem, ut nimirum servetur frequentia populi in ecclesiis, haud parum conducet si pueri scholarum assuescant quotidianæ assistentiæ SS. Sacrificio, si exerceantur ad cantum sacrum, si multiplicentur Scholæ cantorum, si juvenes et puellæ congregationum, et ita sensim sine sensu totus populus fidelis cantui et sacræ Liturgiæ magis participet. Qua opportunitate in memoriam revocamus et urgemus decretum sub num. XI latum in Epistola latina adjuncta Mandato quadragesimali hujus anni, et in specie ut libri cantus sacri a Summo Pontifice præscripti sine mora emantur et cantoribus usui sint.

VI.

Sedulo invigilent Sacerdotes ut opera socialia, ut ajunt,

ad sortem operariorum leniendam et meliorandam instituta, usque nitantur solido fundamento religionis, ne parcimonia, providentia in futurum, aliaque hujusmodi potius in vitium vertantur, neve oblivioni detur verbum Domini: *Quærite primum regnum Dei.*

VII.

Sodalitia mutui succursus in casu morbi necnon providentiæ pro senectute inter sacerdotes hujus diœcesis instituta probamus; illosque sacerdotes qui hisce operibus nomen dederint et suis steterint hac in re obligationibus dispensamus a solvenda taxa pro ærario cleri, quod confidimus fore ut aliis suis finibus attingendis haud impar maneat.

VIII.

Unusquisque parochus conficiat seu Libro memoriali annectat registrum in quo sedulo notentur quæcumque pertinentia ad varia *opera parochialia*, putà confraternitates, opus scholarum catholicarum etc. Illud registrum cum aliis, occasione visitationis ecclesiæ, tum Nobis tum Rev. adm. Dno Decano exhibendum erit. Idemque statuimus quoad registrum *fundationum* in quo scilicet, juxtà decretum Congreg. Prosyn. 27 Maii 1873 (Coll. Epist. Past. T. XII, p. 153) tituli originales fundationum quarumlibet fideliter describi, et reductiones, si quæ factæ sint, in extenso adnotari debent.

IX.

Binis Rescriptis S. Congregationis Concilii, de die 13 Aprilis 1910, ad triennium, Episcopo Brugensi prorogata est facultas missarum perpetuarum onera suæ Diœcesis reducendi, justis scilicet de causis, « ac signanter propter diminutionem legatorum redituum, aut inopiam eorum qui ad onera implenda tenentur,... quoties nemo sit qui ad eleemosynæ supplementum de jure et utiliter cogi queat,... sub lege ut de missarum sic reductarum adimplemento coram Ordinario quotannis docere singuli indultarii teneantur. »

Auctoritate igitur apostolica et dummodo *exposita rationum momenta adhuc perdurent,* ad 13 Aprilis 1913 prorogamus reductiones, a Nobis aut Decessoribus nostris concessas,

quin opus sit, dum ad finem vergit concessionis tempus, ad Nos dirigere actum authenticum reductionis, ut huic prorogatio inscribatur. Sufficiet, ad tramites concessionis pontificiæ, quotannis, exoneratis missis reductis, de earum adimplemento Nos doceant Parochi.

X.

Proclamationes antenuptiales fiant in omnibus *locis* de jure designatis (cfr. Collat. Brug., T. II, p. 595 s.) et generatim *ter*, prout concilium Tridentinum requirit. Quare tollatur abusus in nonnullis locis existens, generaliter non proclamandi nupturientes conditionis plus minusve spectabilis nisi semel et cum dispensatione in duobus bannis: opportune inducet pastor, occasione data, ditiores parochiæ familias ut exemplo præeant.

XI.

In expositione et repositione SS. Sacramenti extra Laudes vespertinas servetur ritus uniformis qui describitur apud *Collat. Brugen.*, in fasc. mensis Junii hujus anni.

XII.

Stadia Excercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt tria:

1m Brugis, Dominica, 21 Augusti, hora VII vespertina.

2m Poperingis, Dominica, 28 Augusti, hora VII vespertina.

3m Rollarii, Dominica, 18 Septembris, hora VIII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Excercitia obire cupiunt, locum postulare (addendo utrum in eadem domo desiderent pernoctare) quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant. Mens autem Nostra est ut nullus exercitantium, absque causa a Præside probata ejusque licentia, discedat ante completum ultimum sacri secessus exercitium.

Brugis, 24 Maii 1910.

† G.-J., Episc. Brugen.

ORDO SERVANDUS
IN RELATIONE DE STATU ECCLESIARUM.

NORMÆ COMMUNES.

Proœmium Relationis.

DECANATUS.....

1 (2). Judicium aliquod generale præbeatur de conditione religiosa et morali parochiarum, et utrum aliquis ab ultima visitatione religionis progressus vel regressus habitus sit.

CAP. I.

Generalia de statu materiali.

2 (3, *d*). Si adsint acatholici, in quot et quales sectas dividantur.

CAP. II.

De fide et de cultu divino.

3 (5). Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis seu paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

4 (6). Utrum generatim ecclesiæ et sacella publica satis instructa sint iis quæ ad fabricam ac supellectilem pertinent; et quænam generatim cura habeatur ut eadem munda sint et decenter ornata.

5 (7). Utrum in singulis ecclesiis inventarium omnium bonorum et supellectilium habeatur, et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

6 (8). Utrum sint ecclesiæ in quibus res vel supellectiles habeantur materia, arte, antiquitate pretiosæ, præsertim codices vel libri, picturæ, sculpturæ, opera musiva arte vel antiquitate insignia; quomodo custodiantur; sintne hæc

recensita in inventariis, et an de iis speciale inventarium penes Curiam servandum sit confectum.

Cautumne sit ne quid etiam tenue, sed ratione materiæ, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et judicio peritorum venumdetur.

7 (9). Utrum singulis diebus, mane et vespere horis opportunioribus, ecclesiæ pateant fidelibus.

Utrum debita vigilantia custodiantur ne sacrilegiis, profanationibus, aliisve damnis obnoxiæ sint.

8 (10). Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore libere ingredi, ibique adstare valeat.

9 (11). Utrum aliquando ecclesiæ vel sacella adhibeantur ad aliquem profanum usum, ad academicos cœtus, musicos concentus, aliaque id genus.

10 (12). Utrum in omnibus ecclesiis et sacellis in quibus SS^ma^ Eucharistia asservari debet vel potest, conditiones a jure requisitæ ad conservationem SS^mi^ Sacramenti accurate serventur: et an cura sit ut altare SS^mi^ Sacramenti cultu, munditie et ornatu emineat.

11 (13). Utrum pœnitentiæ tribunalia collocata sint in patenti ecclesiæ loco, et cratibus instructa juxta canonicas leges.

12 (14). Quomodo custodiantur sacræ reliquiæ in ecclesiis et sacellis. Utrum ibidem adsint reliquiæ sigillo vel documento authenticitatis destitutæ, vel plane suspectæ.

Utrum, quod sciatur, penes privatas personas reliquiæ insignes serventur; quo jure, et qua cum veneratione.

13 (15). Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicæ leges serventur.

Irrepserintne singulares consuetudines, et quænam: num hæ S. Sedis auctoritate aut vetustissimo usu rite approbatæ dici queant, aut saltem toleratæ: et si tales non sint, quid fiat ut prudenter deleantur.

Speciatim vero utrum lingua et cantus liturgicus juxta S. Sedis decreta adhibeantur.

14 (16). Utrum graves errores contra fidem serpant inter fideles. Adsintne e clero qui eisdem infecti sint. Quænam hujus mali fuerit vel adhuc sit causa. Quid fiat ut eidem malo occurratur.

Cap. III (V).

De clero generatim.

15 (40). Referatur generatim quinam sint cleri mores, qui cultus, ac doctrina, quod studium æternæ salutis proximorum, quæ pietas: quænam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem obedientia et reverentia: quænam inter sacerdotes concordia, conjunctio, caritas.

16 (41). Utrum vestis talaris adhiberi possit et reapse adhibeatur a clero: et in quolibet casu an clerus habitu proprio et decenti induatur, nec sint hac in re scandala vel dicteria.

17 (42). Utrum sacerdotes in missæ celebratione præparationem et gratiarum actionem debite peragant: an serotinæ visitationi SSmi Sacramenti assueti sint: qua frequentia ad pœnitentiæ sacramentum accedere soleant.

18 (43). Utrum ad spirituales exercitationes statis temporibus omnes et singuli per vices conveniant, qua frequentia, et quibusnam in ædibus.

19 (44). Utrum collationes seu conferentiæ ecclesiasticæ de quæstionibus moralibus, seu casibus conscientiæ, itemque theologiæ et liturgiæ habeantur: qua frequentia, qua methodo, quo fructu.

20 (45). Quæ cura sit de junioribus sacerdotibus, ut postquam sacerdotio initiati sunt studia non deserant, et pietate adhuc proficiant.

21 (47). Utrum adsint sacerdotes, qui quamvis viribus et juvenili ætate polleant, otiosi tamen vivant, adeo ut inutiles vel etiam noxii diœcesi sint: quænam hujus rei sit causa, et an et quomodo huic malo occurri possit.

22 (48). Utrum adsint de clero qui rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceant, cum offensione aliorum et spiritualis ministerii detrimento: et quid factum sit, aut fieri possit ut intra justos limites contineantur.

Et ubi una vivunt catholici diversæ linguæ, vel nationis, an idcirco adsint in clero contentiones et æmulationes: quid fiat ut extinguantur, et spiritus Christi in omnibus inducatur.

23 (49). Utrum, quod Deus avertat, aliquis habeatur sacerdos qui vitam minus honestam agat, aut agere publice

videatur; vel cui imputetur aliquod aliud crimen post ultimam relationem patratum.

Nullane habeatur, quam Decanus sciat aut suspicetur in suo clero, violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione missarum manualium.

Caveantne sacerdotes nedum a libris, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat.

24 (50). Quid factum sit tum ad salutarem lapsorum correctionem, tum ad scandali (si adfuerit) reparatlonem.

25 (51). Utrum generatim clerus sive ex eleemosynis missarum, sive ex aliis ministerii spiritualis proventibus, aut ex beneficiis ecclesiasticis habeat quo honeste vivere possit.

Cap. IV (VII).

De parochiis, earumque rectoribus.

26 (69). Utrum emolumenta, quæ occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis missarum solemnium, attestationum, publicationum a parochis percipi solent, recognita sint ab Ordinario, vel diuturno usu probata.

Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earumdem, inconvenientia aliqua et querelæ, præsertim in re matrimoniali et in funeribus, deploranda sint.

27 (71). Utrum parochi domum canonicam habeant; et an ibi cum parocho ejus adjutores una vivant. Et si ita non sit, an et quod studium habeatur ut hoc regimen inducatur.

28 (72). Utrum, qua lege et qua observantia caveatur, ne quolibet sub prætextu, etiam ratione servitii, juniores mulieres (etiam consanguineæ, si cum parocho adjutores simul vivant) parochiales domus inhabitent aut frequentent: et an cura sit ne in parochialibus ædibus familiæ consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant.

29 (73). Utrum libri parochiales adsint in singulis parœciis, et ibi juxta canonicas præscriptiones adnotentur quæ pertinent ad baptismum, matrimonium ac mortem fidelium.

Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur qua jubetur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen.

An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellæ seu libri missarum fundatarum et manualium, iique diligenter redigantur ac serventur.

30 (74). Utrum in singulis parœciis tabularium aliquod adsit, illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum, et utrumque naviter custoditum.

31 (75). Utrum parochi aliique animarum curatores debitam residentiam servent.

32 (76). Utrum diebus festis missam pro populo applicent, sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebrent: potissimum vero an evangelium explicent, et catechesim tam pueris quam adultis tradant, qua methodo, quo fructu.

An adsint hisce in rebus negligentes.

33 (77). Utrum in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum adsistentia, semper præsto sint, nihilque inconveniens, vel nulla querela hac de re habeatur.

34 (78). Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administrent et matrimonio adsistant in ecclesia, servatis solemnitatibus a Rituali Romano præscriptis.

35 (79). Quomodo se gerant erga fideles qui, sectis secretis notorie addicti, vel alia quavis de causa extra Ecclesiæ sinum viventes, sacramenta in extremis deposcunt; et erga eos qui extra Ecclesiæ sinum defuncti, christiano more sepeliri a consanguineis velint.

36 (80). Quænam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem: et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri qui sui confessarii et parentum judicio discretionis sunt capaces a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur.

37 (81). Utrum parochi pro viribus curent fideles suos in fide roborare, ad sacramentorum frequentiam, præsertim ad S. Communionem etiam quotidianam excitare, et in christianæ vitæ more et puritate continere. Et ad hunc finem, præter consueta sui officii munera,

a) an aliquoties in anno, diebus præsertim solemnioribus vel tempore adventus, quadragesimæ vel mariani mensis, præconem et confessarium extraordinarium advocent;

b/ an identidem post aliquam annorum periodum sacras missiones in sua parœcia haberi curent;

c/ an pias devotiones ab Ecclesia probatas, ut expositionem SS^mi^ Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum, aliaque similia in sua ecclesia celebrent, et fidelibus commendent: et quænam magis in usu sint;

d/ an studeant pueros, puellas et majoris ætatis fideles allicere ut ad pias uniones, patronatus, sodalitates vel consociationes catholicas se adscribant;

e/ an prudenter instituant vel saltem foveant opera socialia, quæ Ecclesiæ catholicæ spiritu aluntur.

Cap. V (IX).

De institutis religiosis virorum.

38 (104). Si religiosi adsint quæstuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

Cap. VI (XI).

De populo generatim.

39 (114). Quinam in universum sint populi mores, et an specialia vitia in eo invalescant, et quænam.

40 (115). Utrum dominicis et festis diebus fideles generatim abstineant ab operibus servilibus, missam audiant, et hos dies, prout christianos decet, sanctificent.

Si inter varia loca differentiæ notabiles adsint, hæ notentur.

41 (116). Eodem modo referatur quæ sit observantia legum abstinentiæ et jejunii, et Paschalis præcepti.

42 (117). Pariter indicetur quæ sit frequentia ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem in variis locis pro diverso personarum sexu, conditione, ætate.

43 (118). Utrum parentes solliciti generatim sint, ut recens nati saltem intra hebdomadam baptismo abluantur: an sint qui nimium differant. aut forte negligant, vel prohibeant baptismum ministrari.

44 (119). Utrum matrimonia mere civilia sive concubinatus habeantur, et qua frequentia. An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii.

45 (120). Utrum usus matrimoniorum mixtorum, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia, et an ex legitima venia. An conditio de universa prole in catholica religione educanda servetur. Quænam catholicæ fidei detrimenta ex his matrimoniis proveniant. An ab hujusmodi contrahendis nuptiis parochi studeant fideles avertere.

46 (121). Utrum parentes generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiæ sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere.

47 (122). Utrum fideles qui graviter decumbunt generatim extrema sacramenta deposcant.

An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant.

48 (123). Utrum in exercitio jurium politicorum et civilium curent fideles ita agere, vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiæ plene consulatur.

49 (124). Utrum adsint sectæ secretæ, præsertim massonicæ.

An socialismus aliæque societates ab Ecclesia damnatæ radicem fixerint et propagentur.

An *spiritismi* praxis habeatur.

Quid fiat ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo profectu.

Cap. VII (XII).

De juventutis institutione et educatione.

50 (125). Referatur in primis ac generatim quæ sit ratio institutionis et educationis filiorum juxta usum legesque civiles.

Utrum contra sacrum Ecclesiæ et parentum catholicorum jus opponantur christianæ juventutis educationi obstacula; et quid fiat ut hæc amoveantur.

Utrum scholæ distinctæ juxta sexum sint, an utrique sexui communes: quæ mala inde sequantur: et quænam remedia adhibeantur.

51 (126). Dicatur utrum scholæ publicæ primordiorum, vulgo *elementares*, bonæ vel innoxiæ generatim sint, et an ibidem per ecclesiasticos viros aut idoneos magistros christiana doctrina digne tradatur: an potius noxiæ sint.

Et in hoc casu an scholæ liberæ habeantur: quomodo sustententur: a quot alumnis frequententur: an Ordinarii vigilantiæ et inspectioni subsint.

52 (128). Quod si pueri et puellæ scholas publicas primordiorum adire cogantur, quæ noxiæ sint, quid fiat ut juventus a perversione et corruptione immunis fiat.

53 (130). Utrum opera quæ *post-scholaria* dicuntur, ut recreatoria, circuli, scholæ catecheticæ, oratoria serotina et festiva, ad sanam christianæ juventutis institutionem et præservationem habeantur; quænam, et quo fructu.

Cap. VIII (XIII).

De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus.

54 (131). Utrum adsint piæ sodalitates aliæque religiosæ consociationes rite institutæ: quot et cujus nominis: an habeantur eæ quæ a S. Sede potissimum commendatæ sunt, ceu illæ a SS^{mo} Sacramento, a Rosario, a christiana doctrina, aliæque pro pueris et puellis in fide, pietate, morumque puritate excolendis.

55 (132). Utrum erectæ sint in ecclesiis parœcialibus et religiosorum, vel habeantur etiam quæ in propriis et distinctis ecclesiis exsistant.

An in ecclesiis monialium sodalitates virorum adsint, et qua facultate.

56 (133). Utrum ab auctoritate ecclesiastica juxta canonicæ legis præscripta dependeant: quem fructum afferant: an forte aliquod gignant incommodum.

57 (134). Utrum adsint tertiarii in sæculo viventes, cujus ordinis, quo fructu: an sæpe congregentur, et an sint exemplo fidelibus.

58 (135). Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint, et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint sectis ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestæ vitæ sint. Et quid fiat ut hoc malum avertatur.

Cap. IX (XIV).

De piis legatis et eleemosynarum collectionibus.

59 (136). Utrum habeantur pia legata missarum, alio-

rumve religiosorum onerum, et an de iisdem parochus indicem habeat cum recensione onerum et indicatione redituum.

60 (137). A quibus generatim administrentur, an fideliter et fructuose.

61 (138). Utrum missis legatorum aliisque obligationibus intra præscriptum tempus regulariter satisfiat: et si hoc nequeat fieri, an reditus præsertim missarum fundatarum Ordinario tradantur: an adsint qui hac de re ad officium revocari mereantur aut revocati jam sint, et quo fructu.

62 (139). Utrum et quo fructu fiant piæ collectiones eleemosynarum a S. Sede præscriptæ vel commendatæ pro communi Ecclesiæ bono, ut, pro Fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo S. Petri, pro Terra sancta.

63 (140). Utrum fiant collectiones speciales pro ipsius diœcesis necessitatibus, ut, pro fidei conservatione, pro præservatione ab erroribus et cleri pro sustentatione, si opus sit.

64 (141). An et quænam aliæ collectiones eleemosynarum usuveniant.

Si religiosi vel religiosæ quæritantes habeantur, an tot sint numero ut nimium gravamen fidelibus afferri videatur.

Cap. X (XV).

De operibus piis et socialibus.

65 (142). Utrum hospitalia, orphanotrophia, brephotrophia aliaque similia caritatis instituta fundata sint; et an dependeant ab auctoritate ecclesiastica juxta S. Concilii Tridentini præscripta. Et nisi dependeant, referatur an in iis quæ a materna Ecclesiæ protectione et directione subtracta sunt, catholici spirituali adsistentia frui saltem libere possint.

66 (143). Utrum adsint opera illa quæ *socialia* dicuntur quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut, asyli pro infantibus, patronatus pro juvenibus utriusque sexus, circuli pro juventute catholica, aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricolarum, mulierum

in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arcæ nummariæ, aliaque similia.

67 (144). Utrum consociationes et opera hæc socialia, et potissimum qui eis præsunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam præstent, et in iis quæ fidem, mores et justitiæ leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint.

68 (145). Cura ne sit ut hisce consociationibus et operibus præficiantur qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sint. Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt, aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur, et christianam vitam ducant.

69 (146). Utrum caveatur ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur sectis secretis adscripti, increduli, impii vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et justitiæ tramite deducere possint.

Cap. XI (XVI).

De editione et lectione librorum et diariorum.

70 (147). Utrum edantur libri, ephemerides, illustrationes, diaria obscena vel impia, vel utcumque religioni noxia; a quibus, et quali cum diffusione et detrimento.

71 (148). Utrum libri et diaria impia vel obscena aliarum civitatum parochias ingrediantur, ibique diffusa sint, et quænam potissimum sint.

72 (149). Utrum strenue a catholicis agatur et præsertim a parochis et a sacerdotibus, ut libri et diaria obscena vel impia removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera.

An cleri et maxime confessariorum cura sit ut libri et diaria obscena vel impia a catholicis familiis arceantur, et a fidelibus non legantur.

73 (150) Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta: quot sint, quomodo diffusa et quo fructu.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Ostende differentias quæ inter tres narrationes conversionis S. Pauli in libro Actuum deprehenduntur (9, 1-30; 22, 5-16; 26, 9-20) non esse contradictiones, uti Rationalistæ immerito contendunt, easque ipsam facti seu conversionis miraculosæ substantiam non attingere.*

Respondetur. Miraculosa Pauli conversio (quam Rationalistæ, qui omnia miracula a priori negant, omni qua possunt ope removere (1) conantur) ter in libro Actuum exponitur. S. Lucas ipse eam in *narratione historica* 9, 1-30 refert, dum S. Paulus ipsam in *duplici oratione apologetica* narrat, quarum priorem ad populum hierosolymitanum in se iratum 22, 5-16, alteram verò coram procuratore Festo et rege Agrippa II vinctus 26, 9-20 habuit.

Contendunt autem Rationalistæ tres Actuum relationes inter se pugnare, adeoque fidem non mereri (2).

Hanc objectionem compendiose refellimus differentias primùm assignando; deinde ostendendo quomodo dictæ differentiæ ipsam facti seu miraculosæ conversionis substantiam non attingant, et quomodo conciliari possint ac debeant.

---

(1) Cf. Ladeuze, *La résurrection du Christ devant la critique contemporaine* (Collection *Science et Foi*, n. 1), Bruxelles, 1908; Mangenot, *La Résurrection de Jésus*, Paris, 1910, p. 121 ss.; Rose, *Revue biblique*, 1902, p. 321 ss.; Le Camus, *L'œuvre des Apôtres*, Paris, 1905, t. I, p. 174 ss.; E. Moske, *Die Bekehrung des heiligen Paulus*, Münster, 1907; Prat, *La théologie de St Paul*, t. I (Paris, 1908), p. 44 ss.; Hugeny, *Critique et catholique*, t. I (Paris, 1909), p. 103 ss.; opellam nostram *De bekeering van den H. Apostel Paulus* (coll. *Geloofsonderricht*), Rousselare, 1910; Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 223 ss.

(2) Plerique tamen Rationalistæ, prætensas contradictiones ad factum historicum removendum non sufficere rite perspicientes, alia effugia quæsiverunt, uti in operibus modo allegatis videre est.

I. *Tres præsertim differentiæ urgentur* (1).

Prima reperitur in eo quod comites Pauli uno loco 9, 7 *stabant stupefacti,* dum alio loco 26, 14 *decidisse in terram* perhibentur.

Secunda in eo ostenditur quod comites Pauli 9, 7 dicuntur *audivisse quidem vocem* (Jesu), *neminem autem vidisse*, dum contrà juxta 22, 9 *lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur* cum Paulo.

Tertia autem differentia assignatur in eo quod in duplici loco (9, 7 et 22, 10) Saulus Damasci discere jubetur quid sibi faciendum sit, quod ei revera per Ananiam innotescit. Contrà 26, 16 ss. de mandato eundi Damascum ibique ab Anania edocendi ne verbum quidem habetur: in ipsa visione a Christo ipso ad dignitatem apostolicam immediate evehitur.

II. *Differentiæ assignatæ substantiam facti seu miraculosæ Pauli conversionis nullatenus evertunt.*

Omnibus etiam fatentibus, tres relationes circa essentialia conversionis adjuncta concordes reperiuntur. Ita ubique identica sunt: occasio itineris Damasceni (2); eventùs miraculosi locus ac tempus (3); splendida lux quæ Saulum ejusque comites circumfulsit (4); Sauli prostratio (5); dialogus Saulum inter et Jesum (6); cæcitas Pauli non diuturna, ejus baptismus ac sanatio (7), necnon subitanea ejus ad Christum conversio.

Differentiæ igitur assignatæ nonnisi in adjuncta se-

---

(1) Omissis utique adjunctis quæ in una alterave tantùm relatione reperiuntur, sed a nemine ut contradictiones allegantur, cùm tres narrationes incompletæ his adjunctis se invicem compleant atque explicent.

(2) Cf. **9**, 1-2; **22**, 4-5; **26**, 9-12.

(3) Cf. **9**, 3; **22**, 6; **26**, 12-13. In narratione historica tamen tempus explicite non notatur.

(4) Cf. **9**, 3; **22**, 6; **26**, 13.

(5) Cf. **9**, 4; **22**, 7; **26**, 14.

(6) Cf. **9**, 5-7; **22**, 7-10; **26**, 14 ss.

(7) Cf. **9**, 8-18; **22**, 11-16. De his tamen in oratione coram Festo quia tota Ananiæ persona sublata est.

cundaria cadunt, adeoque etiamsi modo convenienti explicari seu conciliari non possent, ipsum factum seu miraculosa conversio contra fas omne et critices principia rejiceretur (1). Quod auctor acatholicus A. Sabatier (2) rite observavit: « Ces différences ne peuvent en aucune façon porter atteinte à la réalité du fait. Réussirait-on parfaitement à les concilier, ou même n'existeraient-elles pas du tout, ceux qui ne veulent pas admettre le miracle ne repousseraient pas avec moins de décision le témoignage du Livre des Actes ». Re quidem vera, Lucæ testimonium ideo rejiciunt, quòd contra ipsum rationis dictamen et sanæ critices principia supernaturale omne a priori respuunt. — Verùm,

III. *Differentiæ assignatæ modo convenienti conciliantur.*

Sane, facile admittendum non est Lucam, scriptorem cæteroquin diligentem et in historica arte peritum (3), ita a seipso deficere, ut in eadem re narranda sibi aperte contradicat, postea neget quæ antea affirmaverit, aut nunc affirmet quæ mox abnuet. Concedendum est scriptori sacro quod nulli negatur, scil. ut, si occasio fert eumdem eventum iterum esse narrandum, ei liceat modo brevius modo explicatius uberiusque rem proponere, neque adstringendus erit iisdem omnino verbis (4).

1/ Reipsa in priore discrepantia, nulla est contradictio, quia utrobique res diversa exprimitur. Ità quod comites Pauli 26, 14 « decidisse in terram » dicantur, haud pugnat cum 9, 7: « stabant stupefacti »; nam εἱστήκεισαν ἔνεοι non necessariò significat: « stabant *erecti* (gall. *debout*) stupefacti (5) », verùm etiam: « ils étaient,

(1) Circa critices principia, casu quo contradictoria prostent testimonia, adhibenda cf. De Smedt, *Introductio generalis in historiam ecclesiasticam critice tractandam,* Gandavi, 1876, p. 33 et 45.

(2) *L'Apôtre Paul,* Paris, 1899, p. 42.

(3) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 47-56.

(4) Ut observat Knabenbauer, *Commentarius in Actus Apostolorum,* Parisiis, 1899, p. 161.

(5) Litt. absque voce, fland. *sprakeloos.*

ils restaient hors d'eux-mèmes ». Ità latine v. *stare* sæpe denotat: « esse vel permanere in aliquo statu » (1). Ità optime diceres flandrice: « Zij stonden sprakeloos », quin attendas utrum stupefacti stantes essent necne (2).

2/ Pariter, secunda differentia nullam seriam difficultatem (3) facescit. Imprimis, quod comites S. Pauli **9**, 7 dicuntur *neminem vidisse,* i. e. non vidisse *personam* Paulum alloquentem, profectò non contradicit **22**, 9, ubi eos *lumen* vidisse affirmatur (4). Deinde, difficultas oriens ex eo quod comites **9**, 7 asseruntur *vocem audivisse* (ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς), dum **22**, 9 perhibentur *non audivisse vocem ejus qui loquebatur* (τὴν φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντος), removetur si dicas comites *sonitum vocis* indistinctum audivisse, verba autem diserta, articulata loquentis non percepisse (5). Sic S. Lucas **9**, 4 de S. Paulo affirmat « *audivit vocem dicentem* », græce cum accus. ἤκουσεν φωνὴν λέγουσαν: si statim postea in v. 7 verbum ἀκούειν cum genitivo construit, hæc mutatio constructionis adeoque significationis ab ipso intenta fuisse dicenda apparet (6).

---

(1) Ita Cicero, *Off.*, II, 1, 3. « Utinam respublica stetisset quo cœperat statu ».

(2) Cf. Prat, *o. c.*, p. 46 n. Nihil igitur cogit ut cum Belser, Ceulemans aliisque dicamus comites Pauli cecidisse in terram (**26**, 14), at mox et ante Paulum surrexisse, quamvis res ità contigere potuisse haud infitiemur.

(3) Fatentibus etiam pluribus acatholicis, uti Wendt, *Die Apostelgeschichte,* Gœttingen, 1899, p. 183, 186; Blass, *Acta Apostolorum,* Gœttingen, 1895, *h. l.*; Lumby, *The Acts of the Apostles,* Cambridge, 1902, p. 110; Peloubet, *The teachers' Commentary on the Acts of the Apostles,* Oxford, 1901, p. 120 s.; Rackham, *The Acts of the Apostles,* London, 1904, p. 131, etc. Cf. etiam Ramsay, *St Paul the traveller and the Roman citizen,* London, 1903, p. 379.

(4) Simile quid contigit in visione Danielis (*Dan.* **10**, 7) et S. Stephani (*Act.* **7**, 55).

(5) Ita Belser, *o. c.*, p. 119. Alii, ut Blass, *o. c.*, autumant ἀκούειν τῆς φωνῆς significare: aure sonos percipere, ἀκούειν τὴν φωνὴν verò designare perceptionem intellectualem sonorum seu verborum. Quæ distinctio (cf. *Revue biblique,* 1902, p. 331 n. 3) tamen minus probabilis apparet.

(6) Hoc plures acatholici concedunt: ita Blass, *l. c.*, Rendall,

3/ Tertia differentia in hoc sita, quod in oratione S. Pauli coram Agrippa et Felice (26, 16 ss.) interventus Ananiæ (relatus in narratione Lucæ c. 9 et in oratione Pauli coram Judæis c. 22) non memoratur, verbaque Ananiæ in ore ipsius Christi ponuntur, ex *diversis adjunctis* explicatur in quibus S. Paulus utramque concionem apologeticam habuit (1).

In oratione qua Paulus coram popularibus eum occidere quærentibus (21, 31) apologiam suam instituit, meritò munus Ananiæ illustratur: Ananias enim, qui jussu Dei Paulum sanaverat et in Ecclesiam admiserat erat « vir secundum Legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis ».

Hæc sane adjuncta ad populares Judæos emolliendos ac convicendos apta erant. Contrà, in oratione apologetica coram Agrippa et Festo ethnicis, compendiose conversionem proponit: hic tota persona Ananiæ sublata est, quippe quæ non esset apta ad tales auditores movendos.

Unde sequebatur (2) ut revelatio quæ c. 22, 10 ss. Paulo per Ananiam facta exhibetur, c. 26, 15 ss. tota ut in apparitione a Jesu præstita inducatur. Etiam si admittas (3) Jesum *in apparitione ipsa* Paulo vocationem et munus apostolatûs non revelasse, neque Paulus in concione, neque Lucas in Actis concionem referens, mentionem Ananiæ omittentes, veritatem lædunt. Etenim Ananias de vocatione et missione Pauli a Jesu immediate edoctus fuit, eamque velut revelationis

---

Knowling, Peloubet apud Peloubet, *l. c.*, et præsertim Moulton, *A Grammar of New Testament Greek*, t. I (Edinburgh, 1908), p. 66, qui asserit distinctionem assignatam esse vulgatam et pro S. Luca omnino tenendam.

(1) Apologeta facta historica non necessariò adulterat, verùm ea vario modo disponit ordinatque ut ad intentum scopum aptius conducant.

(2) Ita cum catholicis sensit Blass, *o. c.*, p. 267.

(3) Hæc hypothesis, cui tamen propter rationes statim proponendas non favemus, teneri posse videtur.

præco nomine Jesu Paulo communicavit. S. Lucas orationem Pauli c. 26 absque mentione Ananiæ Actis inserere potuit, meritò confidens lectorem dictam mentionem ex narratione c. 9 et præsertim ex oratione c. 22 ad Judæos suppleturum esse.

Verùm arbitramur (1) Christum ipsum in via ad Damascum Paulo missionem apostolicam atque Evangelium (2) revelasse. Etenim a priori probabile videtur dialogum, Jesum inter et Paulum in via habitum, fuisse longiorem quam c. 9 et 22, ubi duas tantùm quæstiones duoque responsa complectitur. Præterea ex S. Pauli epistolis Paulum a Christo ipso in via *immediate* constititum fuisse apostolum jure merito concludimus. Ita (ut vel de sola ep. ad Gal. loquamur), quomodo Paulus si munus suum ac Evangelium mere per Ananiam didicisset, *Gal.* 1, 1 contra adversarios, dignitatem ejus apostolicam impugnantes, scriberet : « Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem ? » « Neque enim ego ab homine accepi illud (Evangelium) neque didici, sed per revelationem Jesu Christi » (*Gal.* 1, 12). Omnem igitur causalitatem humanam sive principalem, sive instrumentalem a vocatione sua apostolica et revelatione evangelica sedulo excludit (3).

Tres igitur narrationes cum quibusdam discrepantiis sed absque ulla contradictione se invicem complere apparent.

A. Camerlynck.

---

(1) Cum Rose, *Revue biblique*, 1902, p. 333 ss.

(2) De Evangelio S. Pauli cf. Resp. I mensis seq.

(3) Quod utique nullatenus impedit quominus Ananias qui Saulum baptizavit, a cæcitate sanavit et in cœtum christianum induxit, de ejus vocatione divinitus edoctus, revelationem Paulo *immediate* factam confirmaverit, prouti in c. 26 refertur.

II

Q. Breviter indica connexionem inter quæstionem de cooperatione Dei in operibus creaturarum et quæstionem de modo quo Deus cognoscit liberas actiones creaturarum.

R. I. **Prænotandum.** Hic loquimur de creaturarum actionibus *liberis*, h. e. libertate indifferentiæ, nempe de actibus *electivis*. Illæ operationes, speciali ratione sunt *contingentes* (1): illæ enim operationes *non* sunt *determinatæ ad unum* in ipsarum causa proxima, vi ipsius naturæ; consequenter ita eliciuntur a causa proxima, quæ est voluntas, ut possint non elici: hæc est specialis ratio *contingentiæ*, quæ illis actibus competit. Et sub hoc respectu distinguuntur ab aliis operationibus quæ *necessario* emanant a causa proxima, dummodo adsint omnes conditiones requisitæ ad illius operationem. Inde intelligitur distinctio inter operationes creaturarum *necessarias* et operationes *contingentes* (2).

Præterea illæ operationes, consideratæ in ordine ad cognitionem quam *ab æterno* Deus de illis habet, dicuntur *futuræ*, quia nondum existunt quando jam a Deo cognoscuntur. Inde quando apud quosdam theologos inquiritur utrum vel quomodo Deus cognoscat *futura contingentia*, agitur de actionibus *electivis* voluntatis creatæ.

Deinde futura contingentia distinguuntur in *absolute* et *conditionate* futura: *absolute* futura dicuntur ea quæ de facto, in aliquo temporis momento, existunt; *conditionate* futura ea quæ de facto nunquam existunt, sed quæ exstitissent si fuisset adimpleta aliqua conditio (3).

---

(1) Cf. S. Thomas, 1, q. 14, a. 13.

(2) Licet igitur omnes omnino creaturarum actiones dici possint contingentes, quia et ipsæ creaturæ sunt *contingenter* existentes, quippe quæ potuissent non existere, tamen inter creaturarum operationes, aliæ sunt necessariæ (hypothetice), aliæ sunt contingentes.

(3) Cf. Jungmann, *De Deo uno*, n. 212, 220; Kleutgen, *De ipso Deo*, Ratisbonæ, 1881, n. 471, 478, 537, 544.

In præsenti responso loquemur de actibus electivis absolute futuris.

II. 1. Secundum fidem catholicam tenemus *omnia nuda et aperta esse oculis Dei, ea etiam quæ libera creaturarum actione futura sunt* (1).

Deinde certum est omnem in Deo cognitionem esse in sua realitate omnino independentem a rebus creatis, ita ut res creatæ non physice influant in ipsam Dei cognitionem; hancque esse ab æterno perfectam ac immutabilem, proinde anteriorem ad omnes res existentes extra Deum, et tandem nonnisi in ipso Deo posse esse id quod determinat cognitionem divinam.

Etiam ab omnibus admittitur, ut videtur, hoc assertum: « Cum Deus sit causa rerum per suam scientiam, in tantum se extendit scientia Dei in quantum se extendit ejus causalitas » (2), scilicet in tantum potest Deus cognoscere res in quantum potest eas causare, (sive ut causa exemplaris, sive ut causa efficiens) et in tantum eas *ut existentes* cognoscit in quantum eas causat.

Hic jam apparet objectiva ac necessaria *connexio* de qua agimus: etenim secundum modum diversum quo explicatur causalitas Dei seu ejus cooperatio in electionibus creaturarum, etiam erit modus diversus explicandi medium in quo præcise cognoscit Deus illas operationes.

2. *De facto,* controversia de medio objectivo in quo Deus cognoscit ab æterno electiones creaturarum, quæ controversia fuit acerrima a sæculo XVI exeunte (3),

---

(1) *Concil. Vatic., Constit. de fide,* c. 1. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 1784. Definitum non est a Deo etiam cognosci actiones liberas *conditionate* futuras: hoc tamen a theologis universis, paucis exceptis, ut certum habetur.

(2) S. Thomas, 1, q. 14, a. 11.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* suprà, p. 33 ss. Jam ante hanc periodum Bannez notat quod S. Thomas (in responsione ad hanc quæstionem: *utrum scientia Dei sit futurorum contingentium*) duo inter alia docet quæ magnam præ se

omnino connectitur cum quæstione de cooperatione Dei in actifus electivis creaturarum et originem habuit difficultatem conciliandi libertatem indifferentiæ cum divina præscientia.

Etenim Bannez, ejusque schola, docent: a/ Deus in ipsa electione voluntatis creatæ ita cooperatur ut illam *physice prædeterminet ad unum* in ipso actu eligendi; b/ consequenter Deus ab æterno omnes creaturarum electiones cognoscit *in decreto* divinæ voluntatis quo Deus ab æterno decrevit tales creaturas rationales in talibus adjunctis *prædeterminare* ad hanc in individuo electionem. Illud igitur *decretum,* præcise quatenus est *prædeterminans*, est *medium objectivum* in quo Deus cognoscit *electiones* creaturarum (1).

Molina vero a/ *negat* dari *physicam prædeterminationem* ad unum in actu electionis (imo negat omnem præmotionem physicam) (2), b/ *negat* consequenter a Deo cognosci electiones creaturarum *in decreto prædeterminante* voluntatis divinæ, c/ *statuit* omnes creaturarum electiones, *prout determinatas in individuo*, cognosci a Deo *independenter a decreto divinæ voluntatis* et in signo rationis priori ad quodcumque decretum voluntatis divinæ (3). In hoc præcise est radicale dissidium inter

---

ferunt difficultatem et in quibus non conveniunt omnes theologi; hæc duo sunt: a/ omnia sunt Deo præsentia in sua æternitate; b/ infallibilitas ac certitudo divinæ cognitionis circa ipsa futura contingentia habetur ex eo quod Deus cognoscit ipsa futura contingentia in semetipsis [h. e. prouti sunt in semetipsis] et extra causas suas, quatenus sunt illi præsentia in æternitate. *Scholastica Commentaria in I P. Summæ,* q. 14, a. 13.

(1) Bene notemus illud decretum non posse esse *medium objectivum,* in quo cognoscuntur electiones creaturarum, nisi in quantùm habeat tamquam objecta præcise illas *prædeterminationes physicas ad unum:* secus non attingeret ipsam *determinationem* hujus numero actus præ opposito, qui pariter erat in potestate liberi arbitrii. Cf. Billot, *De Deo,* Thes. XXII; Pègues, *Commentaire littéral de la somme théologique,* Toulouse, 1907, v. 2, p. 114.

(2) V. suprà, p. 46 ss.

(3) « Nos vero censentes errorem esse in fide tales constituere Dei præfinitiones [quibus statuit physicas prædeterminationes ad unum]...

duas scholas: nam, quoad ulteriorem explicationem, qui cum Molina tenent electiones creaturarum a Deo cognosci ut in individuo determinatas, *independenter a decreto divinæ voluntatis prædeterminante*, non conveniunt in assignando medio objectivo in quo Deus cognoscit futura contingentia (1).

Adnotatio. Ostendimus in qua consistat *connexio* inter duas quæstiones. Scopus non est duarum scholarum sententias crisi subjicere. Indicamus tamen sequentia, ne fiat obscuritas circa mentem nostram in præcedentibus responsis expositam:

1. Ut falsam habemus sententiam Thomistarum, pro ea parte qua asserit physicam prædeterminationem ad unum in ipso actu electionis et consequenter asserit a Deo electiones creaturarum cognosci in ipso decreto voluntatis divinæ prædeterminante. Ratio est quia ex illa sententia logice sequitur ipsa negatio libertatis indifferentiæ (2).

2. Ut falsam habemus sententiam Molinæ pro ea parte qua rejicit omnem præmotionem physicam et nonnisi simultaneum concursum admittit (3).

---

dicimus certitudinem totam divinæ scientiæ, qua actus tam bonos quam malos arbitrii creati absolute futuros esse prænoscit, non provenire ex solis præfinitionibus conferendi auxilia et concursus... sed provenire ex scientia media, qua ante omnem actum suæ voluntatis cognovit in quam partem arbitrium pro sua libertate se esset flexurum, per eamque scientiam dicimus Deum certo cognoscere futura omnia quæ auctores contrariæ sententiæ conditionata appellant. Certitudinem vero scientiæ illius mediæ provenire dicimus ex altitudine illimitataque perfectione intellectus divini, qua certo cognoscit quod in se est incertum, idque eminentissima comprehensione in divina sua essentia cujuscumque arbitrii, quod sua omnipotentia creare potest »; MOLINA, *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 53, membr. 3 (Ed. Lethielleux, p. 365).

(1) Cf. BILLUART, *Tractatus de Deo*, Dissertatio VI a. 4, § 1; JANSSENS, *De Deo uno*, 1899, t. II, p. 144. — Notemus Molinistas admittere futura contingentia *ut præsentia* seu *existentia* cognosci a Deo in decreto divinæ voluntatis, quo discernit Deus talem determinatum rerum ordinem *de facto executioni esse mandandum*. Sed in signo priori ad hoc decretum et independenter ab illo cognoscit Deus distincte omnes electiones in individuo determinatas, quæ in omni possibili rerum ordine continentur: ita ut hoc decretum non sit medium *objectivum* in quo Deus cognoscit electiones *ut determinatas ad unum*.

(2) Cf. suprà, p. 121, 125, 262.

(3) Cf. suprà, p. 46, 79, 262.

3. Fatemur in sententia Molinæ et illorum qui rejiciunt prædeterminationem physicam non plena evidentia elucere quo præcise modo Deus in seipso cognoscat actiones electivas creaturarum : remanet aliqua difficultas in concilianda infallibilitate divinæ scientiæ cum contingentia quæ propria est actui electivo. « Ad hanc dubitationem nihil scriptum reperi in S. Thoma, ait Cajetanus (1) : quoniam nullibi eum movisse hanc recolo, sed semper studuit ad salvandam contingentiam... Optimum autem atque salubre consilium est in hac re inchoare ab his quæ certo scimus et experimur in nobis, scilicet quod omnia quæ sub libero arbitrio nostro continentur, evitabilia a nobis sunt ; et propterea digni sumus pœna vel præmio ». Imprimis igitur rejicienda omnis sententia quæ logice ducit ad negationem libertatis indifferentiæ. Deinde legitime inquiritur, quantum fieri potest, de medio objectivo in quo Deus cognoscit electiones creaturarum (2).

J. Van der Meersch.

III-IV.

Q. *Dijudica malitiam aspectuum pravorum.*
Dijudica malitiam tactuum pravorum (3).

R. **Prænota.**

a/ Agimus de aspectu et tactu pravo, in quantum sunt præcise *actus non consummati*, et qua tales seorsim inspiciuntur. — Revera sæpius hi actus de facto comitantur actum consummatum, quasi inchoatio vel complementum actus consummati de facto commissi, imo sæpius ex hujus actus consummati intentione ponuntur.

---

(1) In I, q. 22, a. 4.

(2) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 502 ss.; Billot, *o. c.*, l. c.; Janssens, *o. c.*, p. 110 ss.; De Baeis, *Quæstiones de operationibus divinis*, Lovanii, 1903, p. 63 ss.: apud quos Auctores, qui omnes Thomistarum sententiam rejiciunt, apparet diversitas in explicando quo modo Deus cognoscat electiones creaturarum.

(3) Ob similitudinem materiæ et applicationem eorumdem principiorum simul ponimus utramque hanc quæstionem.

— His casibus, si mali sunt, non tamen constituunt peccata distincta, sed unum numerice cum actu consumnato, — modo ne nimio intervallo temporis aut mutata interea intentione agentis ab eo dividantur.

b/ Nec agimus nisi de actibus solutorum vel inter solutos, id est non ad invicem conjugatos; de actibus conjugum vel inter conjuges remittentes ad tract. de Matrimonio (1).

c/ Tandem agimus de *quantitate* tantum seu de specie theologica horum actuum; quoad qualitatem seu speciem moralem remittentes ad *Collat. Brug.*, t. III, pp. 440 ss. — His prænotatis:

I. **Principia** in hac utraque quæstione applicanda, eadem sunt, proportione servata quæ supra, pp. 139 ss. sermonibus turpibus jam applicavimus, et quæ cæteroquin in tota quæstione de actibus non consummatis præ oculis habenda sunt. Nimirum:

Secundum se et in abstracto, in quantum unice dicunt aspicere vel tangere turpia, sunt aliquid sub respectu morali indifferens quod, pro variis adjunctis concretis, graviter vel leviter vel nullatenus malum esse potest, imo bonum et meritorium.

In concreto tamen et prout **de facto** in variis adjunctis concretis poni contingunt, sæpe mali sunt. — De facto enim

1°/ Sæpe sunt *actus non consummati luxuriæ*, quod habent quotiescumque ponuntur ex fine operantis libidinoso, i. e. ex fine capescendi delectationem veneream.

Dicitur: ex fine operantis *libidinoso:* unde stricto sensu venerei non sunt actus qui ponuntur ex delectatione sensibili, vel ex joco, levitate vel curiositate, sicut a fortiori actus qui ponuntur ex causa quadam necessitatis vel utilitatis; attamen tales actus sæpe plus minusve peccaminosi esse possunt ex variis capitibus,

---

(1) Vide A. De Smet, *De Sponsalibus et matrimonio*, nn. 127 ss.

quæ hac in materia non ita infrequenter verificantur. Nimirum

2°/ Actus de quibus agimus, etsi ob defectum turpis intentionis stricto sensu non possunt dici actus non consummati, sæpius mali esse possunt:

a/ *ob periculum peccandi*, i. e. ob periculum consentiendi in delectationem veneream forte orituram, vel ob periculum procedendi ad actus peccaminosos ulteriores, internos vel externos;

b/ *ob periculum effectus venerei* physici, sive simplicis commotionis, vel distillationis, sive pollutionis, qui ex actibus oriri possit;

c/ *ob alia adjuncta accidentalia* quæ alias forte malitias inducunt, ut præcipue scandali vel cooperationis.

II. Ut autem in præsenti materia de fine operantis forte dubio, vel de periculo peccati aut effectus venerei, vel de aliis forte malitiis accidentalibus, judicari valeat, hæc in variis casibus sunt **attendenda**:

Natura actus de quo inquiritur: qua ratione tactus, utpote magis materialis, sub variis respectibus indicatis, propius ad venerem accedit quam aspectus;

objectum actus: qua ratione per se magis ad venerem disponit actus exercitus in corpus alienum, quam in proprium; in alienum alterius quam ejusdem sexus; in hominem quam in animal; in subjectum naturale quam in subjectum depinctum tantum aut sculptum; in rem artificiosam valde commoventem, quam in rem minori arte confectam; similiter magis per se movet actus circa partes turpes, quam circa minus honestas, et a fortiori quam circa honestas; magis actus circa partes commotas, aut circa ipsum coitum, quam circa partes quietas, etc.;

modus quo actus exercetur: utrum morose vel repetitis vicibus, an obiter tantum aut semel vel iterum tantum; utrum ex industria an ex levitate; utrum agatur de aspectu an de simplici visu, utrum e longinquo an e propinquo, etc.;

personalia et particularia adjuncta: utrum agens sit pronus ad venerem, an tardus et frigidus, assuetus forte aut senex aut medicus; utrum persona circa quam actus ponitur sit forte speciali effectu amata, ut inter procantes; utrum puer, aut vetula, etc.;

causa qua ad agendum movetur, aliqua np. necessitas vel utilitas, et quænam; vel nulla, sed levitas, jocus, aut curiositas, vel finis delectationis sensibilis, aut etiam venereæ, ut dictum est.

Ex quibus omnibus attentis, circa singulum actum in specie discutiendum, *judicium quoddam morale* efformandum erit; ab iisque pendent variæ quæ in hac materia ab auctoribus traduntur practicæ resolutiones. Quæ solutiones cæteroquin sæpius non qua regulæ absolute generales, sed tantum qua *normæ* morales et *ut plerumque* rectæ accipiendæ sunt et quæ sæpius præbeant legitimum fundamentum præsumptionibus. Non enim ullus datur actus qui sit absolute pravus, quum omnes, ut dictum est, sint secundum se indifferentes.

III. **Applicationes practicæ.**

Ordine quo supra enumeravimus varia capita unde aspectus vel tactus de quibus agimus mali esse possunt, dicimus:

1°/ Aspectus et tactus, qui **ex fine libidinoso** illicito ponuntur, seu qui sunt actus non consummati luxuriæ, graviter peccaminosi sunt, quantumvis remote ad venerem se habeant, ut intorquere digitos, premere manus alterius personæ aut etiam proprium corpus, in faciem intueri, etc. (1). Actus vero iidem qui ex sola delectatione sensibili ponuntur, leviter mali sunt.

Attamen, de hac intentione, quæ in omni casu est momenti præcipui, non semper ita facile constat. Revera tales actus, præcipue aspectus, sæpius quasi ex

(1) Probatum hoc assertum vide apud *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 240 ss., t. XIII, pp. 406 ss.

improviso fiunt: ab una parte impellit ad eos sæpe instinctus animalis et passio libidinosa, ast simul ab altera parte non raro homo, quasi decipiens seipsum, prætendit curiositatem non ita illicitam vel rationem aliqualis utilitatis; vel, ex adverso, adest quidem dum actus incipitur utilitas quædam vel curiositas etiam legitima, ast illico oriuntur phantasiæ imaginationes et concupiscibilis passiones libidinosæ, adeo ut agens timeat jam ne ex tali fine pravo actum pergat. Quæ sæpe aguntur non sine magna confusione et turbatione, adeo ut post factum nil sibi fixi statuere nec confessario aliquid certi indicare valeat. Qua occasione, confessario præsto sunt variæ *præsumptiones:* ex dispositionibus et vita morali habituali pœnitentis; ex eo quod brevi antea vel brevi postea peccatum certum admiserit; ex natura et objecto et modo, necnon adjunctis personalibus supra enumeratis: ut si actus factus fuerit circa partes turpes vel minus honestas, illudque morose àut repetitis vicibus, vel sine causa excusante continuatus fuerit, orta jam commotione corporali, etc.

2°/ Seposita intentione libidinosa, iidem actus peccaminosi esse possunt:

a/ **Ex periculo peccandi præviso**: et sic graviter mali sunt illi tactus et aspectus ex quibus homo prævidet proximum sibi oriturum periculum consentiendi in delectationem forte suboriundam, vel transeundi ad actum quemdam, internum vel externum graviter malum; leviter tantum qui periculo remoto tantum se exponit, imo nullatenus si adest causa sufficiens ponendi causam et sic permittendi illud aliquale periculum peccandi.

Quæ gravitas periculi necessario pendet ab adjunctis et dispositionibus subjectivis uniuscujusque in singulo casu, et experientia præsertim cognoscitur. — Nihilominus dantur certi actus qui hominem communiter sumptum in periculum proximum conjicere solent, adeo ut inde jam desumi possint variæ regulæ generales, quas ut *communiter* veras sequi licet.

Hoc modo ordinarie graves sunt actus quos infra, sub 3°, ut causas per se respectu pollutionis, enumerabimus, et ad quos ponendos deficit causa rationabilis; item seclusa causa sufficiente *aspectus*, deliberatus et morosus in proprias partes turpes, vel in personam nudam ejusdem sexus, vel in partes minus honestas alterius sexus; item aspectus alterius sexus in partes turpes, etiam ex sola curiositate, excepto aspectu qui valde obiter et fere ex inopinato, vel qui breviter et e longinquo fiat, sicut et aspectu infantuli nudi alterius sexus; item aspectus statuæ vel imaginis plane nudæ, qui sine ratione necessitatis vel magnæ utilitatis, studiose et morose fieret; item aspectus coitus humani; — eodem modo *tactus* deliberate factus in partes minus honestas personæ alterius sexus, in partes turpes personæ alterius sexus etiam obiter aut super vestes; vel tactus in partes turpes ejusdem sexus vel etiam proprii corporis, ex industria aut per tempus notabile aut repetitis vicibus; item tactus diuturnior in pectus mulieris; tactus in partibus inhonestis bestiæ, præsertim si fiat usque ad pollutionem ipsius, etc.

Quæ omnia intelligas, qua normas quasdam satis generales; pro variis enim adjunctis, actus minus turpes graves esse poterunt ob periculum prævisum, sicut ex adverso actus citati interdum minus periculum inducere poterunt; ubi nota præsertim absentiam vel præsentiam alicujus causæ rationabilis agendi: non enim negari potest periculum solere eo minus et remotius fieri quo causa adest rationabilior actum ponendi.

b/ **Ex effectu physico.**

Seclusa causa excusante, aspectus et tactus illi *graviter* peccaminosi sunt qui sunt *causa per se* respectu *pollutionis*, dummodo hæc de facto secutura prævideatur. Tales sunt tactus in verendis aut in illis propinquis partibus alieni corporis vel proprii, nisi forte transeunter fiant; aspectus item personæ plane nudæ alterius vel etiam ejusdem sexus voluntarie continuatus; aspec-

tus de propinquo coitus humani, aspectus diuturnior picturæ obscenæ, etc. — *Leviter* peccanimosi sunt seclusa omni ratione necessitatis vel utilitatis, aspectus et tactus cæteri qui per se leviter tantum in pollutionem influunt, etiamsi natura sua notabiliter influunt in meram commotionem imperfectam vel distillationem.

c/ **Malitiæ accidentales** facile addi possunt, quales malitia cooperationis in peccato alterius, vel scandali alteri dati, vel ex excitato apud alium sensu venereo et sic creato periculo peccandi pro futuro (quod reduces ad scandalum, et non raro peccatum est eorum qui infantes morose aut iterato in verendis titillant), etc.

A. VANDER HEEREN.

V

Q. *Indica remedia generalia adversus tentationes.*

R. Hoc responso et proxime secuturo expenditur materia *de impugnatione tentationum;* in præsenti indicantur remedia *generalia* adversus tentationes.

1. **Sensus diffidentiæ humilis a nobis ipsis et fiduciæ in Deum** (1).

Sensus diffidentiæ nutritur considerando quia « sufficientia nostra ex Deo est » (2 Cor. III, 5), sine quo *nihil* possumus facere (Jo. XV, 5), meditando præsumptionem Petri apostoli; humilitatem deinde ac diffidentiam natæ sunt fovere ipsæ tentationes, et signanter peccata anteactæ vitæ. « Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat » (1 Cor. X, 12).

(1) Hæc duplex dispositio habitualis requiritur tum ad perfectionem propriam tum ad fructum ministerii sacri. Egregie CARD. MERCIER, *A mes Séminaristes,* 7e conférence: « Vous serez, plus tard, les prêtres saints, utiles à l'Eglise que vous avez la vocation et l'ambition de devenir, à la condition que vous sortiez du Séminaire avec cette double disposition intérieure bien profonde: 1. *Une humble défiance de vous-mêmes;* 2. *Une confiance totale en la divine Providence* ». Cf. nostra *Probatio charitatis,* Brugis, Beyaert, 1910, p. 169.

Motiva fiduciæ, relate ad tentationes, sunt, quod tentatio fit *permittente Deo* Patre optimo, qui eam ordinat ad bonum nostrum (cf. sub 4); « fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere » (1 Cor. X, 13). *Omnia possum in eo qui me confortat* (Phil. IV, 13).

2. **Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem** (Mt XXVI, 41).

Sic monebat apostolos ipse Magister Christus et eventus satis probavit necessitatem illius monitionis. Diabolus numquam nos inveniat incuriosos aut inermes: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet » (Luc. XI, 21). Ergo « induite vos *armaturam Dei*, ut possitis stare adversus insidias diaboli » (Eph. VI, 11 ss.).

Vigilate: vitando occasiones et pericula, quia *qui amat periculum, in illo peribit* (Eccli III, 27); vitando incuriam.

Vigilate parando bellum. *Si vis pacem, para bellum*: mortificando præsertim phantasiam et appetitum sensitivum. « Unusquisque tentatur *a sua concupiscentia* abstractus et illectus » (Jac. I, 14), « et sine hac diabolus non generat in nobis aliquod peccatum » (1). Hunc igitur hostem domesticum oportet mortificare, id est ita reprimere ut jam nocere non possit. Hoc autem negotium agendum est maxime tempore pacis, impugnando vitium dominans et obfirmando quæ in examine conscientiæ vel in ipsa tentatione apparuerunt infirmiora (2).

---

(1) S. Bonav., 2 Sent., dist. 21, art. 2, q. 2, ad 4. Cf. *supra* hoc t. XV, p. 273.

(2) Lege S. François de Sales, *Introd. à la vie dévote*, 4e p., ch. 10. Ad rem P. Faber, *Les progrès de l'âme dans la vie spirituelle*, ch. 16 (Edit. Retaux, 1903, p. 294): « Si nous avons sombré dans plus d'une tempête, c'est que nous avons converti en jours de repos les jours de calme qui nous ont été accordés. Rappelons-nous que dans la vie spirituelle il y a des récréations, mais il n'y a pas de vacances ».

Orate: Ipse Magister Christus docuit nos orare quotidie: *Et ne nos inducas in tentationem.* Signum crucis, aqua benedicta, usus Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ et Eucharistiæ (1).

3. **Depellatur inquietudo.**

Hæc oriri solet ex mala tristitia et, teste Salesio (2), maximum malum est animæ post peccatum. Adverte diabolum sæpe nihil aliud intendere quam turbationem, præsertim apud devotos.

Ad depellendam anxietatem utiles sunt sequentes *considerationes:*

Militia est vita hominis super terram (Job VII, 1). Quid mirum, si dum vivimus in terra, tentamur? « Non coronabitur nisi qui legitime certaverit » (2 Tim. II, 5). Cf. Jac. I.

Tentatio non est peccatum, uti patet vel ex solo exemplo Christi tentati; neque nocet sensus, ubi deest consensus (3).

Ipsa tentatio est bonum signum: « Nam infideles et peccatores non tentat, quos secure jam possidet: fideles autem devotos variis modis tentat et vexat » (4). Imo diuturnitas tentationis debet afferre solatium, cum ostendat tentatum nondum cessisse tentationi (5).

4. **Animi fortitudo et alacritas.**

Diabolus potius est contemnendus, quam anxie timendus: potentia enim ejus est limitata per Christum

---

(1) Cf. nostrum opusculum: *Het Brood des levens,* derde uitgave, 1910, bl. 80 en 175; *Imit. Christi,* IV, 10.

(2) *Op. et l. cit.,* ch. 11-12.

(3) Cf. S. François de Sales, *l. cit.,* ch. 4. Bene P. Faber, *l. cit.,* p. 279: « On a l'air de répéter une vérité évidente en disant que ce ne sont pas des péchés; pourtant, dans neuf cas sur dix, notre malheur vient de ce que nous ne faisons pas cette distinction. Il semble qu'il suffise d'être en butte à une tentation pour en être souillé ».

(4) *Imit. Christi,* IV, 18.

(5) P. Faber, *l. cit.* p. 286: « Leur principale consolation est leur perpétuité même, car elle est une preuve qu'elles n'ont pas triomphé ».

qui vicit et ligavit principem hujus mundi (1); potens utique est ex natura sua, cum sit angelus, et ex diuturna experientia (2), sed ista potentia est limitata etiam ex hoc quod ignorat interiorem conditionem hominis (S. Th., 1, q. 114, art. 2, ad 2) et mensuram gratiæ divinæ quæ hic et nunc nobis offertur. Non valet directe agere in voluntatem, sed solum per modum persuadentis vel proponentis appetibile (S. Th., 1-2, q. 80, art. 1).

Cui resistite fortes in fide (1 Petri, V, 9). *Viriliter agite, et confortamini: nolite timere... quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te* (Deut. XXXI, 6).

Tristitia et anxietas minuunt vires, alacritas vero auget (3). Porro ad firmandum animum utile est considerare *bona tentationum*. Diabolus vult nocere, sed deceptus fugiet, si noverimus e malo eruere bonum (4). Tentationes *probant, purgant, docent* (5).

Quoad molestas præsertim tentationes, utiliter commendatur *manifestatio directori spirituali*. Nam juxta Salesium (6) et Ignatium (7), diabolus recedit, statim ac detegitur.

H. Mahieu.

---

(1) « Alligatus est enim, tamquam innexus canis catenis... Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem ». Pseudo-Aug. cit. in lect. secundi nocturni Dom. IV post Pentec.

(2) Ergo timendus est, sed non anxie timendus: il faut craindre, il ne faut pas avoir peur.

(3) Bene P. Faber, *l. cit.*, p. 294: « Mais comment pourrons-nous triompher des tentations? Il faut pour cela de la bonne humeur, encore de la bonne humeur, toujours de la bonne humeur ».

(4) B. Vianney adverterat se potissimum vexari a dæmone, quoties accessurus erat ad vicum Ars magnus quidam peccator. Inde cœpit gaudere, quando vexabatur a diabolo, at mox ipsum reliquit diabolus.

(5) Cf. nostra *Probatio charitatis*, p. 373, coll. p. 309; P. Faber, *l. cit.*, p. 287.

(6) *Op. cit.*, 4e p., ch. 7.

(7) *Exerc. spir.*, Regulæ ad spiritus dignoscendos, reg. 13. Hæ regulæ, sicut et ibidem sequentes, valde utiles sunt ad impugnandas tentationes.

VI

Q. *Qualis debet esse forma casulæ?*

R. De hac forma nihil in specie statuunt Rubricæ. Ideoque sicut S. R. C. declaravit quoad paramentorum materiam (1) ita etiam quoad formam respiciendus et servandus est « usus ecclesiarum ». Usus autem ille nec semper idem fuit nec hodie ubique idem viget (2).

Primitus enim, et quidem usque ad sæculum XIII, casula, ad modum antiquæ penulæ Romanæ confecta, erat indumentum amplum, rotundum, ab humeris ad pedes undequaque defluens, circumcirca clausum, ita ut tegeret corpus integrum solo excepto capite quod per unicam vestimenti aperturam eminebat.

Ex qua forma intelliguntur facilius:

a/ etymologia probabilis vocis *casulæ* quæ, juxta Isidorum (3), dicta est « per diminutionem a casa [domo] quasi minor casa ».

b/ significatio mystica moralis casulæ, per quam, juxta Pontificale (4) et scriptores liturgicos medii ævi, « charitas intelligitur » quæ operit multitudinem peccatorum, quæ omnes alias virtutes informat et omnia legis et prophetarum mandata in se continet, dicente Apostolo: Plenitudo legis est charitas » (5). Alii contrà casulam interpretantur de unitate Ecclesiæ. Hæc omnia, ut patet, minus bene quadrant cum nostræ planetæ modulo.

c/ præscriptiones quædam rubricarum. Casula nempe incommoda valde erat et super brachia revolvi debebat: qua in re celebrantem ad incensationem et elevationem adjuvare

(1) Cf. *Collat. Brug.*, supra p. 95.

(2) Cf. eruditissimum opus J. Braun, S. J. *Die liturgische Gewandung*, 1907, p. 149-246.

(3) *Etymolog.* XXV, 24.

(4) « Accipe vestem sacerdotalem, ait Pontifex, per quam *charitas* intelligitur. Potens est enim Deus ut augeat tibi *charitatem* et *opus perfectum* ». Significatione simili de habitu gratiæ sanctificantis videtur intelligenda alia Pontificalis oratio: « Stola *innocentiæ* induat te Dominus ».

(5) Cf. Durandus, *Rationale divin. officiorum*, l. III, c. vii, n. 1.

debent ministri, fimbrias casulæ elevantes (cf. *Collat. Brug.* t. XIII, p. 641); revolvebatur super brachia tantummodo post preces ad pedes altaris: unde et nostris diebus non prius assumit Episcopus manipulum; quum antiquitus etiam ministri uterentur casulis, hæ sæpe ab anteriori parte penitus replicabantur: unde hodiedum certis diebus utuntur diaconus et subdiaconus « planetis *plicatis* »; imo « stola latior » nihil aliud est quam vestigium antiquæ casulæ ita in humerum revolutæ ut utraque manus sit libera, sicut milites interdum replicant et ligant pallium suum.

Decurrente sæc. XIII, cœpit casula generali modo decurtari et præsertim ab utroque latere excidi, ita ut brachia manusque jam non penitus tegeret et in partem anteriorem posterioremque aliquatenus divideretur.

Quæ mutatio minus inducta videtur ob mutatos de arte et pulchritudine conceptus quam potius *commoditatis gratia*, maxime quum materia casulæ cœperit ita acu pingi et auro intexi ut casula difficilius revolveretur ac majori pondere brachia premeret. Accessit etiam *parcimoniæ studium*, eo vel magis quod, invalescente usu colorum liturgicorum, jam non unica sufficiebat casula sed plures diversi coloris requirebantur.

Non ubique eodemque passu gradiebatur hæc evolutio, imo in eadem interdum ecclesia minores adhibebantur casulæ pro missa quotidiana, ampliores vero pro missis solemnioribus.

Hæc casulæ forma nuncupari solet *gothica* (1), quamvis cum stylo dicto « gothico » aliam non habeat connexionem quam quod maxime usuvenit eo tempore quo stylus præfatus vigebat. Planetæ imminutio et maxime lateralis excisio pedetentim sed continuo crevit, ita tamen ut usque ad sæculum XVI imo et XVII remaneret casula amplum quoddam, flexibile et vere dignum sacerdotale indumentum (2).

---

(1) Vocatur etiam *mediævalis*, quia est forma propria recentioris medii ævi; aut *S. Bernardi*, sed immerito: tempore enim hujus sancti vigebat forma antiqua.

(2) Ita forma planetæ a *S. Carolo Borromæo* a. 1572 præscripta circiter 1,30 metr. late patet « ita ut ab humeris projecta complicationem

Verum sæculis subsequentibus continuo undequaque imminuta est, pannus anterior ante pectus ex utraque parte excisus est et, quo magis appareret ornatus, in planeta interdum inserta est materia rigidior, ita ut casula nostris diebus sæpe vix aliquod vestigium servaverit sive amplitudinis et dignitatis antiquæ planetæ sive naturæ veri indumenti.

Romani minus quam alii ab antiquitate desciverunt: casula enim generatim ex textura leviori et flexibili confecta, habere solet latitudinem 0.75 m. et longitudinem 1.10 m. nec ad pectus est multum excisa. Multo minor solet esse casula hispanica; intermedia videtur germanica, qua paulo minor existit generatim gallica, quam infeliciter nostrates nimis frequentes imitati sunt tum quoad dimensiones tum etiam quoad rigiditatem.

In modernam hanc formam optimo jure sed acerbius æquo invehi cœperunt, mediante sæculo próxime elapso, viri insignes artis christianæ cultores qui in Anglia et Germania, sed et in Belgio et in Gallia casulam « gothicam » seu medievalem instaurare conati sunt. Quibus assentiebant Episcopi non pauci, aliis contrà obnitentibus.

Res acriter disceptata ab Episcopo Monasteriensi ad S. Rit. Congregationem delata, examinanda commissa fuit R^mo D. J. Corazza qui Voto prolixo et sat acri S. Congregationi proposuit declarandum ut tum forma « gothica » tum casula ab anteriori parte valde excisa prorsus prohiberentur, casula autem « romana » proponeretur ut exemplar ad cujus normam omnes planetæ deinceps in Ecclesia Latina essent conficiendæ.

Verum, auctore ut volunt Romano Pontifice Pio IX, S. Congregatio multo mitius agendum censuit. Em. Card. Patrizzi, Præfectus, epistola 23 Augusti 1863 ad

---

unius saltem palmi infra utrumque humerum recipere possit », et ejusdem circiter est longitudinis, « ut pene ad talos usque pertineat ». *Gavantus* autem a. 1628 ponit latitudinem 0,86 m. et longitudinem 1,30 metr.

nonnullos episcopos missa « eadem perdurante disciplina necnon Sancta Sede inconsulta nihil innovari posse censuit... immutationes istas utpote probato Ecclesiæ mori contrarias sæpe perturbationes producere posse et fidelium animos in admirationem inducere ».

« Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes quæ præsentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi D. N. Pii Papæ IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Eminentiam Vestram, quatenus in sua diœcesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velit quæ illis causam dederunt ».

Utrum Episcopi quidam huic « amantissimæ » invitationi responderint nescimus. Certe tamen aliqui casulas ad formam gothicam confici prohibuerunt sive absolute, sive provisorie, sive saltem de consilio quasi prohibitio positiva S. Sedis mox subsecutura esset. Acris etiam controversia sopita est, quin tamen universim haberetur quæstio ut definitive soluta aut casula « gothica » ut proscripta.

Quod hodie præsertim apparet. Plures enim auctores optimæ notæ (1) ut indubium tenent non illicitam esse « gothicam » formam, quam editio recentissima Cœremonialis Episcoporum adhuc semper supponit L. II, c. VIII, n. 19: « Episcopus induitur planeta, quæ *hinc inde super brachia aptatur et revolvitur* diligenter, ne illum impediat » ; quæ non fuit diserte prohibita epistola 23 Aug. 1863; quæque indies magis in nonnullis mona-

(1) Cf. J. Braun, S. J. *Winke für die Anfertigung und Verzierung der Paramente*, Freiburg. Herder, 1904, p. 43. In. *Die liturgische Gewandung*, p. 152 nota; von Keppler in *Archiv für christlich. Kunst*, a. 1888; Thalhofer, *Lttturgih*, I, 48. Cf. J. Walter, *Die heutige Lage der liturgischen Paramentik (Strassburger Diözesanblatt*, 1910, p. 127-142); H. Stummel, *Die Form der Kasel*, (*Pastor Bonus*, 1906, 567-569); *Ecclesiastical Review*, 1909, p. 676-688; 1910, 85 s., 349 ss., 477 ss.; A. Schmid, *Cæremoniale*, 1906, p. 62. Contrà *Ephemerides liturgicæ*, 1909, p. 86-88.

steriis et ecclesiis Germaniæ, Angliæ, Belgii, Galliæ et Americæ absque « perturbatione » aut « fidelium admiratione » usurpatur et a scriptoribus aut artis liturgicæ cultoribus commendatur (1); imo in ipsa Urbe ab auctoritate ecclesiastica toleratur (2).

Sed et ubique apparet tendentia ampliandi saltem aliquatenus casulas ut magis gravitati et pulchritudini vestis sacerdotalis prospiciatur : quod et passim obtinet, nec sane haberi debet ut « innovatio » a S. Sede positive approbanda (3).

Ad conclusiones autem practicas quod attinet, plura distincte considerare convenit.

a/ *Artificiali* quadam *rigiditate* afficiuntur interdum planetæ nostræ ope texturæ vilis et crassæ (gall. *bougran*) quæ flexibilitatis minuendæ causa inter holosericum externum et pannum subsutum inseritur. Nec ad commoditatem, ut patet, nec ad pulchritudinem confert hujusmodi contabulatio ; contradicit fini vestimenti quod natura sua natum est sese accommodare motibus corporis ; impedit sinus qui ad decoram amictus compositionem conducunt ; contra eam præprimis et merito invehuntur omnes viri pulchritudinis studium habentes ; tandem nec longo usu cohonestatur nec laudatur citata littera S. R. C. quæ potius commendaret casulam romanam quæ multo magis quam nostra, flexibilis esse solet.

Primum ergo quod optimo jure commendari potest hoc est ut, in quantum materia serica hoc fert, casula flexibilis relinquatur.

---

(1) Cf. *Ecclesiast. Review*, 1909, p. 688.

(2) Ita in institutis germanico et austriaco *Campo Sancto* et *Anima*, Romæ, adhibentur casulæ gothicæ. In Visitatione a. 1904 speciali modo, nomine Pontificis Pii X instituta, Visitatores Apostolici hujusmodi casularum pulchritudinem laudaverunt et usum toleraverunt. Occasione jubilæi Pontificis a 1906, in expositione suppellectilis liturgicæ Pio X oblatæ, narratur Ill. De Waal laudasse casulas « gothicas » et carpsisse formam romanam coram ipso Pontifice qui ei consentiisse dicitur (*Pastor Bonus*, 1906, p. 569.

(3) Cf. Ill. Van der Stappen, *De celebratione Missæ*, q. 109, II, nota ; *Nouv. Rev. Théol.*, 1909, p. 283-286.

b/ Non paucæ casulæ, in Gallia maxime sed et apud nostrates, ad utrumque pectoris latus ita exciduntur ut pannus anterior eo in loco latitudinem tantum habeat 0.30 aut 0.40 m.: unde a nonnullis scriptoribus minus reverenter sed non prorsus immerito vocetur « casula ad modum instrumenti violæ ». Commoditati et parcimoniæ sane favet hujusmodi excisio: sed si penitus supprimeretur casula, commodior sane esset et minoris adhuc pretii habitus liturgicus. Fatentibus omnibus, hæc forma, quam R^mus^ D. Corazza æque ac casulæ gothicæ fautores damnant, nullatenus decet gravitatem sacerdotalem; adeoque eam non admittant deinceps parochi quando novæ conficiendæ sunt casulæ.

c/ Tandem ad dimensiones quod spectat, si certum non est amplam casulam « gothicam » esse prohibitam, dubium nullatenus videtur posse casulam habere amplitudinem aliquatenus majorem quam assolet apud nos aut etiam Romæ. Sit longitudo in parte posteriori saltem 1.10 m. ad 1.20, qualis jam nunc non raro est; sit latitudo ejus ad humeros saltem 0.75 vel 0.80 m. (1).

C. Callewaert.

(1) Plures auctores suadent ut pro missa quotidiana adhibeatur casula circiter 1.15 m. et 0.76; pro diebus festivis in ecclesiis minoribus, casula quæ sit longa 1.25 m. et lata 1.20 m.; et pro diebus festivis in ecclesiis cathedralibus casula gothica quæ pateat longitudine 1.35 m. et latitudine 1.50 m. Quidquid sit de his præcise mensuris, omnino conveniens videtur ut amplitudo sicut et materia planetæ conformis sit majori solemnitati festi, modo tamen in *omni* missa totus habitus liturgicus sit decens. Ita J. Braun, S. J. *Winke für die Anfertigung und Verzierung der Paramente* Herder, in-4, 1904, p. 44; *Ecclesiastic. Review*, 1910, p. 351, etc.

De numismatibus quæ pro scapularibus gestari possunt.

Ex audientia Sanctissimi.

Beatissime Pater,

Albertus Misonne, procurator missionum Belgarum (Scheut), ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit quæ sequuntur;

Ultimo mense, certiorem feci Ill^um^ Vicarium Apostolicum Congi Belgici, Sanctitatem Vestram, pro sua benignitate erga Christifideles, consuevisse sacra numismata benedicere, ita ut locum teneant omnium scapularium, nec non munus dedisse uni ex suis prælatis benedicendi numismata.

Hæc benigna concessio prædicto Vicario Apostolico pergrata fuit, siquidem multum juvabit in suo Vicariatu diffusionem scapularium, et digniorem reddet gestatum hujus signi distinctivi Christianorum. Nam scapularia ex panno confecta, post breve tempus, pulvere, oleo et sudore sordidi panniculi fiunt; et si quidem super nuda pectora miserrimi nigritæ illa gerere soleant, eo modo se Christianos confitentes, insignis distinctio Christianorum inter paganos non est nisi linteolum omnino indecorum.

Sed prius quam introduceret illam, licet pergratam, innovationem, prudens visum est prædicto Vicario Apostolico, omni qua par est humilitate, mentem Sanctitatis Vestræ inquirere; scilicet:

1° An grata erit Sanctitati Vestræ diffusio illorum numismatum, etiam in locis missionum?

2° An hæc numismata locum tenent omnium scapularium, non tantum illorum quinque scapularium habitualiter inter se conjunctorum, sed etiam ceterorum, sicut scapulare SS. Cordis Jesu, etc.?

3° An pro prima impositione, non hæc numismata, sed, sicut antea, scapularia ex panno rite confecta adhibenda sunt?

4° An solius munditiæ vel commoditatis causa omnes fideles possunt illa numismata loco scapularium assumere, quin unusquisque, cum animi anxietate, inquirat de propriis motivis?

5° An sufficit illa numismata non ad collum et super pellem, sed quovis modo apud se habitualiter gerere?

Ex ædibus Vaticanis, die 19 Julii 1909.

Relatis ut supra precibus, SS^{mus} D^{nus} respondere benigne dignatus est:

Ad 1um *affirmative.*
Ad 2um *affirmative.*
Ad 3um *affirmative.*
Ad 4um *affirmative.*
Ad 5um *affirmative.*

JOANNES BRESSAN.

Adnotationes.

Mutatio inducta attingit *solam obligationem gestandi scapularia*: scilicet *pro prima impositione,* sicut antea, scapularia ex panno rite confecta adhibenda sunt (ad 3^{m}) seu nihil mutatur quoad benedictionem et impositionem, aut receptionem ad Confraternitatem et inscriptionem, quando scapulare gestantes constituunt Confraternitatem (puta pro scapularibus SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, B. M. V. Septem Dolorum) (1).

Beneficium concessum explicatur.

Scapularia rite imposita jam non debent gestari, ut quis fruatur indulgentiis et privilegiis, sed loco eorum gestare sufficit *numisma* in hunc finem benedictum.

1° Intellige *scapularia proprie dicta*, non vero illa quæ constituunt habitum cujuscumque Tertii Ordinis (2). Comprehenduntur *omnia* scapularia, non tantum illa quinque scapularia habitualiter inter se conjuncta, np. SS. Trinit., Passionis D. N. J. C., et B. M. V. sub respectivo titulo Immac. Concept., Septem Dolorum et Montis Carmeli, sed etiam cetera, sicut scapulare SS. Cordis Jesu, etc. (ad 2^{m}). Attamen notetur restrictio infra ponenda.

---

(1) Cf. DE SCHREVEL, *Florilegium*, ed. 2^{a}, p. 251 ss.

(2) VERMEERSCH, *De religiosis... periodica,* t. V, p. 86, ubi refertur indultum 7 dec. 1909, continens expresse illam restrictionem.

2° Numismatibus conjunguntur non solum indulgentiæ scapularium, sed etiam privilegia, v. g. privilegium Sabbatinum (Scapul. Montis Carmeli), quibus respective adscripti fideles perfruuntur (1).

3° *Quoad numismata.*

a/ Requiritur ut fuerint *benedicta in hunc finem, ab habente facultatem.*

Ex formulis quas refert R. P. VERMEERSCH (2) sequentia colligi possunt :

1. Benedictio fit *unico signo Crucis.*

2. Non solus ipse Summus Pontifex benedicit numismata, quæ locum tenere possint *omnium* scapularium, sed hujusmodi facultatem benigne concedit aliis, etiam extra Urbem (3). At gratia quæ conceditur per S. Rituum Congr. est minus ampla : notatim substitutio non indulgetur *nisi quinque* scapularium habitualiter inter se conjunctorum (4).

3. Numismata, quæ uni vel pluribus e quinque scapularibus consuetis substituuntur, præseferant imaginem B. M. V.

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *l. cit.*, ubi referuntur indulta quæ id expresse memorant.

(2) *L. cit.*

(3) Ita refertur (p. 86) indultum pontificium 7 dec. 1909 factum Superiori Generali Missionum Belgarum (Scheut), « benedicendi Sacra Numismata iisque applicandi indulgentias omnium Scapulariorum (non vero cujuscumque Tertii Ordinis)... » et « subdelegandi eamdem facultatem »...

(4) Exhibet R. P. VERMEERSCH, *l. c.*, p 87 formulas supplicis libelli et gratiæ pro Episcopis, Superiore Generali et pro sacerdotibus. En formula gratiæ pro Episcopis : « S. Rituum Congr., utendo facultatibus sibi specialiter a SS. D. N. Pio Pp. X tributis, R^mo Oratori benigne *ad proximum quinquennium* potestatem fecit benedicendi *unico signo Crucis* Numismata B. M. V. juxta preces substituenda [in supplici libello : *Numismata, quæ B. M. V. imaginem præseferant, substituenda uni vel pluribus e quinque Scapularibus*], absque ullo Indulgentiarum et privilegiorum, quibus respective ascripti fideles perfruuntur, detrimento ; indulta etiam *facultate ad hoc subdelegandi* suum Vicarium Generalem, Dignitates et Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, Vicarios Foraneos, *pro tempore quo R^mi Oratoris subdelegantis potestas perduret* ». Eadem est formula gratiæ pro sacerdotibus, at sine facultate subdelegandi.

« Nuperrime accepimus, inquit R. P. VERMEERSCH (1), opus esse ut numismata quæ quinque consuetis scapularibus substituuntur imaginem præferant Beatæ Mariæ Virginis; quæ vero reliquis scapularibus substituuntur effigiem exhibeant Christi Domini. Quare numisma quod ex altera parte Salvatorem, ex altera B. Virginem repræsentet pro omnibus scapularibus gestari potest ».

b/ *Sufficit illa numismata non ad collum et super pellem, sed quovis modo apud se habitualiter gerere* (ad 5m).

« Satis ergo erit si feras (numisma) in crumena vel conjunctum coronæ. Nec requiri videtur ut ab habente habitualiter geratur, sed sufficit ut sit habitualiter *apud habentem*. Id est, si quis numisma hujusmodi in vestibus prope se depositis noctu servet, præscriptam legem impleverit. Quamquam suademus ut vel collo tunc imponat (2), vel modo magis aperto, v. g. in mensa depositum, apud se teneat (3) ».

H. MAHIEU.

(1) *L. cit.*, p. 106.

(2) Puta conjunctum rosario, quod pii Mariæ filii collo impositum gerere noctu solent.

(3) VERMEERSCH, *ibid.*, t. IV, p. 350.

E S. Congr. Concilii

LUXEMBURGEN.

Eleemosynæ Missarum (1).

Episcopus Luxemburgensis, datis ad S. C. Concilii litteris sub die 30 julii 1909, exponebat ut sequitur:

« In diœcesi Luxemburgensi, ex consuetudine generali, » parochi suis vicariis relinquunt diversa jura stolæ, uti sunt » emolumenta ex baptismo, ex benedictione mulierum post » partum etc. Aliam adhuc non parvam imminutionem » parochialis congrua apud nos ex eo patitur quod, ex con- » suetudine immemoriali, vicarii, generatim non in domo » parochiali habitantes, singulis Dominicis diebusque festivis » necnon pluribus aliis occasionibus mensæ parochi gratis » assideant. Insuper parochi majorem sibi assumunt partem » oneris ex hospitalitate et visitatione ægrotantium et paupe- » rum provenientis quin vicarii ex hoc capite nimis graven- » tur. Ex omnibus hisce largitionibus tractu temporum » firmatis, congrua parochialis plus æquo diminueretur » nisi exstaret aliqua saltem compensatio, pariter ex consue- » tudine et tacito atque unanimi consensu parochorum et » vicariorum introducta. Ex Missis nempe cantatis, tum » fundatis tum adventitiis, quarum in unaquaque parochia » magnus exstat numerus, ideoque a solo parocho persolvi » nequeunt, parochi, cum vicariis suis eas committere cogan- » tur, ab ea stipendii parte quæ pro sacerdote celebrante » vel in limine fundationis vel ab Ordinario pro Missa » adventitia cantanda statuta est, aliquid sibi retinent ad » complendam congruam modo supradicto notabiliter im- » minutam. Quod pactum tacitum, die 29 Aprilis 1898, a » S. C de Propaganda Fide ad normam cujusdam responsi

(1) Cf. commentarium Decreti *Ut debita,* apud *Collat. Brug.*, t. IX et X, signanter quod spectat art. 9m, 10m et 11m, t. X, p. 46 ss., collatis, ibidem, p. 318 ss., adnotationibus ad dubium simile præsenti, quod coram eadem S. C. C. olim proposuit Episcopus Bredanus.

» S. C. Concilii diei 25 Julii 1874 pro fundatis Missis ap-
» probatum, post decretum *Ut debita sollicitudine* S. C. Con-
» cilii diei 11 Maii 1904 in animis plurimorum ecclesiarum
» rectorum graves excitavit dubitationes. Sunt qui post pu-
» blicatum hoc decretum, cum magno congruæ parochialis
» detrimento, vicariis suis totum stipendium solvunt, quin
» aliquid ex vetere consuetudine supra memorata immutare
» ausi fuerint, timentes ne excitent populi admirationem
» turbentque bonam pacem parochos inter et vicarios. Alii,
» præsertim rectores quidam parochiarum magnarum, in-
» nixi responso S. C. de Propaganda Fide diei 29 Aprilis 1898,
» nil innovandum esse duxerunt, ne ad eas rei familiaris an-
» gustias deciderent ut, aucta disproportione emolumento-
» rum parochi et vicariorum, impares fierent ad implendum
» obligationes receptas et suo statui convenientes.

» Attentis hisce difficultatibus quibus apud nos premuntur
» parochi, a Sanctitate Tua humiliter peto ut, ad consulen-
» dum conscientiæ parochorum, ad tuendam congruam
» parochialem, ad pacem ac concordiam parochos inter et
» vicarios servandam et admirationem populi vitandam,
» praxim hucusque receptam approbare digneris, juxta de-
» clarationes a S. C. Concilii exhibitas in *Monacen.* 25 Ju-
» lii 1874, *Hildesien.* 21 Januarii 1898 et responsum S. C. de
» Propaganda Fide diei 26 Aprilis 1898 in *Luxemburgen.* ».

E^mi^ Patres S. Congregationis Concilii in generalibus comitiis, die 26 Februarii 1910, respondendum censuerunt:

Attentis particularibus circumstantiis iisque perdurantibus, pro facultate retinendi vigentem praxim, facto verbo cum SS^mo^,

S. Congregatio Indicis

Decreto d.d. 9 martii 1910 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

Joseph Turmel, *Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au concile de Trente*. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie.

— *Tertullien*. Paris, Bloud et Cie.

— *Saint Jérôme*. Ibid.

Angel Pulido Fernandez, *Espanoles sin patria y la raza sefardi*. Madrid, E. Teodoro, 1905.

Luis Gambara, *La sociologia; manual para estudiantes de derecho, de filosofia y de bachillerato y de cultura general*. Barcelona, Casa editorial, 1909.

— *Sociologia criminal; manual para abogados, medicos forenses, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general*. Ibid. 1909.

— *Antropologia criminal: especial para abogados, medicos estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general*. Ibid. 1909.

— *Psicologia y antropologia criminal; curso dado en el salon doctoral de la universidad de Barcelona*. Ibid. 1909.

Josephus Turmel et Fortunatus Russo, Decreto S. Congregationis edito die 6 Julii 1909 (1), quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subjecerunt.

(1) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 504.

Commissio de re Biblica

De auctoribus et de tempore compositionis psalmorum.

I. Utrum appellationes *Psalmi David, Hymni David, Liber psalmorum David, Psalterium Davidicum*, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatæ ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat?

Resp. Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebræci cum græco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui jure possit, titulos psalmorum hebraico textui præfixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem judaica traditione derivasse?

Resp. Affirmative.

III. Utrum prædicti psalmorum tituli, judaicæ traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari?

Resp. Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacræ Scripturæ haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditæ de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factæ tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quæ psalmis ab antiquo præfixæ sunt; insuper consensus Judæorum, Patrum et Doctorum Ecclesiæ, prudenter denegari possit præcipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento directe sub

Davidis nomine citantur, inter quos præ ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes;* ps. XV *Conserva me, Domine;* ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea;* ps. XXXI *Beati quorum remissæ sunt iniquitates;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus;* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?*

Resp. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum conjuncti; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi judaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdræ et Nehemiæ, quinimo ævo Machabæorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

Resp. Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam judaicæ gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde rejicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi prænuntiandam coarctant?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utrique R^mo^ Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus prædicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ, 1 Maii 1910.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab actis.

De expositione et repositione SS. Sacramenti (1)

I. De expositione SS. Sacramenti **publica** seu cum ostensorio, extra Laudes Vespertinas, serventur sequentia.

In hujusmodi expositione unica detur benedictio cum Venerabili (2).

Pro ritu ipsius expositionis sufficit ut sacerdos superpelliceo et stola sit indutus, nunquam cum alba, cingulo et stola tantum (3); sed si expositionis actum immediate sequatur missa privata aut solemnis, nihil impedit quominus expositionem faciant sacerdos et ministri induti paramentis missæ.

« Consuetudinem exponendi [publice] Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum absque *incensatione* prorsus eliminandam » declaravit S. Rit. Cong. decreto n. 3580[6]. Quare exposito ostensorio in throno (4), facta genuflexione, sacerdos vel diaconus paululum e medio recedens ne terga vertat Sacramento, descendit in planum, et genuflexus in infimo gradu facit capitis et modicam humerorum inclinationem (5) et surgit ut incensum imponat; accedunt autem thuriferarii a latere dextero non vero a retro. Thuriferarii non genuflexi sed stantes offerunt thuribulum et incensum.

---

(1) Cf. Decret. prosynod. n. XI, supra p. 327.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 502.

(3) Cf. Decr. S Rit. C. n. 3697[12]. « Si agatur de expositione et repositione SS. Sacramenti sufficit ut sacerdos cotta et stola sit indutus; nunquam cum alba, cingulo et stola tantum ». — S. R. C. n. 2067[5]. « An licet SS. Sacramentum sine pluviali *exponere?* » Resp. « Affirmative ».

(4) Non potest enim ostensorium poni nude super mensa altaris vel super tabernaculo, sed in throno aut sub umbella (S. R. C. nn. 3576; 3589; 11 jun. 1904, ad IV, ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 182). Potest tamen etiam exponi in ipso tabernaculo, modo hoc expositioni sit conveniens.

(5) S. R. C. *Societatis Salesianæ*, 16 febr. 1906, ad. VI, et ad III, 20 (ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 523).

Imponitur ter incensum absque benedictione. Declaravit S. R. C. n. 3086, ad III, « sacerdotem, dum incensum ponit in thurilulo, stare debere; ab eodem vero Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum thurificandum esse triplici tantum ductu, sed flexis genibus (1); et tam ante quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione ». Thurificatio autem « SS. Sacramenti est facienda duplici ictu in triplici ductu » (n. 4048, ad IX).

Dum fit expositio et incensatio, *organum* suavi modulatione pulsari potest sed « *cantus* in actu expositionis permitti tantum potest judicio Episcopi » (2). Episcopus autem Brugensis permittit ut cantetur *O Salutaris hostia... Uni Trinoque* vel etiam duæ ultimæ strophæ rythmi *Adoro Te* aut hymni *Sacris solemniis*.

II. « In qualibet SS. Eucharistiæ Sacramenti publica expositione, antequam in tabernaculo idem reponatur, benedictio cum eodem SS. Sacramento impertiri debet, ita ut eam omittere non liceat » (3).

Ante benedictionem (4) semper cantari debent *Tantum ergo* et *Genitori* cum vers. *Panem de cœlo* et oratione *Deus qui nobis*. Ut melius verificentur verba « veneremur *cernui* », et uniformitas obtineatur, ut docent plerique auctores, genuflectendum est vel « ad integram stropham » (S. R. C. n. 1583, ad 7) vel saltem ad duos priores versus. Tunc surgit celebrans et incensum imponit et genuflexus thurificat (5) ut supra. Cantata oratione SS. Sacramenti, accipit velum humerale quod « semper debet esse coloris albi » (6) et absque capitis

---

(1) Cf. Rit. Rom., tit. IX, c. v, n. 2; Cær. Episc. II, XXXIII, n. 19.

(2) Decr. S. R. C. 3110[14].

(3) S. R. C. n. 3713.

(4) Cf. decr. S. R. C. nn. 665; 2464; 2698; 2725[3]; 2791; 3058 ad 2, 3; 3513; 3530 ad 1 et 2.

(5) Cf. decr. S. R. C. *Derthonen.* 5 jul. 1907, ad I (ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 779).

(6) Decr. S. R. C. n. 3086[5]; cf. nn. 1615[6], 2562.

inclinatione (1) ascendit suppedaneum benedictionem daturus.

Juxta praxim ab immemoriali in diœcesi Brugensi — sicut et Romæ — receptam et a S. Rituum congregatione probatam (2) diaconus aut sacerdos assistens accipit ostensorium a throno illudque porrigit celebranti qui pariter « post benedictionem diacono illud tradit super altare collocandum » « utroque stante ».

In ipso actu benedicendi populum servetur mos in diœcesi receptus, nec Cæremoniali Episcoporum (3) nec S. Rit. Congregationis contrarius (4), ut facto signo crucis cum ostensorio, per sinistram suam sacerdos se vertat ad diaconum vel ad altare, quin circulum perficiat.

Dum datur benedictio, nihil recitari aut cantari potest, sed organum gravi et suavi sonitu pulsari potest. Post benedictionem jam non fiat altera thurificatio, quam ignorant Cæremoniale Episcoporum (lib. II, c. XXXIII, n. 30) et Rituale Romanum (tit. IX, c. v, n. 6) quamque prohibent S. Congregationis decreta (5). Sed « dum a sacerdote benedictio fidelibus impertitur » « servetur consuetudo » (6) ut nempe « incenset Sanctissimum » thuriferarius « toga et superpelliceo indutus » (7) in plano genuflexus.

Vult Illustrissimus Dom. Episcopus ut statim post quamlibet benedictionem cum ostensorio impertitam, etiam extra Laudes Vespertinas, recitentur a sacerdote, populo ipsi respondente, Laudes : *God zij gebenedijd*

---

(1) Decr. S. R. C. *Societatis Salesianæ*, 16 febr. 1906, ad III, 3 (ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 523).

(2) Decr. S. R. C. n. 3975, ad IV ; et *Societatis Salesianæ*, 16 febr. 1906, ad VIII (ap. *Collat. Brug*, t. XI, p. 524).

(3) Lib. II, cap. XXXIII, p. 27.

(4) Decr. n 1363[2].

(5) S. R. C. *Derthonen.*, 5 jul. 1907, ad I (ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 779). Cf. S. R. C. *Societatis Salesianæ*, 16 febr. 1906, ad V (ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 523.

(6) S. R. C. n. 3108, ad VI.

(7) *Statuta diœces.* tit. IV, art. IV, n. 3 (p. 159).

III. « Expositio **privata** differt a solemni [seu publica] quod illa fit cum pyxide, ista cum ostensorio » (1). Pro hac expositione, juxta Benedicti XIV constitutionem *Accepimus* et S. Rituum Congregationem (2) « Eucharistiæ tabernaculum solum aperiatur, et sacra pyxis clausa, suoque velamine obtecta populi oculis objiciatur... Verum penitus interdicitur sacram pyxidem... extra tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullum hujus ritus vestigium apud scriptores, nullaque Sedis Apostolicæ consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus », ita ut pyxis non possit exponi « in superiori parte tabernaculi, eo fine ut pyxis possit a frequenti populo bene videri » (3); neque in throno neque in altaris mensa exponi potest.

In fine hujusmodi expositionis licet pyxidem suo velo coopertam extrahere e tabernaculo ad *benedictionem* populo impertiendam (4). Imo juxta Statuta diœcesana (5) « benedictio cum sacra pyxide, sine expositione SS. Sacramenti, dari potest post primam et ultimam diei missam in ecclesiis in quibus viget hæc consuetudo ». Hoc autem servari vult Illustrissimus Episcopus ut, aperto tabernaculi ostiolo, ante benedictionem cantetur vel recitetur *Tantum ergo*, *Genitori* cum vers. *Panem* et oratione *Deus qui nobis* (6).

Et quamvis « pro expositione in pyxide *incensationem*

---

(1) Monitum nomine et auctoritate S. Rituum Congregationis in *Ephemerides liturg.* IX, p. 709 (ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 52.

(2) Decr. n. 3394, ad 1.

(3) Decr. S. R. C. *Vilnen.*, 16 febr. 1906, ad II (ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 521).

(4) Cf. Decr. S. R. C. nn. 2957; 3394, ad 2; 3833, ad III; n. 3666; 3888 ad III.

(5) Tit. IV, art. IV, 3.

(6) Decr. S. R. C. n. 3402, ad I, declaravit « non licere usum » quo « in quadam ecclesia... quotidie post secundam missam sacerdos, imposito sibi velo humerali extrahit e ciborio [tabernaculo] SS. Sacramentum et cum eo immediate benedicit populo et statim recondit, *quin prius vel postea aliquid dicat vel cantet* ».

non requiri » declaraverit S. Rituum Congregatio (1), servari tamen vult Reverendissimus Dom. Episcopus antiquum præscriptum ut « *ante* (non post) hanc benedictionem semper a sacerdote fiat thuris incensatio, per ministrum toga et superpelliceo indutum continuanda » (2).

Ad hanc autem benedictionem impertiendam potest sacerdos sed non debet uti pluviali, modo indutus sit superpelliceo et stola et assumat velum. Quodsi benedictio detur immediate post missam licet servare paramenta missæ « adhibito velo humerali super planeta » (3).

In expositione etiam privata, præter candelabra acolythorum, sex ad minus ardere debent cerei « in altari super candelabris » (4).

Pyxis — saltem si habeat pedem — quæ actu species consecratas continet, semper, etiam in tabernaculo, debet velari velo suo serico (5); similiter tabernaculum, dum in eo reconditur SS. Sacramentum, est cooperiendum conopæo, nisi obstet ipsa tabernaculi jam existentis structura (6).

C. Callewaert.

---

(1) In *Derthonen.* 5 jul. 1907, ad I (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 779); cf. n. 2957.

(2) *Statuta diæc.* tit. IV, art. IV, n. 3.

(3) Decr. S. R. C. n. 3833 ad. III.

(4) Decr. S. R. C. n. 1992; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 336 ss.; cf. *Statuta*, p. 160.

(5) *Rituale Rom.* tit. IV, c. IV, n. 9.

(6) Cf. Rit. Rom. tit. IV, c. I, n. 6; S. Rit. Congr. decr. nn. 3035, ad X; 3150; 3520; 3562; 4000 ad I; 1 jul. 1904. Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 668; XI, 269; XII, 236.

Consultationes

I

Q. Apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 351, nota 2 habetur: « Qui *dubitat*, non de malitia actus, sed de gravitate malitiæ, peccat graviter ». Cf. etiam t. VII, p. 446 et p. 583 ss.

Ex alia parte BOUQUILLON (1) dicit AA. varie loqui in supposito quod conscientia reipsa abstrahat a gravitate vel levitate malitiæ: alii nimirum docent semper fore mortale peccatum; alii fore mortale aut veniale, prout fuerit objectum; alii probabilius tenent esse veniale tantum.

Sed melius, uti videtur, responderi potest ad quæstionem istam sub distinctione: Qui committit actionem quam cognoscit esse malam, dubitat vero an sit graviter vel leviter mala, peccat graviter, si ita est dispositus ut, si sciret esse mortale, etiam committeret; peccat leviter, quando ita est dispositus ut non committeret, si sciret peccatum esse mortale.

R. Imprimis advertendum est immerito opponi doctrinam Cl. BOUQUILLON sententiæ quam proposuimus apud *Collat. Brug.*, *ll. cit.* Agit enim ipse de casu quo « conscientia reipsa abstrahat a gravitate vel levitate malitiæ », ita ut *ne confusa quidem* habeatur apprehensio malitiæ gravis (2) At qui agit cum conscientia practice dubia circa gravitatem malitiæ, nequit dici abstrahere a gravitate vel levitate materiæ (3).

Nunc ad rem. Doctrina ita potest summatim proponi: Qui ne confuso quidem modo apprehendit mali-

(1) *Institutiones theologiæ moralis fundamentalis*, Brugis, 1873, p. 386; item in edit. 2ª (1890), p. 684, nota 2; in edit. 3ª (1903), p. 710, nota 2.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 446.

(3) Cf. *ibid.*, p. 583 ss.

tiam gravem, nonnisi venialiter peccat, quia ignorans malitiam gravem nequit eam velle. Idem dicendum videtur de casu quo quis *de malitia* dubitat, præscindendo ab ejus gravitate vel levitate. Qui autem dubitat, non de malitia, sed de ejus *gravitate,* peccat graviter: ratio, quam attulimus (1), huc redit quod qui agit, hic et nunc dubitans utrum actio sit graviter peccaminosa necne, *censetur velle* istam actionem, etiamsi sit graviter mala.

An ideo dicendum quod semper adsit peccatum grave *formale?* Evidenter non. Ad peccatum grave formale requiritur *perfecta voluntarietas,* id est plena advertentia intellectus et plenus consensus voluntatis (2). Rem considerantes objective in theologia morali, dicimus: *Censetur velle*, sed si *de facto non velit* seu non consentiat in malitiam gravem, non committit peccatum mortale.

Unde responsum propositum in consultatione valet et utiliter adhiberi potest tamquam *regula practica*, ad judicandum quandonam de facto committatur peccatum *formale*, utrum mortale an veniale.

II

Q. Sacerdotibus qui operam suam impendunt pio operi Propagationis Fidei recensentur concessa varia privilegia, signanter benedicendi cruces cum indulgentia plenaria in articulo mortis, necnon cum indulgentiis Viæ Crucis. An etiam istis facultatibus fruuntur vicepastores, qui fere omnem pecuniam colligunt per parochos transmittendam?

R. In rescripto S. C. de Propag. Fide 5 Augusti 1889 describuntur variæ classes sacerdotum, quibus varia conceduntur privilegia. Ad positam quæstionem refertur prima classis, quæ sic describitur (3): « A tout

(1) Cf. *ibid.*, p. 585.
(2) Cf. *ibid.*, t. XIV, p. 351.
(3) *Nouv. Rev. théol.*, t. XXI, p. 606.

prêtre qui sera chargé dans une paroisse ou dans un établissement de recueillir des aumônes pour l'Œuvre de la Propagation de la Foi, quelle que soit d'ailleurs la somme qu'il recueille ». Comprehenditur ergo quivis vicepastor vel alius sacerdos, cui munus demandatum fuerit, in aliqua parœcia aut in aliqua communitate, colligendi eleemosynas pro dicto pio Opere, quantacumque sit pecuniæ vis quæ colligatur.

Privilegia autem ipsis concessa hæc sunt :

« 1° La faveur de l'autel privilégié trois fois par semaine ».

2° Le pouvoir d'appliquer les indulgences suivantes : aux fidèles qui sont à l'article de la mort, l'indulgence plénière (adhibenda est formula consueta ; hic non agitur de facultate quam insinuat consulens benedicendi cruces cum indulgentia bonæ mortis seu crucifixos bonæ mortis (1), sed de facultate dandi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis); aux chapelets ou rosaires, croix, crucifix, images, statuettes et médailles, les indulgences apostoliques (inter quas recensetur indulgentia plenaria in articulo mortis (2), de qua forsan agit consulens, sed non est propria crucibus, ut patet ex textu); aux chapelets, les indulgences dites de Sainte Brigitte.

3° La faculté d'attacher aux crucifix les indulgences du Chemin de la Croix ». Hanc facultatem explicatam invenies, ubi egimus de privilegiis Operis S. Infantiæ (3).

Juvat addere facultatem nuperrime concessam benedicendi rosaria, eisque adnectendi indulgentias a Crucigeris appellatas (4). Hæc benedictio fit unico signo crucis, uti expresse statuitur in concessione (5).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 234.

(2) Cf. *ibid.* et invenies elenchum indulgentiarum apostolicarum t. IX, p. 60.

(3) *Collat. Brug.*, t. X, p. 391, coll. t. XII, p. 234.

(4) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 305.

(5) Cf. etiam t. XII, p. 732.

Iterum in memoriam revocamus Rev^mum Episcopum Brugensem semel pro semper dedisse consensum, requisitum ad usum facultatum pii Operis Propagationis Fidei, « omnibus et singulis diœcesis nostræ sacerdotibus, pro tempore quo conditiones requisitas adimpleverint » (1).

Denique adverte illa privilegia esse concessa *ratione piæ collectionis eleemosynarum* adeoque, ut istis fruantur facultatibus, non exigi a sacerdotibus collectoribus, ut recitent quotidie preces præscriptas (unum *Pater* et *Ave* cum invocatione: *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis*) aut suum obolum hebdomadalem solvant (Decr. S. C. Indulg. 16 Julii 1887, ad IV).

III

Ut plurium occurramus dubio, notamus nonnulla *quoad rosaria:*

1. In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod « ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit imagines sive impressas, sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata vulgo *medaglie* nuncupata, quæ ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur » (2). Attamen ab hujusmodi benedictione non rejiciuntur *coronæ* seu *rosaria*, quæ ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur; specialiter possunt applicari indulgentiæ coronis ex vitro seu cristallo confectis, dummodo globuli sint ex vitro solido, atque compacto (*Decr. auth.*, n. 249, ad 1 et 2).

---

(1) Cf. *Acta Congreg. Prosyn. anni 1896* apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 384, sub VII. Vide etiam *Collat. Brug.*, t. X, p. 394, ubi de consensu Ordinarii requisito pro usu facultatum Operis S. Infantiæ, pro nonnullis etiam ad valorem.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 391.

2. Indulgentia concessa cadit *in globulos:* unde non amittuntur indulgentiæ, si catena disrumpatur aut renovetur, vel si crux aut numismata mutentur. Similiter non pereunt indulgentiæ, si nonnulli globuli, puta quatuor vel quinque, amittantur, quia corona perseverat moraliter eadem; possunt igitur addi alii globuli, quin requiratur nova benedictio (1).

IV

Q. Audivi existere aliquod responsum S. C. Indulg., vi cujus necesse non esset ad lucrandam indulgentiam plenariam orationi: *En ego, o bone, et dulcissime Jesu* etc. adnexam, orare ad intentionem Summi Pontificis. Quid juris?

R. Revera exstat hujusmodi responsum in *Decr. auth.*, n. 281, ad 4^{m}. At ibidem additur in nota: « Ex novissima tamen declaratione Pii Pp. IX diei 31 Julii 1858 necessarium est, ut Christifideles per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suæ pie orent (cfr. Raccolta pag. 115) ». Ergo standum est indicationi *Florilegii*, ed. 2^{a}, p. 66: « Ind. plen. *sub cond. ord.* » (2).

H. Mahieu.

(1) Cf. Beringer, *Les Indulgences*, (trad. Mazoyer), t. I (1905), p. 465.
(2) Cf. *Raccolta*, ed. 1898, p. 155.

Notæ Bibliographicæ

H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum cleri.

Libenter cum lectoribus communicamus epistolam sequentem ab auctore acceptam :

Secrétairerie d'État de Sa Sainteté.

Du Vatican, le 4 Mai 1910.

Monsieur le Directeur,

Il a été tout particulièrement agréable au Saint Père de recevoir l'hommage du livre intitulé : *Probatio charitatis,* que vous venez de publier avec l'approbation de Monseigneur votre évêque.

Faire connaître et développer de plus en plus la Vertu sacerdotale par excellence, la Charité, Reine de toutes les autres vertus, voilà ce que vous vous efforcez de réaliser, au moyen d'une très heureuse méthode, par la publication de ces méditations, comme par le précieux enseignement de la Théologie ascétique, si nécessaire et si fécond pour la formation des jeunes clercs appelés à devenir eux-mêmes les guides et les modèles des âmes qui leur seront confiées.

Le Saint Pére se plaît à encourager votre zèle, et, faisant des vœux pour que votre ouvrage produise les fruits les meilleurs, Il vous accorde de tout cœur la Bénédiction Apostolique.

Veuillez agréer, Monsieur le Directeur, l'assurance de mes sentiments bien dévoués en Notre Seigneur.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Monsieur J. MAHIEU
Directeur du Grand Séminaire
de
BRUGES.

R. P. Cros, S. J. *Enfants à la Sainte Table!* Le décret de 1905. Bruxelles, De Wit, 1910. In-16, p. 352.

Nous avons annoncé précédemment (t. XIII, p. 69) la première série des difficultés d'écoliers, à l'endroit de la communion fréquente et quotidienne. Voici maintenant une deuxième et une troisième série : cette dernière porte comme titre *Le décret de 1905.*

Prosper Baudot, S. J. *L'Evangile du prédicateur.* Manuel homilétique d'Evangile. Paris-Lille, Soc. St Augustin, s. d. [1909]. In-12, p. 676. Fr. 3,50.

L'auteur si apprécié de *Les Evangéliques* (*Collat. Brug.*, t. XIV, p. 700) offre à ses confrères du sacerdoce un Evangile du prédicateur, un instrument de travail en vue de la prédication si nécessaire de l'Evangile. Ce n'est pas un recueil de sermons tout faits, c'est un simple *manuel,* indiquant le travail à faire ; c'est un manuel *homilétique,* contenant une explication simple et pieuse de l'Evangile, en vue de la formation chrétienne des auditeurs. L'auteur donne le texte et fixe par des annotations rattachées au texte les questions que suggèrent les enseignements et les faits. Une série de plans plus détaillés forme une seconde partie du manuel.

Que le lecteur veuille bien ne pas s'y tromper : ce livre n'est pas écrit pour ceux qui prêchent les sermons d'autrui, ni même pour ceux qui veulent trouver vite la matière d'une instruction sur l'Evangile. Aider au travail et faire travailler, en éclairant les premiers pas, en suggérant des idées, voilà tout ce que s'est proposé l'auteur. Ce qu'il donne, est en apparence bien peu de chose ; mais le travailleur, qui veut utiliser et mettre en œuvre ces petites ébauches, trouvera, espérons-le, que c'est assez.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Expone occasionem et scopum Epistolæ ad Philippenses?

II

Demonstra resurrectionem hominum (quam futuram esse ex fide cognoscimus) non esse *naturalem*.

III

Da notionem pollutionis, eamque explica.

IV

An datur pollutio feminea, et in quonam consistat?

V

Le pape Libère a-t-il adhéré à l'Arianisme. Motivez votre réponse.

VI

Interprétez l'article 15 du décret du 23 prairial an XII.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

A. De Meester. *La guérison miraculeuse de Pierre De Rudder. Relation des deux premières enquêtes faites en 1875.* Roulers, J. De Meester, 1910, in-8, 61 p. Fr. 1.

H. Mahieu. *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum Cleri. Brugis, Beyaert, 1910. XX-539 pp. Fr. 2,25 (linteo religatum: 2,85).

H. Mahieu. *Het Brood des Levens.* Derde uitgave. Brugge, Beyaert, 1910. Fr. 1,25.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ VENERABILIBUS FRATRIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Editæ sæpe Dei ore sententiæ et sacris expressæ litteris in hunc fere modum, justi memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum (1), diuturna Ecclesiæ opera et voce maxime comprobantur. Hæc namque sanctitatis parens et altrix, juvenili robore vigens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum ejus in nobis* (2), quemadmodum justorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit, ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se præbet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalis hujus peregrinationis miseriis contuendis abducitur, quod beatos illos cælicolas *gaudium suum et coronam* esse jam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi cælestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis antiqua dicta confirmet: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (3). Horum autem præclara facinora, non modo sunt ad commemorandum jucunda, sed etiam ad imitandum illustria, et magnus virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinæ resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi* (4).

Ecclesia non solum sanctos gignit et fovet in terris

sed et eorum memoriam honorat

deque iis gaudet et gloriatur

eorumque exempla proponit imitanda.

(1) *Ps.* CXI, 7; — *Prov.* X, 7; — *Hebr.* XI, 4.
(2) *Rom.* VIII, 11.
(3) *Rom.* VIII, 28.
(4) I *Cor.* IV, 16.

Ut « omnia instaurarentur in Christo », proposuimus jam intuenda exemplaria

Jesum,

Mariam,

Sanctos,

Ob hæc, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut « omnia instaurarentur in Christo » ; datis primum encyclicis litteris (1) impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostræ, ... in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (2). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanæ licet naturæ, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater (3). Varias denique nancti occasiones recolendæ memoriæ sanctorum cælitum, communi admirationi objecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Ejus amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* (4), ut illorum exemplis adducti, *jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris ; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus* (5).

notatim SS. Gregorium M., Joannem Chrysost., Anselmum.

Altissimum hoc divinæ Providentiæ consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem ætas tulit, sed æque propemodum Ecclesiæ calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Joannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum sæcularia solemnia celebrari contigit per hos annos. Binis præterea Encyclicis Litteris datis IV Idus Martias anno MCMIV et XI Calend. Maias MCMIX, doctrinæ capita et christianæ vitæ præcepta, quotquot opportuna cadere in hæc tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

Hodie exhibentur exempla S. Ca-

At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustria Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque disceptationes (6) ; oblata feliciter

(1) Litt. Encycl. « *E supremi* » die IV Oct. MCMIII, (*Coll. Br.*, VIII, 581).
(2) *Hebr.* III. 1 ; — XII, 2-3.
(3) Litt. Encycl. « *Ad diem illum* », die II Feb. MCMIV, (*C. B.*, IX, 137).
(4) *Hebr.* XI, 33.
(5) *Eph.* IV, 11 seq.
(6) Encycl. « *E Supremi* ».

opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic ætati propiorem iisdemque pæne jactatum fluctibus Deus excitavit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos CCC a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: « Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit » novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suæ » opere statuit super Apostolicæ petræ arcem grande lumi- » nare, eligens sibi e gremio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ » Carolum, sacerdotem fidelem, servum bonum, formam » gregis, formam Pastorum. Qui videlicet multiplici fulgore » sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacer- » dotibus et populo præluceret quasi Abel in innocentia, » quasi Enoch in munditia, quasi Jacob in laborum toleran- » tia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti » zelo, quique imitandum exhiberet inter affluentes delicias » Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimiori- » bus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem sollicitu- » dinem, libertatem Ambrosii, Paulini caritatem, ac demum » videndum ac perspiciendum ostenderet oculis nostris, » manibus nostris contrectandum hominem, mundo maxime » blandiente, crucifixum mundo, viventem spiritu, terrena » calcantem, cælestia jugiter negotiantem et, sicut officio in » angelum substitutum, ita etiam mente et opere vitam » angelorum in terris æmulantem » (1).

roli Borromæi,

quem Paulus V maximis celebravit encomiis.

Hæc Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab impertitis eidem sacris honoribus, « merito repletum est gaudio os » nostrum et lingua nostra exsultatione in insigni die solem- » nitatis nostræ, ... in qua ... Carolo S. R. E., cui, auctore » Domino, præsidemus, Presbytero Cardinali sacris decer- » nendis honoribus, unicæ Sponsæ suæ nova imponeretur » corona, ornata omni lapide pretioso ». Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriæ sancti Viri, multoque magis ex ejusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et con-

Renovati Carolo honores gaudio Nobis sunt

et fiduciæ ex ejus documentis et exemplis debi-

(1) Ex Bulla « *Unigenitus* » an. MDCX, Cal. Nov.

litari posse et confundi errores modernos.

fundi omnes qui « gloriantur in simulacris errorum » (1). Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum hujus ætatis exstitit forma, sacræque disciplinæ in melius corrigendæ impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restinctio, quum solacio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instaurationis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

Ecclesia a Deo non deseritur unquam;

Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitatam Ecclesiam deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit ... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (2). Quin etiam, quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiæ callidiores afferre illi supremum videntur exitium,

quo magis premitur eo pulchrior emergit

usque adeo, ut filios non paucos de gremio ejus avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo præsentiorem experitur tutelam Numinis. Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendæ Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cujus altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorem *salutem ex inimicis nostris*. Ita fit ut, quo tempore Ecclesia profanis oculis videtur sævioribus jactata fluctibus ac pæne demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

et sic confirmatur opus esse divinum.

Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irrepentes in ipsa ejus membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (3); sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (4); sive denique quod arcanæ virtutis testimonium perhibeat, qua

(1) Ex eadem Bulla « *Unigenitus* ».
(2) *Eph.* V, 25 sqq.
(3) MATTH. XVI, 18.
(4) MATTH. XXVIII, 20.

promissus a Christo, maturo hujus in cælum reditu, *alius Paraclitus* in ipsam jugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in æternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit* (1). Hoc ex fonte vita et robur Ecclesiæ derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Œcumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et « tamquam signum levatum in nationes », a quavis alia societate secernitur (2).

Divinæ potentiæ prodigium est Ecclesiam, mediam in licentia et erroribus,

Nec sane absque divinæ potentiæ prodigio fieri potest ut, diffluente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctrinæ, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ex iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac justitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustæ a Deo vitæ habet indicium, quod in tam fœda pravarum opinionum colluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis,* in unius professione doctrinæ, in eadem communione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Idque eo plus habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam *vincit in bono malum,* nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renoventur. Est enim hoc proprium ejus munus in terris, cujus beneficia vel ipsi ejus inimici sentiunt.

firmam resistere malo

et vincere in bono malum.

Hoc evenit tempore S. Caroli.

Mirabilis hic Dei providentis influxus in instaurationis opus ab Ecclesia provectum luculenter apparet ea maxime ætate, quæ ad bonorum solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni fere perturbata et offusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus dimicatio, hominumque societas in pessima quæque ruens, gravem videbatur sibi conflare perniciem. Inter hæc superbi ac rebelles homines consurgebant, *inimici Crucis Christi ... qui*

Luctuosam morum conditionem

superbi homines

(1) Joan. XIV, 16 sqq. — 26, 59; — XVI, 7 sqq.
(2) Sessio III, c. 3.

non corrigere

terrena sapiunt ... quorum Deus venter est (1). Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendentes, omnia miscebant, latiorem sibi aliisque muniebant licentiæ viam, aut certe auctoritatem Ecclesiæ ductumque defugientes, pro lubitu corruptissimi cujusque principis populive, quasi imposito jugo, doctrinam ejus, constitutionem, disciplinam in excidium petebant. Deinde, iniquorum imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Væ qui dicitis malum bonum et bonum malum* (2), rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem appellarunt instaurationem, sese autem disciplinæ veteris restitutores. Re tamen vera corruptores exstiterunt, quod, extenuatis Europæ per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disjunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat; hoc est, primæ ætatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacræ libertatis vindicandæ, eam vitiorum luem ad disciplinæ eversionem, ad quam fortasse nec ætas media processerat.

sed Ecclesiam destruere quærebant,

prætendentes restaurationem, re autem vera Ecclesiam impugnantes

cruento certamine, domesticis erroribus, vitiorum lue.

Quibus Deus opposuit instauratores sanctos

Decipientium hominum turbæ Deus opposuit veri nominis instauratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum præcipitem retardarent ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo majori solacio Ecclesiæ fuit, quo graviori hæc premebatur angustia, comprobavitque sententiam: *Fidelis Deus, qui ... faciet etiam cum tentatione proventum* (3). Iis in adjunctis lætitiam Ecclesiæ cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis navitas vitæque sanctitas.

notatim Carolum Borromæum,

qui factiosis cohibendis et fidelibus erudiendis

Fuit autem in ejus ministerio, Deo sic disponente, propria quædam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum, sed etiam ad erudiendos Ecclesiæ filios atque excitandos. Illorum namque et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus omnium potentissima, suæ vitæ et actionis exemplo; horum vero spem erigebat, alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit

(1) *Philip.* III, 18, 19.
(2) Isai. V, 20.
(3) I *Cor.* X, 13.

plane mirabile, quod veri restauratoris dotes, quas in aliis disjunctas cernimus atque distinctas, ab juvenili ætate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium, doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam sibi catholicæ veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem erat Ecclesiæ universæ propositum, singulæ conspirarent, intermortuam in multis ac pæne restinctam excitans fidem, providis eam legibus institutisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores ad christianæ vitæ rationem strenue revocans. Sic, dum partes instauratoris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis, ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus;* plane dignus in quem cujusvis generis homines tum e clero tum e populo, divites æque ac inopes, tamquam in exemplar intueantur; cujus excellentiæ summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo* (1). Nec minus movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno ætatis suæ vicesimo, summos honores consecutus, magnis ac perarduis Ecclesiæ negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contemplationem rerum divinarum, qua in sacro secessu animum renovaverat, in dies magis contenderet, eluceretque *spectaculum ... mundo et angelis et hominibus.*

præditus erat dotibus omnibus veri restauratoris

et perfecti sacerdotis

Tum vere Dominus cœpit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, justitiam, divini honoris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque curam instaurandæ Fidei Ecclesiæque universæ, quod opus in augusto illo Tridentino Consilio agitabatur. Cujus habiti laus ab eodem pontifice ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui, non ante illius exsequutor exstiterit fidelissimus, quam propugnator acerrimus. Nec enim sine multis ejus vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum perducta.

et zelosi promotoris operis a Concilio Tridentino cœpti.

Hæc tamen omnia nihil erant aliud nisi præparatio quædam vitæque tirocinium, quo et pietate animus et mens

Se præparabat ad mu-

(1) I *Petr.* V, 3.

nus iis pietate et humilitate quas

doctrina et labore corpus exercerentur, ita ut modestus juvenis ac de se demisse sentiens instar esset argillæ in manibus Domini ejusque in terris Vicarii. Hanc scilicet

contemnunt rerum novarum fautores

rationem ineundæ viæ novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eâque exercitatione germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendæ messis, includi.

quibusque S. Carolus fructus retulit uberrimos;

Nihilominus, quod paullo superius attigimus, auspicata tam faustis initiis vitæ sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus uberrimos, quum, « urbano » splendore et amplitudine relictis, bonus operarius in mes- » sem quam susceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes » suas in dies magis implendo, agrum illum, malitia tempo- » rum, vepribus turpiter deformem ac silvescentem, in eum » restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem, præclarum » exemplum redderet ecclesiasticæ disciplinæ » (1). Tam multa tamque præclara is est consequutus conformando instaurationis opus ad normas a Concilio Tridentino paullo ante propositas.

Nam ad impugnanda vitia et errores

Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona* (2), cum vitiis et erroribus dimicare nunquam destitit, *ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato* (3). Qua in contentione, quemad-

requiritur gratia

modum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum;* ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini*

et interna renovatio.

spiritu mentis vestræ (4). — *Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (5). Quam quidem se metam contigisse Ecclesiæ filius atque instaurator non fictus existimat nunquam; ad eam tantummodo niti profitetur cum eodem apostolo; *quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt*

---

(1) Bulla « *Unigenitus* ».
(2) *Gen.* VIII, 21.
(3) *Rom.* VI, 6.
(4) *Ephes.* IV, 23.
(5) *Rom.* XII, 2.

priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (1).

Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia conjuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus ... augmentum facit in ædificationem sui in charitate* (2), et Ecclesia Mater in dies magis efficiat ratum sacramentum divinæ voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (3).

Horum obliviscuntur novatores etiam hodierni

Ad hæc animum non intenderunt auctores illi redintegrandæ suo marte fidei ac disciplinæ, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiæ doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

qui prætendunt cultioris humanitatis studium

sed volunt, sicut antiquiores, secedere ab Ecclesia,

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiæ fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quæ Caroli ætatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiæ venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

et similes ac antiqui concitant partes

Utriusque pestis origo eadem; *inimicus homo*, qui ad humanæ gentis perniciem haud sane exsomnis, *superseminavit zizaniam in medio tritici* (4); idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatium partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret; sic recentior ista clades mutuam exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque pœnam

(1) *Philip.* III, 13, 14.
(2) *Ephes.* IV, 15, 16.
(3) *Ephes.* I, 9, 10.
(4) MATTH. XIII, 25.

iis irrogatam, qui non *regnum Dei et justitiam ejus* quærunt, sed caducis his rebus fluxisque adhærescunt. Atque illud etiam graviorem facit præsentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinæ divinitus revelatæ thesauro certa quædam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem conjunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in præsens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiæ incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quæ pestiferum impietatis afflatum aut impensius fovent aut ferunt patientius.

sed eo graviores quod evertant omne fundamentum religionis

et societatis civilis,

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adjutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent præ ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinæ, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum ævi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

et quod adjuvantur a non paucis e nostris.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinæ capita pervertendo, hæc a Carolo sæpe commendata meminerimus: « Prima et maxima Pastorum cura » versari debet in iis quæ ad fidem catholicam, quam » S. Romana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impos-* » *sibile est placere Deo,* integre inviolateque servandam perti- » nent » (1). Et rursus: « In eo genere ... nullum tantum » studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi » possit » (2). — Quapropter « hæreticæ pravitatis fer- » mento », quod nisi cohibeatur *totam massam corrumpit,* hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinæ et reputandum cum Carolo: « quam summum in

Quare impugnationibus contra fidem

cum S. Carolo

opponamus doctrinæ sanitatem

(1) Conc. Prov. I, sub initium.

(2) Conc. Prov. V, Pars I.

» hæresis crimine profligando studium et cura quam longe » omnium diligentissima episcopi esse debeat » (1).

quam salvare maxime debent episcopi

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, pœnas in eos antistites constitutas, quibus purgandæ diœcesis ab « hæreticæ pravitatis fermento » esset cura remissior. Nonnihil tamen juverit ad ea quæ inde concludit diligenter attendere. « Proinde, inquit, in ea perenni sollicitudine » perpetuaque vigilia episcopus versari in primis debet, ut, » non modo pestilentissimus ille hæresis morbus nusquam » in gregem sibi commissum irrepat, sed omnis plane » suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero fortasse, » quod pro sua pietate et misericordia Christus Dominus » avertat, irrepserit, in eo maxime elaboret omni ope, ut » quam celerrime depellatur: quique ea labe infecti erunt, » vel suspecti, cum illis agatur ad canonum sanctionumque » pontificiarum præscriptum » (2).

præsertim in recta clori populique institutione.

Verum nec propulsari possunt errorum contagia nec præcaveri, nisi in recta cleri populique institutione pars curarum ponatur maxima. Nam *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (3). Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur, quum per omnes reipublicæ venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductæ a Carolo causæ hisce verbis: « Hæreticis finitimi nisi in fidei fundamentis firmi fuerint ac stabiles, summopere verendum » esset, ne forte ab eis in aliquam impietatis ac nefariæ » doctrinæ fraudem facilius adducerentur » (4). Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aucta commercia, projectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi *non est veritas... et non est scientia Dei* (5); *in terra quæ desolata est ... quia nullus est qui recogitet corde* (6). Quamobrem Nos, ut

(1) Ibid.
(2) Conc. Prov. V, Pars I.
(3) *Rom.* X, 17.
(4) Conc. Prov. V, Pars. I.
(5) Os. IV, 1.
(6) Jerem. XII, 11.

Qua in re Nos diligentiam adhibuimus

Caroli verba usurpemus: « multam hactenus diligentiam » adhibuimus, ut omnes ac singuli Christi fideles in fidei » christianæ rudimentorum institutione erudirentur » (1); eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras (2). Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplebili desiderio flagrans Borromeus queritur, « parum huc usque profecisse tanta in re » ; nihilominus eadem, qua ipse, « negotii periculique magnitudine adducti »,

sed velimus omnibus addere stimulos

addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianæ restaurationis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem

ut rudimenta fidei doceant

constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendæ christianæ doctrinæ, non solum copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoria ne excidat,

et scholas instituant christianas

in fidei rudimentis tradendis a se operam dandam esse curioni; huic vero studendum, ut ejusmodi scholæ suppetant plures, christifidelium numero ac necessitati pares et magistrorum probitate commendabiles, quibus adjutores adsciscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse præscribit antistes (3).

magis hodie necessarias ob scholam

Christianæ hujus institutionis aucta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissima quæque rideri voluptatis

quam neutram vocant

loco fere ducitur, æque pronis ad impietatem et magistrorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram,* seu *laicam* per summam injuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebricosæ sectæ dominatus præpotens. Novum hoc præposteræ libertatis jugum magna quidem

quam Episcopi denuntiarunt merito.

voce et bonis lateribus denuntiastis vos, Venerabiles Fratres, præsertim in locis ubi audacius proculcata sunt jura religionis ac familiæ et oppressa naturæ vox imperantis ut adolescentium candori fideique parcatur. Cui calamitati ab iis illatæ, qui, quam ab aliis obœdientiam exigunt, eandem

---

(1) Conc. Prov. V, Pars. I.

(2) Encycl. « *Acerbo nimis,* » die XXV m. Aprilis MDCCCCV (*Collat. Brug.*, X, 337).

(3) Conc. Prov. V, Pars. I.

supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholæ religionis opportune per urbes instituerentur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospereque processit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius proferatur, hoc est ut ejusmodi magisteria et pateant ubique complura et præceptoribus abundent doctrinæ laude vitæque integritate commendatis.

Deinde prædicatio, ad exemplum S. Caroli, est curanda

Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde conjunctum est officium sacri oratoris, in quo memoratæ virtutes multo magis requiruntur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodis ac diœcesanis eo potissimum fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui *in ministerio verbi* versari sancte atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quæ modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandæ gloriolæ cupidine, ingenio ætatis indulgeant, *adulterantes verbum Dei*, vitæque cibum subducentes fidelibus.

ut solide doceat veram fidem

Quamobrem summa vigilantia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grex; sed ut vitali alimento roboretur per *ministros verbi*, ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo* (1); — *per ministros et legatos non ambulantes in astutis, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo* (2); — *operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis* (3). Nec minus usui nobis erunt normæ illæ sanctissimæ maximeque frugiferæ, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis* (4).

et ad virtutem informet.

Ita *sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio* (5), non solum ad fidei conservationem ac tutelam adducet, sed etiam ad virtutum proposita mire animos inflammabit; quia

(1) II *Cor.* V, 20.
(2) II *Cor.* IV, 2.
(3) II *Tim.* II, 15.
(4) I *Thess.* II, 13.
(5) *Hebr.* IV, 12.

fides sine operibus mortua est (1), et *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (2).

Falsi novatores, a fide sejungunt obligationes morales;

Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instaurationis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnant, ii stultorum imitati inconstantiam, præcipiti cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic efferentes, ut ab ea recte agendi necessitatem sejungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinæ gratiæ præsidiis. Quo fit ut, quæ a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diuturna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinæ, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

contrà veri instauratores a Christo hauriunt robur vitæ internæ et normam actionis externæ

Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minimeque fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiæ ejusque Capiti Christo firmissime adhærentes, non modo inde robur vitæ interioris hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandæ hominum societatis opus tuto aggrediantur. Est autem proprium divinæ hujus missionis, in eos perpetuo transmissæ qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes*, non solum ea quæ ad credendum, sed etiam quæ ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quæcumque mandavi vobis* (3). Ipse enim est *via, veritas et vita* (4), qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (5). Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanæ vires ipsæ per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adjunctum habet christianæ regimen societatis ejusque ad omnem sanctitatem instituendæ munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adjutoresve præbent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes veræ in-

(1) *Jacob.* II, 26.
(2) *Rom.* II, 13.
(3) MATTH. XXVIII, 18, 20.
(4) JOAN. XIV, 6.
(5) JOAN. X, 10.

staurationis auctores, non ii surculos, præservandæ radicis gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitæ sanctitate sejungunt, sed utramque alunt foventque halitu caritatis, quæ *est vinculum perfectionis* (1). Iidem, dicto audientes Apostolo, *depositum custodiunt* (2), non ut gentibus notitiam ejus occulant lumenque subducant, sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitæ saluberrimos rivos latius recludant. In eâque copia doctrinam ad usum adjungunt, illa utentes ad præripiendam *circumventionem erroris,* hoc ad præcepta in mores actionemque vitæ deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparant, quum ad exstirpationem peccati, tum *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* (3). Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta, canones, leges; huc adjumenta illa doctrinæ, regiminis, beneficentiæ omne genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiæ universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiæ filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos crebro memorat, in instauranda Ecclesiæ disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: « Nos » veterem sanctorum Patrum sacrorumque Conciliorum » consuetudinem et auctoritatem, in primis œcumenicæ » Synodi Tridentinæ secuti, de iis ipsis multa superioribus » nostris Conciliis Provincialibus constituimus ». — Idem ad consilia publicæ corruptelæ coercendæ adductum se profitetur « et sacrorum canonum jure et sacrosanctis sanctio» nibus, et Concilii in primis Tridentini decretis » (4).

ideoque simul et fidem docent et sanctitatem,

adhibitis mediis ad hoc aptis vel necessariis.

His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: « Omnia et singula quæ a nobis in » hac provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus » obœdientia et reverentia, auctoritati ac judicio Sanctæ » Romanæ Ecclesiæ, omnium ecclesiarum matris et magi» stræ, semper emendanda et corrigenda subicimus » (5).

Exhibuit S. Carolus submissionem erga S. Sedem

(1) *Coloss.* III, 14.
(2) I *Tim.* VI, 20.
(3) *Eph.* IV, 12.
(4) Conc. Prov. V, Pars I.
(5) Conc. Prov. VI sub finem.

Quam quidem voluntatem ostendit eo propensiorem, quo in dies magis ad actuosæ vitæ perfectionem grassabatur; nec solum quamdiu cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adjunxit eorumque exspectationi cumulate respondit.

maxime in instauratione

Potissimum vero ipsorum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacræ disciplinæ instaurationem. Qua in re prorsus abfuit ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciæ suæ. Itaque, incipiens *judicium a domo Dei* (1), primum omnium cleri disciplinæ ad certas leges conformandæ animum adjecit; cujus rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregationes, queis nomen *oblatis*, instituit, religiosas familias tum veteres tum recentiores adscivit, concilia coegit, quæsitis undique præsidiis cœptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissiorem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetæ: *Ecce constitui te hodie ... ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et ædifices et plantes* (2). Quare bonus pastor ecclesias provinciæ ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransiit benefaciendo et sanando* gregis vulnera; quæ passim deprehenderet incommoda, sive ex inscitia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pravitati et exundanti cœno libidinum quasi aggerem objecit a se apertos puerilis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo fœnore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Hæc autem sic præstitit, ut ab eorum consuetudine toto cælo abhorreret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia

disciplinæ cleri

et morum populi.

Quam reformationem peregit sine strepitu

(1) I *Petr.* IV, 17.
(2) Jer. I, 10.

cient agitantque vanissimo strepitu, divinæ vocis immemores: *non in commotione Dominus* (1).

Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (2), pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta teipsum mundo* (3), superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cujus temeritatis causa, quod etiamnunc fieri sæpe dolemus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prœlium* (4). non quærens gloriam propriam

Contra qui societati hominum ad meliora deducendæ sincero animo studet, is *non propriam gloriam quærit, sed gloriam ejus qui misit eum* (5); seque ad Christi exemplum conformans, *non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; — non erit tristis neque turbulentus* (6), sed *mitis et humilis corde* (7). Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos. sed Christi.

In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum* (8); hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur exspectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortat* (9). Non innixus propriis viribus

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quærit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quæ fiunt *quasi fons aquæ salientis in vitam æternam* (10). Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbu- recurrit ad sanctificationis media

(1) III *Reg.* XIX, 11.
(2) *Philip.* II, 21.
(3) Joan. VII, 4.
(4) I. Machab. V, 57, 67.
(5) Joan. VII, 18.
(6) Isai. XLII, 2 sq. — Matth. XII, 19.
(7) Matth. XI, 29.
(8) Jer. XVII, 5.
(9) *Philip.* IV, 13.
(10) Joan. IV, 14.

lentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseclæ, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, præsertim sacramenta duo, quibus aut admissa pænitentium expiantur, aut cælesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinæ caritatis opus hominum studia restingui.

quæ a falsis novatoribus ludibrio habentur,

præsertim sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ,

Ita plane se gessit Borromeus, cujus inter cetera hoc scriptum legimus: « Quo major et uberior est sacramentorum » fructus quam ut ejus vis explicari facile possit, eo diligen- » tius et intima animi pietate et externo cultu ac veneratione » tractanda ac percipienda sunt » (1). Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliosque sacros concionatores vehementer hortatur, ut cælestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus*. « Ad salu- » berrimum illum, ait sanctus Antistes, sacræ Eucharistiæ » frequenter sumendæ usum, parochi ... et concionatores » item quam sæpissime populum cohortentur, nascentis » Ecclesia institutis atque exemplis, et gravissimorum Pa- » trum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi » romani doctrina, et sententia denique Tridentinæ Synodi, » quæ optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum » spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ per- » ceptione communicare » (2). Qua vero mente, quo animo adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: « Popu- » lus, cum ad frequentem SS^mi^ Sacramenti sumendi usum » excitetur, tum etiam commonefiat, quam periculosum » exitiosumque sit ad sacram divini illius cibi mensam » indigne accedere » (3). Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime hæc tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (4).

quorum instanter est commendanda susceptio

simul et in susceptione debita dispositio et reverentia.

(1) Conc. Prov. I, Pars II.
(2) Conc. Prov. III, Pars I.
(3) Conc. Prov. IV, Pars II.
(4) I *Cor.* XI, 28.

Ex iis fontibus dives gratiæ vena manabit, unde succum trahant et alantur humanæ quoque ac naturales industriæ. Nec enim actio christiani viri quæ usui sunt et adjumento vitæ despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiæ ac naturæ profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitæ finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adicientur vobis* (1).

Ex his fontibus promanat etiam bonum naturale

Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, idest societatis civilis bono adversetur, ut potius hujus commoda maxime provehat; nec id inani verborum jactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa contentione, usque ad bonorum, virium, vitæque jacturam. Cujus exempla fortitudinis præ ceteris exhibent sacrorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiæ afflictis, Caroli ardorem æmulati, divini Magistri ratas efficiunt voces: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (2). Hi quidem, non gloriæ cupidine, aut studio partium, aut privati alicujus commodi causa, ad se devovendos pro communi salute trahuntur, sed caritate illa quæ *nunquam excidit.* Hac flamma, quæ profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob præstitam lue correptis operam se in mortis discrimen conjecisset, nihilominus præsentibus occurrisse malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit: « Omni rationi plane consentaneum est, ut, que-
» madmodum parens optimus, qui filios unice diligit, cum
» in præsenti tum in futuro eis prospicit ac parat quæ sunt
» ad vitæ cultum necessaria; ita nos paternæ charitatis
» officio adducti, omni præcautione fidelibus provinciæ no-
» stræ in hoc Concilio provinciali quinto consulamus pro-
» videamusque deinceps quæ experiendo cognovimus, pesti-
» lentiæ tempore, salutaria esse adjumenta » (3).

et societatis civilis

ut apparet ex fortitudine et caritate episcoporum qui se devovent pro communi salute.

Eadem hæc providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam sæpe commendavimus, catholicam

(1) Luc. XII, 31. — Matth. VI, 33.
(2) Joan. X, 11.
(3) Conc. Prov. V, Pars II.

Hujusmodi actio catholica commendatur.

actionem, in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii hujus amplissimi, quod officia omnia misericordiæ, sempiterno donanda regno complectitur (1), selecti etiam e populo advocantur viri. Qui, ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiæ, obtrectationi et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi* (2), et currendum *per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (3). Acerbum sane luctæ genus, sed ad bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriam remoretur dies.

S. Carolus obnoxius fuit persecutioni,

In his etiam, quæ modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quæ pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (4). Itaque quod asperioris vitæ sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum justitiæque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in se invidiam collegit; reipublicæ gerendæ peritorum vafris artibus est objectus; magistratus habuit infensos; in optimatium, cleri populique suspicionem venit; flagitiosorum denique hominum capitale odium sibi conflavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo restitit.

cui nihil cessit

Nec modo nihil cessit in iis quæ fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem excepit adversas disciplinæ aut fideli populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo* (5), atque apostolorum vocis: *obœdire oportet Deo magis quam hominibus* (6), non de causa tantum religionis optime

inde optime

(1) Matth. XXV, 34 sq.
(2) II *Tim.* II. 3.
(3) *Hebr.* XII, 1, 2.
(4) II *Tim.* III, 12.
(5) Matth. XXII, 21.
(6) *Act.* V, 29.

meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiæ pœnas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus pæne submersam abduxit certissimæ morti.

meritus de religione et societate civili.

Eadem sane laus et gratia debebitur catholicis hujus temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullæ officiorum partes, quæ civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia *dominis etiam dyscolis* justa præcipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, æque remota tum procaci licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abjectione excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine jura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitutem.

Sic laudabiliter agunt catholici et episcopi erga auctoritatem civilem

Hæc nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce præsentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum*. Quo præpotenti sub dominatu jura omnia filiorum Ecclesiæ miserrime proculcantur, exstincto penitus in reipublicæ rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquæ libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum jugum, per unam Christi Familiam ejusque invectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum præcipitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est « certum atque » exploratum, nulla alia re Deum gravius offendi, nullaque » ad vehementiorem iram, quam hæresum labe provocari; » nihilque rursus ad provinciarum regnorumque interitum » majores vires habere, quam teterrimam illam pestem » (1). Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiæ sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quæ propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci justitiæ ac veritatis oppugnatione; cujus utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque

quæ contra Ecclesiam movet persecutionem

funestiorem quam tempore S. Caroli.

(1) Conc. Prov. V, Pars I.

se neutris in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictitent, mellitis quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibrium, fraudem violentiæ. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetitur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnæ antea pugnatæ, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

Hujus sancti gloria nobis erit documentum fortitudinis, motivum fiduciæ.

Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici juris, alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoriam deproperaturum. Cui fiduciæ robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque ætatem vis et potentia, sive ad intemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

Demus gloriam Sancto ut ipse nobis adsit patrocinio.

Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus pluries memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: « Æquum est igitur dare nos gloriam et honorem » et benedictionem viventi in sæcula sæculorum, qui bene- » dixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, » ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum » dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac » nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad » divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut Carolus » Ecclesiæ quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et » exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracundiæ fiat » reconciliatio, per Christum Dominum nostrum » (1).

Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicæ benedictionis auspicium, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cujusque clero populoque peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Maii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

---

(1) Bulla « *Unigenitus* ».

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. S. Paulus de « Evangelio suo » in variis Epistolarum locis loquitur (I Thes. 1, *5; II Thes.* 2, *13; Gal.* 1, *11;* 2, *11; I Cor.* 15, *1; II Cor.* 4, *3; Rom.* 2, *16;* 16, *25; II Tim.* 2, *8). Expone quid dicta locutione intelligat.*

I. **Respondetur.** *E variis locis ubi Paulus de* **Evangelio suo** *loquitur, patet hoc nomine S. Paulum evangelicæ prædicationis conceptum seu formam intelligere quæ ipsi ut Apostolo Gentilium erat propia quasi et essentialis, quamque semper verbis et litteris inter Gentiles secutus est, et contra judaizantes strenue defendit.* — Hæc prædicationis evangelicæ forma quam Paulus immediata revelatione acceperat, a reliquorum Apostolorum prædicatione substantialiter diversa non erat; verùm S. Paulus suà normà determinatas quasdam veritates maturius et magis quam illi inculcabat. Hæ autem veritates ad Pauli evangelium præcipue pertinuisse videntur: Gentiles æque ac Judæi ad salutem messianam vocati sunt; abolita est lex Mosaica ritualis, adeoque omnes christiani, in specie Ethnico-conversi a servitute Legis, maxime circumcisionis liberati sunt; justificatio per fidem in Christum non autem per opera Legis est obtinenda; fideles Christo per baptismum incorporantur et cum Christo capite unum corpus mysticum efficiunt, quod est Ecclesia; Christus in fine sæculi ad omnes homines tam vivos quam mortuos judicandos gloriosus redibit (1).

---

(1) Cf. egregium opus PRAT, *La théologie de S. Paul*, t. I (Paris, 1908), p. 52 ss.; LEMONNYER, *Les Epîtres de S. Paul*, Paris, 1905, t. I, p. XVIII ss.;

II. **Explicatur Responsum.** 1/ **Evangelium** (etim. εὐ-ἀγγέλιον = bonus nuntius) in Scripturæ sacræ libris significat bonum nuntium a Deo derivatum de salute hominum libere ab Ipso per Christum procurata et per Apostolos prædicata. In Scriptura Evangelium de libro scripto seu de narratione evangelica scripta nunquam dicitur (1). Unde meritò penitus derelicta est opinio cujus mentionem facit S. Hier. (2): « Quidam suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit *juxta Evangelium meum,* de Lucæ significare volumine ». Cùm ubique in sacris Litteris Evangelium significet salutis messianæ lætum nuntium seu præconium, « Evangelium Pauli » in hujus epistolis eam prædicationis evangelicæ formam significat quæ Paulo quasi propria erat et essentialis, uti laudatos epistolarum textus legenti ac perpendenti facile patebit (3).

2/ S. Paulus meritò affirmat se *suum* habuisse *Evangelium* seu propriam prædicationis evangelicæ formam ac conceptum. Sane, uti patet ex oratione S. Pauli ad Judæos Antiochiæ Pisidiæ et quam S. Lucas in Actis 13, 16-41 refert, S. Paulus *Judæis* eamdem (4) primævam catechesim proponebat ac S. Petrus (cf. *Act.* 2, 14-36; 3, 12-26; 10, 34-43; 11, 4-18). Verùm statim ac Apostolus, qui in conversionem Gentium se a Deo peculiari modo destinatum sciebat (*Act.* 9, 15), Gentiles

---

Cornely, *Commentarius in Epistolam ad Romanos,* Parisiis, 1896, p. 139; Hagen, *Lexicon biblicum,* t. II (Parisiis, 1904), c. 240 s., Azibert apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible,* art. Evangile.

(1) Qui usus vocis ad tempora posteriora pertinet. Ita tituli Evangeliorum « secundum Matthæum » etc. non ab ipsis auctoribus, sed posteriori tempore fuerunt affixi.

(2) *De Vir. ill.,* VII.

(3) In varias significationes vocis « Evangelii » a « bono nuntio » per metonymiam partis pro toto derivatas, hic non ingredimur; de quibus videsis Lexica biblica.

(4) Adverte tamen quomodo jam in vv. 38-39 magna doctrinæ capita doceat, postea in variis epistolis evolvenda. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum,* Brugis 1910, p. 275. Uti ait Lemonnyer, *o. c.,* p. XXVI: « C'est la marque paulinienne du discours ».

alloquitur, principium fundamentale Evangelii sui (sc. salutem messianam omnibus hominibus offerri, eamque per solam fidem in Christum obtinendam esse) proclamat, maxime postquam Judaizantes circumcisionem aliosque ritus Mosaicos velut ad salutem necessaria vel saltem utilia jactaverant (1). Evangelium « suum » Paulus adversus Judaizantes strenue defendit, maxime in Concilio Hierosolymitano (2) et in Ep. ad Galatas (3). Varia autem doctrinæ puncta quæ Paulinum evangelium constituunt, Apostolus in concionibus suis (quarum quasdam compendiose proponit liber Actuum) et in Epistolis decursu temporis evolvit ac illustravit, prouti temporum locorumque adjuncta id suadere vel expostulare videbantur (4).

3/ *Pauli Evangelium a prædicatione aliorum Apostolorum substantialiter non differebat.* Magna quidem olim difficultas mota est de doctrina circa valorem ac vim obligandi Legis ac legalium, quasi Paulus contra sententiam aliorum Apostolorum, maxime Petri et Jacobi, docuisset Legem esse abolitam, circumcisionem ac reliqua præcepta ritualia neque Judæo-christianos neque Ethnico-christianos obligare. Verùm, suprà t. IX, p. 620 ss. ostendimus hæc scholæ Tubinganæ placita nulli solido niti fundamento (5). Cæterùm ipse S. Paulus *Gal.* 2, 1 ss. data opera demonstrat primarios Aposto-

---

(1) Cf. quæ de Judaizantibus disputavimus apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 566 ss.

(2) Cf. *Act.* **15**, 1-29: De causa propter quam ille conventus fuerit celebratus, cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 566 ss.; de decreto apostolico ibidem lato videsis *Collat. Brug.*, t. IX, p. 620 ss.; 682 ss.; VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 299-308.

(3) In qua jam mitigatam Judaismi formam Paulus impugnat; cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 682 ss. Cf. etiam Ep. ad Rom.

(4) De quo utiliter leges LEMONNYER, *o. c.*, p. XXIV-XXXIV.

(5) De hac quæstione cf. opus haud satis laudandum THOMAS, *Mélanges d'histoire et de littérature religieuse*, Paris, 1899, p. 1 ss. Cf. etiam VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 55; MASSIE apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh art. Gospel.

los, Jacobum, Cepham et Joannem in concilio Hierosolymitano, tùm in privato tùm in publico conventu approbavisse « Evangelium quod prædicabat in Gentibus » absque onere legalium, imo ipsi et Barnabæ « dextras dedisse societatis », i. e. datis dextris significasse et confirmasse mutuam societatem et communionem in doctrina et apostolatu.

Attamen S. Paulus ipsa natura apostolatùs sui inter Gentiles motus, et perpetua quam patiebatur insectatione Judaizantium coactus, non tantùm primus inter Apostolos doctrinam de inanitate legalium et de justificatione per fidem obtinenda palam publicavit et universaliter in praxim deduxit, verùm etiam sæpe sæpius ex professo verbis et scripto inculcavit. Sciebant quidem alii Apostoli Gentiles aliquando ad fidem christianam esse vocandos (1); de facto tamen primis post Christi mortem annis plura legalia observabant (2) et Evangelium solis Judæis prædicabant, ità ut tempus ac modus evangelizationis Gentilium ignorare viderentur, atque speciali revelatione S. Petrus permotus fuerit ut Cornelium gentilem ejusque domum in Ecclesiam admitteret. De vocatione Gentilium S. Paulus præ cæteris Apostolis divinitùs edoctus fuit. Etenim

4/ *Evangelium suum Paulus immediata revelatione didiccrat.* Ita Epistolam ad Galatas (in qua apostolicam suam auctoritatem, atque intrinsecam veritatem doctrinæ suæ de justificatione per fidem vivam in Christum obtinenda demonstrat) hac solemni declaratione exor-

---

(1) Cf. *Mt.* **28**, 19; *Act.* **2**, 39; **3**, 25.

(2) Cæterùm illi usus permanere quidem poterant et observari tanquam honorificum pristini fœderis memoriale, velut patrii usus, origine et antiquitate venerabiles. S. Paulus legalia ut per se et naturâ suâ ad salutem indifferentia habebat (Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 20 ss.). At vero quotiescumque a christianis neophytis legalia usurpabantur tanquam instituta ad salutem requisita, vel ad majorem perfectionem positive conducentia, vel modo quo unitati in communitatibus christianis servandæ obstarent, S. Paulus ea vehementer reprobavit ac talia jactantes acriter impugnavit.

ditur: « Paulus Apostolus (verus ac proprie dictus, constitutus) non ab hominibus neque per hominem (mediantem) sed per Jesum Christum (mediatorem) et Deum Patrem » (qui per Jesum resuscitatum me ad apostolatum vocavit). Dein, paulo infra (*Gal.* 1, 11 ss.), diserte probat se « Evangelium » immediate a Christo accepisse: « Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed *per revelationem Jesu Christi* ». Quod ex historia vitæ suæ, tùm pro tempore in Judaismo transacto, tùm pro tempore conversionem suam subsecuto, accurate demonstrat (1).

Facta est Paulo hæc revelatio Evangelii partim et præcipue quando Christus ei apparuit in via ad Damascum (*Act.* 9, 4-6), partim in sequentibus apparitionibus (2), uti jure colligimus ex his Christi ad eum verbis: « Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, *et eorum quibus apparebo tibi* » *Act.* 26, 15-16). Quæ subsequentes revelationes Evangelii cognitionem, in ipsa conversione acquisitam, profundiorem Paulo subministrarunt, quam Apostolus Gentium intellectu suo valde acuto et gratiâ adjuto magis magisque excoluit (3)

Ita doctrina Pauliniana (4) de corpore Christi mystico seu de insertione fidelium Christo, capiti Ecclesiæ, per gratiam Baptismatis, radicitus continetur in hoc Christi verbo: « Saule, Saule, quid *me* persequeris » (*Act.* 9, 5). Paulus ipsam Christi personam directe non perseque-

(1) Cf. Rose, *Revue biblique*, 1902, p. 325. Lege etiam *Eph.* **3**, 3-13, ubi compendium Evangelii sibi *revelati* Paulus proponit.

(2) Quæ tamen apparitiones seu visiones naturâ differunt ab apparitione prope Damascum, uti ostendimus in opella *De bekeering van den H. Paulus*. (Geloofsonderricht, Reeks A, n. 12), Rousselare, 1910, p. 35 s.

(3) Essentialem igitur evolutionem seu transformationem in doctrina Pauli, intellectui ejus ratiocinanti atque intimæ Apostoli experientiæ tribuendam (qualem Rationalistæ adstruunt) omnino respuimus.

(4) Cf. e. g. *Col.* **1**, 18, 24; *Eph.* **4**, 15; *I Cor.* **10**, 17; **12**, 27 etc.

batur: quodsi cædendo discipulos, ipsum Magistrum feriebat, logice inde consequebatur intima unione supernaturali discipulos magistro, velut membra capiti suo, fuisse conjunctos (1). — Pariter doctrinam de sorte justorum qui tempore reditus Christi ad judicium vivent, velut speciali revelatione Domini sibi communicatam (2) proponit.

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Indica genuinam mentem concilii Viennensis (1311-1312) damnantis doctrinam asserentem quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ vere ac per se non sit forma humani corporis.*

R. 1. Concilium Viennense directe damnavit errorem Petri Joannis Olivi (1248-1297), docentis animam *intellectivam* non esse *per se* formam corporis humani (3).

Ut autem sensum prædictæ definitionis perspiciamus, consideremus oportet ab Olivi non plures a se invicem distinctas poni animas in homine, sed *unam* tantum. Hæc tamen anima, licet una, *non* est *simplex:* censebat enim Olivi in una anima esse distinguendas diversas partes vel quasi-partes, scilicet partem materialem, partem sensitivam ac partem intellectivam. Porro dicebat per se et immediate esse formam corporis hu-

(1) Cf. PRAT, *o. c.*, p. 49. « Membris adhuc positis in terra, caput clamabat de cælo ». Ita S. AUG., *Sermo XIV de Sanctis.*

(2) Ad sedandas nempe anxietates Thessalonicensium (*I Thes.* **4**, 14 ss.). Sic varia apostolatùs ejus adjuncta tùm principiis Evangelii sui fundamentalibus magis magisque perscrutandis, tùm novis revelationibus accipiendis ansam præbuerunt.

(3) Cf. JANSEN, *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1908, p. 289 ss., 475 ss.; PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, Toulouse, 1909, t. IV, p. 269 ss.; *Revue néo-scolastique*, 1909, t. XVI, p. 143 s.

mani animam quatenus est materialis et sensitiva, non vero quatenus est intellectiva (1).

Concilium vero Viennense hanc sententiam damnat, non quatenus affirmat distinguendas esse in anima humana partem materialem, partem sensitivam et partem intellectivam, sed quatenus negat animam *qua intellectivam* esse vere, *per se* et *essentialiter formam* compositi humani (2).

2. Ratio autem præcipua cur hanc opinionem damnaverit concilium videtur esse quia ex hoc concludi posset a Verbo Incarnato non assumptam fuisse animam humanam *intellectivam*, quum esset vere homo si humanitas assumpta informaretur sola anima sensitiva. Inde in concilio dicitur : « Confitemur unigenitum Dei Filium... partes nostræ naturæ simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus existens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et *animam intellectivam* seu rationalem, ipsum corpus *vere per se* et *essentialiter informantem*, assumpsisse » (3).

3. Non igitur a concilio Viennensi directe damnatus fuit *trichotomismus*, h. e. doctrina docens in homine tres

---

(1) Opinio Olivi sic exprimitur : « Dico quod pars animæ intellectiva non unitur corpori ut forma, quamvis uniatur ei substantialiter. Ibi etiam dico, quod anima rationalis est forma corporis non per partem materialem nec intellectivam sed solum per partem sensitivam ». JANSEN, *o. c.*, p. 483 s.

(2) « Les principes de la vie végétative, sensible et intellectuelle constituent pour Olivi, trois formes substantielles distinctes, plongeant leurs racines dans une matière spirituelle et donnant naissance par leur union à *une* âme humaine. Ni la pluralité des formes, ni l'existence de la matière spirituelle ne constituaient une nouveauté au temps d'Olivi... Mais sur cette doctrine toute franciscaine, Olivi vint greffer une thèse des plus hardies : il soutint que la forme intellective n'informe pas *directement* le corps humain ; son union avec le corps n'est pas *formelle*, bien que substantielle. . La définition du concile (de Vienne) laisse entière la question de la pluralité des formes dans l'homme, mais elle implique que toute forme substantielle informe *par elle-même* et *essentiellement* le composé ». DE WULF, *Histoire de la philosophie médiévale*, Louvain, 1900, p. 304 s.

(3) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 480.

esse formas seu tria principia vitæ seu tres animas, vegetativam, sensitivam et intellectivam; nec directe fuit definita unicitas animæ humanæ (1).

4. Attamen ex hoc quod anima humana, quà *intellectiva*, est *essentialiter* et *per se ipsa* forma corporis humani, logice sequitur hanc esse *unicam* formam substantialem hominis: si enim anima intellectiva est ipsa *per se* forma, et quidem *substantialis* (2), corporis humani, oportet ut ipsa formaliter constituat hominem in propria sua essentia, aliis verbis ut ipsa faciat ens hoc esse hominem, et tale vivens. Quodsi per animam intellectivam constituitur ens in esse hominis, non potest in homine dari alia forma substantialis, nec aliud principium, primum vitæ humanæ (3).

Hæc doctrina de unicitate animæ humanæ ad doctrinam catholicam nunc saltem pertinet, ita ut contradictoria sententia videatur dicenda *erronea*. Pius enim IX declarat: « Sententiam, quæ unum in homine ponit vitæ principium: animam scil. rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiæ dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio nec proinde sine errore in fide possit negari » (4).

---

(1) Qui tempore concilii Vienniensis admittebant tres animas, simul admittebant unitatem substantiæ vel saltem naturæ in homine: quia censebant illas formas sese mutuo complere, ita ut ex materia informata triplici forma exsurgat *unum* ens *completum*. Præterea dicebant illas tres formas radicari in uno *principio*. Cf. Card. Mercier, *Psychologie*, Louvain, 1899, p. 513 s.

(2) Quod non negabant illi qui pluralitatem formarum propugnabant.

(3) De unicitate animæ humanæ et de unicitate ejusdem præcise quatenus est forma substantialis hominis cf. S. Thomas, 1, q. 76, a. 3 et 4; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 393 ss.

(4) Epist. ad episc. Wratislavensem, die 30 Apr. 1860. Denzinger-Bannwart, *o. c.*, p. 446. nota 1. Cf, de Dorlodot, *Quæstionum quodlibetalium duæ priores*, Lovanii, 1903, p. 88 ss.

Nota. A concilio Viennensi non dicitur doctrinam asserentem quod anima intellectiva est per se et essentialiter forma corporis humani, esse *a Deo revelatam*, sed contradictoriam dicit « velut erroneam et veritati catholicæ fidei inimicam » (1). Censemus haberi hic definitionem de veritate nec explicite nec formaliter a Deo revelata, sed cum revelatis objective connexa ; cui proinde adhærendum est fide *ecclesiastica* (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Dijudica malitiam osculorum et amplexuum pravorum.*

R. Quoad *ambitum quæstionis* quoad *principia* applicanda, et quoad varia *attendenda* ut hæc principia rite applicentur, vide dicta supra (3) ubi de aspectibus et tactibus pravis, notato tantum ex natura sua, cæteris paribus, amplexus et oscula propius quam aspectus et tactus ad venerem accedere et disponere.

Unde sufficiet quasdam indicare **applicationes practicas** :

1. Oscula et amplexus inter solutos *in partes inhonestas* practice semper, *in partes minus honestas* sæpius graves sunt, præsertim si morose fiunt aut repetitis vicibus. Revera talia a/ censentur fieri ex fine libidinoso; non enim apparet quomodo ad alium finem dirigi valeant; quodsi dicantur fieri ex mero joco vel levitate, vel ad delectationem sensibilem, erunt tales causæ de facto practice meri prætextus; — b/ etiam si fierent ob finem non libidinosum, manet periculum peccandi ordinarie grave, quod non cohonestatur ratione quadam

(1) *Enchiridion*, n. 481.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 412 ss.
(3) pp. 348 s.

sufficiente, quum ad tales actus nulla ratio honestans excogitari queat; — c/ poterunt interdum haberi qua causæ per se relate ad pollutionem secuturam vel proximum hujus periculum, adeo ut et hinc gravis reatus oriretur, quum iterum desit omnis ratio cohonestans.

Sæpius tamen excipi poterunt oscula infantibus impressa, præsertim a matribus, et quæ in partes minus honestas fiunt: talia enim facile fieri possunt ob finem non venereum, puta ob delectationem sensibilem, vel ad tenerum affectum ostendendum, et facile deesse poterit periculum ulterius progrediendi; item excipienda non raro oscula quæ brachiis et scapulis omnino obiter ex levitate et joco, vel etiam interdum ex delectatione sensibili, imprimuntur, præsertim supra vestes (1).

2. Oscula et amplexus *circa partes honestas* ex vario fine operantis fieri possunt:

a/ *ex fine libidinoso;* quo casu certe graves sunt, quivis sint;

b/ *ex fine delectationis sensibilis;* quo casu de se non sunt peccaminosi, nisi venialiter in casu quo intenditur *sola* delectatio sensibilis sensu exclusivo. — Attamen possunt esse graviter vel leviter mali, ob periculum remotum vel proximum peccandi cui exponunt, ut si fiunt inter puberes, præsertim si morose vel repetitis vicibus, vel inter personas diversi sexus, vel si perguntur orta jam commotione et delectatione venerea.

Quo modo iterum ordinarie levia tantum vel nullatenus peccaminosa sunt oscula teneris infantibus impressa, ob sensibilem voluptatem quæ ex tactu mollium carnium percipitur; gravia vero quæ fierent lingua unius in os alterius introducta (2)

c/ *ex levitate, joco, petulantia,* (ut sæpius fieri possunt inter pueros); quo casu facilius leves manent; etsi pro adjunctis concretis secum ferre possint periculum pro-

(1) Cfr. Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp.*, p. 305.
(2) S. Alphonsus, n. 417.

ximum peccandi, ut si inter puberes, vel inter specialiter ad invicem affectatos fierent, etc.

d/ *ex causa honesta*, causa officii præstandi aut moris patrii servandi, urbanitatis ostendendæ erga sanguine vel alio vinculo honesto cognatos, amoris honesti significandi aut adaugendi. — Ad cujus causæ honestæ præsentiam dignoscendam rationem habeas utrum agatur de personis conjunctis an de non conjunctis, de pueris an de adultis, ejusdem an diversi sexus, junioribus annon, personis ecclesiasticis et religiosis an mundanis (1). — Quo casu sane de se non sunt peccaminosi; utrum autem sint ex periculo peccandi, et quantum, pendet ab adjunctis: ita quæ inter parentes fiunt et filios etiam iterata et morosa remotius tantum vel nullum periculum continent, et ratio ostendendi amorem hoc aliquale periculum abunde cohonestat; idem dicendum de osculis consuetis inter personas cognatas aut probe notas, vel etiam de osculis et amplexibus morosis in adjunctis extraordinariis ex quibus facile intelliguntur. Quod vero spectat *sponsos* ad invicem, facile intelligitur adesse ipsis ratio potior, puta ostendendi et augendi mutuum amorem osculis datis et amplexibus (2), ast simul majus ipsis ex iis adesse posse periculum ob affectus internos, sensibiles aut venereos quos nutriunt.

Nota. In datis applicationibus abstraximus a malitiis accidentalibus, puta cooperationis, scandali (3) etc. quæ adesse possunt; item (nisi sub 1°), a malitia quæ addi potest *ex effectu physico* forte sequente: quoad hoc sufficiet notasse oscula et amplexus circa partes minus honestas et a fortiori circa honestas, non posse graviter peccaminos fieri ex hoc capite: relate enim ad pollutionem, unice qua causæ per accidens haberi pos-

---

(1) Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 294 s.

(2) Similis ratio adesse potest ne recusantes talia appareant singulares, meticulosi, vel derisioni habeantur.

(3) Ut si talia indecentia fierent a sacerdote, religioso, etc.

sunt, et effectus venerei inferiores qui sequi possunt, levioris tantum sunt momenti, quam ut graviter imputentur. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIV.

IV

Q. *Dijudica moralitatem lectionum turpium.*

R. Quæstionem ad solum *jus naturæ* restringentes (1), sic possumus eadem *principia,* quæ in quæst. præc., **applicare**:

1°/ Turpia legere *ex fini libidinoso,* ad capescendam delectationem veneream, vel comitantibus variis actibus internis pravis, sane graviter illicitum est, quantumvis parum turpis sit materia lectionis.

Quocirca nota lectorem scripta plus minus turpia legentem sive ex curiositate sive ex recreatione vel etiam ex causa utilitatis vel necessitatis, non raro advertere peculiari modo excitari attentionem suam dum ea legit quæ aliis turpiora sunt; quod factum, spectata naturali curiositate humana, in materia potissimum praxi vetita, haud mirum esse debet, nec necessario signum est finis libidinosi, sed sæpe curiositatis dumtaxat; simul tamen ad majorem cautionem et prudentiam incitare debet. — Imo quod aliquis quasi ex industria in libro legendo ea quærit quæ crudiora sunt aliis, etsi frequentius denotet finem quemdam pravum, saltem inconscie habitum, potest nihilominus ex mera curiositate non raro explicari: quod erit præcipue determinandum ex materia quæ sic legenda assumitur: facilius finem pravum habebis, ubi res scripta constet peccatis aliisve scenis obscenis, dum facilius meram curiositatem argues, ubi mere agitur de rebus naturalibus scientifice expositis. — Eodem modo per se non peccant graviter juvenes qui ex curiositate in lexicis

(1) Quod *jus positivum* spectat, vide AA. de jure canonico, in Constitutionem *Officiorum et munerum,* in art. 9 et 10.

quærunt verba obscena (1); attamen putamus practice sæpius in tali modo agendi simul adesse finem pravum vel comitari peccata interna.

2°/ Turpia legere *ex mera curiositate vel recreationis causa*, potest esse peccaminosum (2):

a/ ratione *periculi peccandi* prævisi: et hac ratione grave peccatum erit si periculum est proximum, leve, si remotum tantum. Quod evidenter pendet a dispositionibus subjectivis (3), sed etiam a majori vel minori turpitudine lectionis: quæ turpitudo pendet et a *materia* de qua agitur, utrum agatur de peccatis, vel de actibus venereis, an vero de rebus scientificis aut medicalibus, et a *modo* quo eædem res describuntur.

Quocirca nota lectionem *libroram romanensium* esse juvenibus utriusque sexus multum dissuadendam, utpote quæ enervat indolem, avertit a seriis occupationibus, a spiritu pietatis, a zelo laborandi, et genuina vitæ conceptione, mentem replet phantasiis vanis, et sic undequaque ad vitam mollem et ad ipsa peccata luxuriæ remote saltem disponit; imo potest pro concretis personis esse vitanda talis lectio sub gravi, ratione periculi proximi peccati gravis, puta desiderii, delectationis morosæ, consensus in delectationem vel pollutionem forte secuturam, etc. (4).

b/ ratione *pollutionis* vel minoris *effectus venerei* secuturi prævisi: hac autem ratione non videtur lectio turpis secundum se regulariter graviter peccaminosa evadere: etenim relate ad ipsam pollutionem, talis lectio secundum se spectata non videtur regula generali ut causa per se haberi debere, et minor effectus venereus cujus causa per se existere potest, ratio non est gravis rea-

---

(1) NOLDIN (10 ed.), *De sexto præcepto*, n. 59.

(2) Seclusa, ut patet, omni malitia quæ potest *aliunde* adesse, puta ratione scandali, ratione ipsius curiositatis, etc.

(3) Ita minus periculum adest matrimonio junctis, ætate provectis, complexione frigidis, talibus rebus venereis ob artem medici assuetis, etc.

(4) Cfr. notam (1) pag. seq.

tus (1). Dictum est: lectio turpis secundum se et regulariter...; etenim si lectio esset omnino turpis, pronum sane esset eam in mente legentis diuturnas, vividas et practicas cogitationes de rebus venereis esse excitaturam, ita ut forte jam inde causa per se respectu pollutionis haberi possit (2).

3°/ Turpia legere *ex causa rationabili*, poterit sane omni culpa vacare. Et hac ratione:

— *leviter turpia* legere ob stylum vel eruditionem, licitum erit, quum sic periculum remotum peccati vel effectus venerei sufficienter compensetur; nota tamen indolem illius cui talis lectio per accidens periculum proximum peccandi existeret;

— *graviter turpia* legere item ob causam proportionatam licitum erit, qualis est scientia comparanda, stylus perficiendus, etc. quæ quidem causæ satis sunt ut possit permitti commotio venerea vel ipsa pollutio per modum effectus secutura; item cohonestant periculum remotum peccandi; attamen satis non sunt ut quis se exponat periculo proximo graviter peccandi; quod periculum proximum, ut intelligitur, raro aderit, modo vera quædam necessitas legendi adsit et non negligantur media supernaturalia, orationis et vigilantiæ, tentationibus opponenda.

A. VANDER HEEREN.

V

Q. *Quomodo agendum est in ipsis tentationibus?*

R. I. Regula generalis est: *Principiis obsta, nihil cedas* initio tentationis.

---

(1) Si quis tamen ex tali lectione, quam unice causa recreationis aut curiositatis instituit, *frequentes* pateretur pollutiones, grave sane inde periculum sæpe oriretur in delectationem hanc consentiendi vel transeundi ad peccatum positive committendum; et *hoc sensu* sæpius talem lectorem arguere posses de peccato mortali, np. ratione ipsius *periculi* peccandi, non vero, generatim, ratione ipsius *effectus* venerei.

(2) Vide *Collat. Brug.*, t. XIV. p. 600.

Ad rem Kempensis (1) : « Vigilandum est tamen præcipue circa initium tentationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur; sed extra limen, statim ut pulsaverit, illi obviatur... Paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio ».

II. Quoad *modum resistendi*, distingue varias tentationes. Aliæ nimirum vocari possunt majores, aliæ minores.

Majores tentationes intelliguntur quæ versantur circa obligationes graves et quibus difficile resistitur ob earum violentiam aut diuturnitatem; *minores* vero ubi materia est levioris momenti vel victoria haud difficilis (2).

1° *Minores tentationes*, ait Salesius (3), oportet simpliciter contemnere, faciendo interim actus virtutum oppositarum, præsertim amoris Dei.

Attamen magna requiritur diligentia, quia cedens minoribus tentationibus præparat ruinam in majoribus. Nam « diabolus hominem spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis; sed paulatim a levioribus incipit,

---

(1) *Imit. Christi*, I, 13. Utile est totum hoc caput *De tentationibus resistendis*.

(2) Ribet, *L'ascétique chretienne*, (Paris, Poussielgue, 3e éd, 1902). chap. X, n. XIII.

(3) *Introd. à la vie dévote*, 4e p., ch. 9. — Hic applicanda venit monitio sæpius facta a sancto Doctore, signanter filiæ suæ spirituali Joannæ de Chantal: « Vos tentations sont revenues... Vous ne leur répliquez pas, voilà bon, ma Fille; mais vous y pensez trop, mais vous les craignez trop, mais vous les appréhendez trop: elles ne vous feraient nul mal sans cela. Vous êtes trop sensible aux tentations... Non, non, ma Fille, laissez courir le vent, ne pensez pas que le frifillis des feuilles soit le cliquetis des armes. Dernièrement j'étais auprès des ruches des abeilles, et quelques-unes se mirent sur mon visage. Je voulus y porter la main et les ôter. Non, ce me dit un paysan, n'ayez point peur et ne les touchez point, et elles ne vous piqueront nullement; si vous les touchez, elles vous mordront. Je le crus; pas une ne me mordit. Croyez-moi, ne craignez point les tentations, ne les touchez point, elles ne vous offenseront point; passez outre et ne vous y amusez pas ». Lettre CCCVI (Ed. d'Annecy, t. XIII, p. 87). Vide *supra* hoc tomo XV, p. 356.

ut postmodum ad graviora perducat » (1). « Et quanto diutius ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior » (2). Ceterum ipse Dominus declaravit: *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est* (Luc. XVI, 10).

Insuper necessaria est patientia, quia istæ tentationes occurrunt plurimæ et quasi continuæ (3).

2° *Majores tentationes.*

Statim denega consensum et recurre ad Deum, juxta monitum Salesii (4). Imo, si perduret tentatio, utiliter fieri potest impetus voluntatis (5).

Deinde pro varia tentatione, oportet vel fugere vel aperte agere contra: nimirum regula generali (6) fugere oportet, quando agitur de delectatione (appetitus concupiscibilis), sed impugnare directe, ubi agitur de repugnantia (appetitus irascibilis).

Fugiendum est præsertim in tentationibus contra fidem (7) vel castitatem (8): contemnendæ sunt potius quam aperte impugnandæ; secus enim solet augeri tentatio et turbatio.

Ceterum, ut monebat plurimum Salesius (9), non est

---

(1) S. Thom., 3, q. 41, a. 4.

(2) *Imit. Christi*, I, 13.

(3) Cfr. Salesius, *l. c.*, ch. 8; Ribet, *l. c.*, n. XIV sq., et nostra *Probatio charitatis*, p. 263, ubi de utilitate fidelitatis in minimis.

(4) *L. cit.*, ch. 6.

(5) Ita Salesius ad S. Joannam de Chantal, tentationibus agitatam contra fidem: « Savez-vous ce que vous ferez pendant que l'ennemi s'amuse à vouloir escalader l'intellect? Sortez par la porte de la volonté et lui faites une bonne charge... Je veux dire qu'il faut se revancher avec des affections et non pas avec des raisons, avec des passions et non pas avec des considérations ». Lettre CCXXXIV (Ed. d'Annecy, t. XII, p. 356). Cf. *Imit. Christi*, III, 6.

(6) Regula omnino uniformis dari aut teneri nequit.

(7) *Imit. Christi*, IV, 18. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 662.

(8) *Imit. Christi*, III, 6.

(9) *Introd. à la vie dévote*, 4e p., ch. 7; Lettre CCXXXIV cit.: « Il faut, en cette tentation [contre la foi], tenir la posture que l'on tient en celle de la chair: ne disputer ni peu ni prou, mais faire comme faisaient les enfants d'Israël des os de l'Agneau pascal, qu'ils ne s'essayaient nullement de

disputandum cum tentatione, sed melius est divertere animum ad occupationes, quæ turbationem et periculum excludunt (1).

H. MAHIEU.

VI

Q. Le décret du 23 prairial an XII (12 juin 1804) a-t-il attribué aux communes la propriété des anciens cimetières ?

R. La généralité des juristes qui font profession de libéralisme (2) soutiennent que le décret de prairial (3) suppose, de la façon la plus formelle, que les anciens cimetières appartiennent aux communes et qu'il équivaut de la sorte, sinon à une attribution, au moins à une déclaration de propriété en faveur de ces établissements. Cette thèse, rejetée d'abord par la jurisprudence judiciaire et administrative belge jusqu'en 1879,

---

rompre, mais les jetaient au feu!... Non, je ne disputerai point, ni contesterai. Eve voulant disputer se perdit; Eve le fit et fut séduite ». Cf. *Directions spirituelles* de S. Fr. de Sales recueillies par l'abbé H. CHAUMONT. *Des tentations*, Paris, Victor Palmé, 1877.

(1) Præter AA. jam citatos, consuli possunt de impugnandis tentationibus: SCARAMELLI, *Le directoire spirituel* (éd. de Liège), t. I, 2d traité, art. X; SCHRAM, *Institutiones theologiæ mysticæ*, § CXXXVII sqq.; IGHINA, *Cours de théologie ascétique et mystique* (trad. Dorangeon), ch. I, art. 5; MUTZ, *Christliche Aszetik*, zweite Auflage (Paderborn, Schöning, 1909), p. 86 sqq.

(2) V. DE BROUCKERE ET TIELEMANS, *Répertoire de l'administration*, t. V, v° cimetière, p. 32 ss.; les *Pandectes belges*, t. XIX, v° cimetière, n° 191 ss.,

(3) Texte dans DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.* 7 éd., t. II, en appendice, p. 874-877. Les *Pandectes* transcrivent *l. c.*, col. 377 ss., en notes, tous les documents conservés — travaux préparatoires et déclarations postérieures — relatifs au décret du 23 prairial. Ce sont: le projet présenté par le ministre de l'intérieur, Chaptal, le 19 prairial an XI; le projet présenté en double rédaction par la section de l'Intérieur; le rapport fait au Conseil d'État, dans la séance du 9 prairial an XII par le conseiller de Ségur; la circulaire de Chaptal du 8 messidor an XII, qui constitue un commentaire officiel de la loi; une circulaire de Portalis du 26 thermidor an XII. Le dossier complet, relatif à l'élaboration du décret de prairial, existait aux archives du Conseil d'État, brulées par la Commune en 1871, *ibid.*, n° 39.

puis adoptée par un arrêt de la Cour suprême et constamment suivie jusqu'à nos jours par le Gouvernement et les tribunaux (1), est violemment combattue par l'unanimité des auteurs catholiques.

Sans faire l'examen spécial de différents articles du décret, nous nous bornerons à émettre certaines considérations générales qui, d'une part, entament sérieusement la portée des allégations de l'opinion adverse, et d'autre part, écartent de la discussion certains arguments dénués de force probante.

1° Antérieurement au décret de prairial, aucune loi n'a attribué la propriété des anciens cimetières aux communes (2).

2° Le décret de prairial n'a pas pour objet de trancher une question de propriété, mais de réglementer la police des inhumations et des lieux de sépulture en vue de sauvegarder la salubrité publique, la décence des cimetières, le respect dû aux morts.

En conséquence, les dispositions qui soumettent les lieux de sépulture à l'autorité et la surveillance des administrations municipales sont applicables à tous les cimetières quels que soient leurs propriétaires (3); toutefois, si l'une ou l'autre d'entre elles suppose que d'anciens ou même les anciens cimetières ont le caractère de propriété communale, il ne faut voir là qu'une affirmation dont il est permis de contrôler l'exactitude, qui a peut-être une valeur explicative ou interprétative, mais qui n'a pas force de loi, opérant légalement un transfert de propriété.

---

(1) Les *Pandectes, l. c.*, n° 213 ss.; Vouriot, *De la propriété des biens ecclésiastiques en Belgique et en France*, p. 133 s., Paris 1875; Woeste, *De la propriété des anciennes églises...*, p. 144 s., Bruxelles, 1871.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XIV, p. 152 ss.; 274 ss.

(3) Voir la circ. citée de Chaptal interprétant les articles 16 et 17 du décret de Prairial : « Quant aux articles 16 et 17, ils ont pour but de soumettre les lieux de sépulture, quels que soient les propriétaires, à l'autorité, police et surveillance des administrations municipales. »

3° Or plusieurs circonstances peuvent avoir influé sur l'esprit du législateur pour lui faire émettre une supposition en désaccord avec la réalité. A l'époque où le décret fut rendu, la situation juridique des cimetières était en droit et en fait indécise.

a/ L'État se déchargeait sur les communes de l'obligation d'acquérir et d'entretenir les cimetières. On était en pleine période de réorganisation du culte, pendant laquelle la distinction entre établissements communaux et paroissiaux, entre dotation des communes et des églises, entre caractère confessionnel et propriété des cimetières (1), n'était pas clairement établie. Une opinion erronée, alors fortement accréditée et hautement professée par le Ministère de l'Intérieur et le Conseil d'État, dont émanèrent le décret de prairial, considérait comme communaux les établissements et les biens paroissiaux (2). Ajoutez qu'à cette date la nature de la capacité civile des établissements publics ou d'utilité publique n'était pas bien fixée par la doctrine et législation. A preuve les discussions qui eurent lieu au Conseil d'État, de l'an IX à l'an XII, lors de la confection du Code civil (3). Ces discussions et obscurités doivent

---

(1) Le rapport cité de de Ségur est significatif quant à ce point. La conception ancienne des *res sacræ* restait vivace.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 157.

(3) V. Vouriot, *o. c.*, p. 27 et 28 ; Planiol, *Traité élémentaire de droit civil*, 5 édit., t. I, p. 1011, n° 3067, note. Paris, 1908. La 1re rédaction de l'article 516 suppose qu'il n'y a que trois sortes de propriétaires : la nation, les communes et les particuliers. On fit observer qu'on excluait les établissements publics de la classe des propriétaires. Il fut répondu que leurs biens appartenaient à la nation. Cette opinion ayant été rejetée, l'énumération susdite fut omise. Lors de la discussion de l'article 537, le projet de l'an VIII opposait aux biens des particuliers, ceux de la nation, *des établissements publics* et des communes ; le projet de 1803 énumérait les biens des particuliers, des communes et de la nation. Ces deux textes furent écartés. L'art 537 définitif fait une antithèse entre biens des particuliers et ceux qui n'appartiennent pas à des particuliers. Ce ne fut que lors de l'examen des articles 1596, 1712, 2045 et surtout 2227 que le Conseil d'État rangea définitivement les établissements publics parmi les propriétaires. On sait que le Code civil fut promulgué le 21 mars 1804.

être prises en considération pour apprécier la portée exacte des modifications introduites par le Conseil d'État dans les deux projets du décret de prairial, présentés par la Section de l'Intérieur (1).

b/ Au point de vue de la situation de fait des cimetières après la restauration du culte, on doit faire observer que si la plupart des églises paroissiales reprirent possession de leurs cimetières (2), dont les communes étaient devenues les gardiennes, il n'en fut pas ainsi à Paris et dans les grandes villes, où se maintinrent, même à l'intérieur de leur enceinte, des cimetières communaux, affectés à l'inhumation de tous les citoyens sans distinction de culte ou de croyance (3). C'est à ces cimetières, dont le transfert hors des murs s'opérait précisément à

---

(1) Le 1er projet portait à son art. 21 : Les lieux de sépulture demeurent à charge et seront la propriété des communes. Ils n'appartiendront à aucun culte et seront soumis seulement à l'autorité, police et surveillance des administration municipales. La seconde rédaction décidait à l'art. 15 : Les lieux de sépulture seront la propriété des communes ; à l'art. 17 : Les lieux de sépulture sont soumis à l'autorité, police et surveillance des administrations municipales. Après discussion, l'art. 15 fut supprimé et on ajouta à l'art. 16 actuel : les lieux de sépulture, *soit qu'ils appartiennent aux communes, soit qu'ils appartiennent aux particuliers* seront soumis... Nous ne connaissons pas les motifs de cette suppression et de cette ajoute. Mais des deux explications données, l'une par M. Bosquet (*Journal belge des conseils de fabriques*, t. I, 1842, p. 23, note 1), l'autre par les *Pandectes* (*l. c.*, nº 204), la première est la plus plausible : le Conseil d'État n'a pas voulu trancher la question de la propriété des anciens cimetières. Et cette opinion semble d'autant plus probable qu'on est en droit d'admettre avec Chaptal, le commentateur officiel du décret, que les articles 16 et 17 du décret ont pour but de soumettre les lieux de sépulture, *quels que soient leurs propriétaires*, à l'autorité, police et surveillance des administrations municipales.

(2) Cette prise de possession laissait cependant la question de propriété sans décision formelle. Il faut aux personnes morales comme aux individus un motif pour réclamer la reconnaissance d'un droit. Or les fabriques n'en avaient pas. Elles avaient l'usage des cimetières, elles en percevaient les produits spontanés ; elles n'avaient pas la charge de l'entretien des murs de clôture. Voir Affre, *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques*, p. 153, Bruxelles, 1839.

(3) V. Prompsault, *Dictionnaire raisonné de droit*... t. I, col. 874, Paris, 1849 ; Vouriot, *o. c.*, p. 128.

l'époque où fut rendu le décret de prairial (1), que peuvent s'appliquer les articles 7, 9 et 11 (2) de la loi organique sur les sépultures, quel qu'ait été du reste leur premier propriétaire.

Que le législateur ait faussement cru que les anciens cimetières étaient la propriété des communes, ou bien qu'il se soit mis dans l'hypothèse du cas où des cimetières abandonnés ou encore affectés au service des inhumations appartenaient aux municipalités, on n'en peut rien conclure pour affirmer un droit exclusif des administrations communales à la propriété des anciens cimetières, s'il est prouvé d'ailleurs que ce droit ne leur avait pas été abandonné par l'État.

4° Il semble que dans la discussion du décret de prairial, on a tort d'établir une différence notable entre la situation des cimetières en Belgique et en France, par suite de l'application de l'édit de Joseph II, du 26 juin 1784, et de l'ordonnance de Louis XVI, du 10 mars 1776 (3). Les nouveaux cimetières créés en exécution de l'ordonnance française ont conservé leur caractère de cimetières paroissiaux jusqu'à la révolution et furent confisqués par elle comme biens ecclésiastiques (4).

---

(1) V. *Promenades aux cimetières de Paris* par M. P. St A., Paris, sans date (après 1815), p. 202 s. Un seul cimetière de Paris, le charnier des Innocents fut fouillé avant la Révolution française et transféré aux Catacombes où de 1788 à 1792 on n'inhuma que les victimes des massacres révolutionnaires. Ce fut sous la convention qu'on décréta la suppression des cimetières situés dans l'enceinte de Paris. Les travaux des fouilles se poursuivirent depuis 1792 jusqu'en 1815. Les cimetières communaux actuels ne datent que des premières années du XIX siècle.

(2) Quant à l'interprétation de l'art. 11, il faut en plus faire remarquer que le Ministre de l'Intérieur a toujours soutenu que la somme à payer à la commune par le concessionnaire n'était pas le prix d'un démembrement de la propriété, mais une taxe municipale à payer pour la concession d'un droit d'une nature spéciale. V. *Journal belge des Conseils de fabriques*, t. I, p. 294.

(3) Ce qu'on peut affirmer, c'est qu'en vertu de l'ordonnance de 1776, les villes, comme corporations civiles, ont pu acquérir des cimetières, conjointement avec les fabriques. Cf. art. 7 du décret de prairial.

(4) *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 153, note 2; Vouriot, *o. c.*, p. 136 s.

5° On ne peut alléguer (1) en faveur des fabriques un décret du 18 mai 1806 (2) et deux circulaires ministérielles du 11 mars 1809 et du 4 juillet 1810 (3). Ces actes n'ont pas la portée qu'on leur attribue.

6° On ne tient pas suffisamment compte dans l'examen de la question présente de certaines déclarations de Portalis et de Bigot de Préameneu. Celui-ci disait dans son rapport à l'empereur sur le décret de 1809 ; « L'église, le presbytère et le cimetière sont entretenus par la commune qui profite du culte ; ils ne sont nullement sa propriété » (4).

A. De Meester.

(1) Prompsault, *o. et l. c.*, col. 874-875 ; Malou, *De l'administration des cimetières catholiques en Belgique*, p. 44, Bruxelles, 1860.

(2) *Pasinomie*, 1 sér., t. XIII, p. 363.

(3) *Recueil des circulaires, instructions et autres actes émanés du ministère de la Justice*, 1e sér., 1808, p. 99 ; 1810, p. 188.

(4) *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 533.

MOTU PROPRIO

I

DE CONCESSIONIBUS INDULGENTIARUM A SUPREMA S. CONGREGATIONE S. OFFICII RECOGNOSCENDIS.

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quæ incipiunt « *Sapienti Consilio* », III Kal. Jul. an MCCCCVIII datas, *universam rem de indulgentiis,* ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earumdem publicatione et impressione, *uni* Supremæ Sacræ Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad præcavendas dubitationes quascumque quæ ex concessionibus hac in materia aliter quam per præfatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus:

1° Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quæ non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2° Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cujuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia objecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus.

3° Concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4° Quoad præteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab hujus Nostri Decreti publicatione eidem Sacræ Congregationi exhibitæ ab eaque recognitæ fuerint;

5° Idcirco impetrantes posthac hujusmodi concessiones teneri, sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, exemplar earumdem dictæ Supremæ Sacræ Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratæ haberi possint.

Hæc edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo (1).

PIUS PP. X.

II

DE INDULGENTIA « PORTIUNCULÆ » SEPTIMO AB INSTITUTO FRATRUM MINORUM ORDINE SÆCULO EXPIRANTE.

Sacris solemniis ob septem ab instituto amplissimo Fratrum Minorum Ordine revoluta sæcula jam ad finem feliciter vertentibus, ut tam fausti eventus jugis memoria perseveret ac fructus, piis fidelium votis pro faciliori PORTIUNCULÆ, quam vocant, INDULGENTIÆ consecutione ex animo obsecundantes, quæ sequuntur, motu proprio atque ex certa scientia, suprema Nostra apostolica auctoritate statuimus ac decernimus:

Firmis, scilicet, de memorata Indulgentia antea quomodocumque factis, quæ nondum expiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum Ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriæ ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles, rite confessi et Sacra Synapsi refecti ac devote juxta Nostram intentionem orantes, a vesperis diei primæ ad solis occasum diei secundæ mensis Augusti anni currentis, *toties quoties* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam Ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *Indulgentiam Plenariam*, animabus etiam quas purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Hanc vero eamdem Indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucrifieri posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus qui propriam

(1) Ipsa S. C. O. dabit commentarium hujus decreti; ideo adnotationes faciendas reservamus.

ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi Ss^ma^ Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Ne cui demum, præstantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adjuncta, fruendi copia desit, benigne indulgemus iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam Indulgentiam lucrandam statuere possint tam pro in sæculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus loco diei secundæ Augusti, Dominicam proxime insequentem, a vesperis Sabbati ad solis occasum ipsius Dominicæ, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad Indulgentiam lucrandam statuta speciales publicæ ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, Ministris Sanctuarii universaque militanti Ecclesia peragantur; eæque, præmissa invocatione Seraphici Patriarchæ ac Litaniis Sanctorum, Benedictione Eucharistica absolvantur.

Ita volumus, decernimus, sancimus, mandantes, ad quos spectat ut ad fidelium notitiam hæc omnia tempestive deducenda curent. Præsentibus hoc anno et occasione tantum valituris. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die IX Junii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. Congregatio de Sacramentis

GOANA ET ALIARUM.

Dubii circa decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

Vi legum inter Apostolicam Sedem et Regem fidelissimum Lusitaniæ concordatarum, circa exercitium juris regii patronatus in nonnullis diœcesibus Indiarum Orientalium, sancitum fuit ut quoad plures fideles jurisdictio quorundam Ordinariorum ea in regione sit personalis, non solum quia præfatis Ordinariis data est jurisdictio exclusiva et exempta in certa loca extra territorium continuum propriæ diœcesis et intra territorium alterius diœcesis sita, sed etiam quia ob factam mutationem domicilii ab una diœcesi in aliam, jurisdictio sui cujusque Ordinarii in subditum migrantem non amittitur. Et quod attinet etiam ad matrimonia ineunda, in comitiis S. C. de Prop. Fide una cum S. Congregatione Ecclesiasticis negotiis extraordinariis præposita. die 11 septembris 1887, ad dubium VI: « Utrum quoad parochialia, baptismos, matrimonia, communionem Paschalem, Extremam Unctionem et S. Viaticum exemptis (in Archidiœcesi Bombayensi) liberum sit, si velint, recurrere ad Ordinarium loci vel sacerdotes ejus, omissa quæstione de exemptione renuntianda », responsum fuit: « Negative »; et hæc atque aliæ ejusmodi decisiones deinde ad omnes diœceses duplicis jurisdictionis extensæ fuerunt.

At memorata circa parochialia personalis et exclusiva jurisdictio iis in diœcesibus impediri videtur, quoad matrimonia, ex edito Decreto *Ne temere, De sponsalibus et matrimonio*, juxta quod jurisdictio Ordinariorum et parochorum, circa adsistentiam matrimoniis præstandam, facta est omnino territorialis.

Re quidem vera quoad parochos qui in territorio aliis parochis assignato subditos sibi habent, decisum est etiam a S. C. Conc. in *Romana et aliarum, Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio,* die 1ª Februarii 1908, eos valide matrimoniis subditorum adsistere; nam proposito dubio IX:

« Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat », responsum fuit: « Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum Sanctissimo ». Sed hæc resolutio, quoad tum validitatem cum liceitatem, juribus parochorum territorialium officere non videtur; qui ideo, juxta cit. decretum *Ne temere,* valide semper in propria parœcia, et licite quoque, præhabita menstrua alterutrius contrahentis commoratione, matrimoniis fidelium etiam exemptorum adsistere videntur.

Quapropter cum quæstio de præfata duplici jurisdictione in Indiis Orientalibus, quod spectat ad novas dispositiones decreti *Ne temere,* orta fuerit inter Archiepiscopum Bombayensem et Episcopum Damanensem, in generali conventu S. C. Conc. habito die 27 Julii 1908 in *Romana et aliarum,* propositum est dubium VIII: « Utrum subditi diœcesis Damanensis, in diœcesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi diœcesis Bombayensis degentes in diœcesi Damanensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii »; cui dubio EE. PP. responderunt: *Dilata.*

Verum tum hodiernus Archiepiscopus Goanus, Patriarcha omnium Indiarum Orientalium honoris causa, nomine etiam Ordinariorum Provinciæ Ecclesiasticæ Goanæ, tum, ex altera parte, præfatus Archiepiscopus Bombayensis ab H. S. C. iteratis precibus petiverunt ut quæstio dirimeretur; et Goanus Archiepiscopus notitias quoque locorum et personarum exposuit, pro quibus duplex jurisdictio viget: ideoque, ut mens erat S. Congregationis Concilii, quæstio quoad omnes ejus generis diœceses in Indiis Orientalibus suscepta est definienda.

Ad quam rem in plenario conventu hujus S. C. de disciplina Sacramentorum, habito die 27 mensis Maii 1910, sequens dubium solvendum propositum fuit:

Utrum degentes in locis Indiarum Orientalium in quibus viget duplex jurisdictio, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii.

Et E^mi^ ac R^mi^ Patres, re mature perpensa, proposito dubio respondendum censuerunt:

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, affirmative ad 1^am^ partem, negative ad 2^am^, facto verbo cum SS^mo^.

Facta autem SS^mo^ relatione de omnibus a R. P. D. Secretario ejusdem S. C., in audientia diei 29 Maii 1910, Sanctitas Sua E^morum^ Patrum decisionem approbare et confirmare dignata est.

Datum ex ædibus S. C. de disciplina Sacramentorum, die 2 mensis Junii anno 1910.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

Adnotatio.

A S. C. de Sacr. solvitur dubium, coram S. C. C. jam propositum, die 27 Julii 1908, et cujus solutio fuit dilata (1). Porro dubium spectat specialem conditionem in qua versantur nonnullæ diœceses in Indiis Orientalibus, quatenus nonnulli Episcopi, præter communem suam jurisdictionem in propria diœcesi, jurisdictionem personalem exercent in quasdem personas, puta determinatæ nationalitatis vel determinati ritus, in aliena diœcesi commorantes, et idem obtinet cum parochis recpectu quorumdam fidelium extra fines propriæ parochiæ degentium.

Jamvero, ad tramites decreti S. C. C., diei 1^æ^ Febr. 1908, ad 9^m^, possunt dicti parochi matrimoniis assistere hujusmodi fidelium sibi personaliter subditorum, infra limites territorii alieni in quo versantur (2); nunc autem, in præsenti decreto, statuit S. C. de Sacr. hanc competentiam parochi personalis esse *exclusivam*, ita ut non valeant præfati fideles matrimonium inire nisi coram solo parocho personali, non verò coram parocho loci.

Quæ sane solutio derogat principio, in Decreto

(1) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 596 ss. et 645.
(2) *Ibidem*, p. 303 s.

Ne temere sancito, quatenus locus regit actum: conformiter ad hoc principium non potuisset a valida assistentia excludi parochus loci, nec potuisset parocho personali reservari nisi sola assistentia licita (1). Hanc autem concessionem juri derogatoriam, in gratiam Indiarum Orientalium, faciendam censuit S. Congr. de Sacr., *prævie facto verbo cum SS*mo*, attentis peculiaribus circumstantiis ibidem occurrentibus*. Non posset proinde hæc solutio ad alia loca, absque recursu ad S. Sedem, extendi.

A. De Smet.

---

(1) Hanc normam proposuit Consultor ad decretum 27 Julii 1908, uti notavimus l. c.

Notæ Bibliographicæ

Fr. Mervillie. *Trouwersboekske* of Raadgevingen voor het Huwelijk. 5e Uitgave. Brugge, We Verbeke-Loys, 1910.

't Ware overbodig het zoo gunstig bekend *Trouwersboekske* van Deken Mervillie onze lezers aan te bevelen; 't zij genoeg de pas verschenen vijfde uitgave aan te kondigen, en den wensch te vernieuwen, dien Mgr de Bisschop van Brugge deed, in 1897, toen Hij de eerste uitgave goedkeurde; « wij wenschen vuriglijk, zoo schreef Zijne Hoogweerdigheid, dat het in al de parochien van ons bisdom bekend worde, en ter hand gesteld aan de geloovigen die den huwelijken staat willen aangaan ». En inderdaad, zij zullen er, benevens eene korte en duidelijke leering over het huwelijk, deugdelijke en welgepaste raadgevingen in vinden, nopens de bereiding tot het huwelijk en de heilige plichten van den huwelijken staat.

A. D. S.

Abbé Maynard. *Vertus et doctrine spirituelle de Saint Vincent de Paul.* Dixième édition. Paris, Téqui, 1910. In-12, XIII-432 p. Fr. 3,50.

Saint Vincent de Paul est considéré, à bon droit, comme le modèle du clergé dans les temps modernes; il importe donc que les prêtres se pénètrent de plus en plus de l'*esprit* de Saint Vincent de Paul. C'est à faire connaître cet esprit qu'est consacré le livre que nous présentons et recommandons vivement à nos lecteurs.

L'auteur suit un plan très rationnel: les vertus théologales, les vertus cardinales et leurs annexes. Chaque chapitre est divisé en deux paragraphes, d'après le titre même de l'ouvrage: le saint *agit* et *enseigne*, suivant l'exemple du Sauveur qu'il aimait tant à citer: *Cœpit Jesus facere et docere.*

Auguste Texier. *Jeanne d'Arc et l'Eglise devant la libre-pensée.* Paris, Téqui, 1910. 34 p.

Conférence dans laquelle sont réfutés deux mensonges historiques, répandus par la libre-pensée et colportés par certaine presse: Jeanne fut une folle visionnaire; c'est l'Eglise elle-même qui l'a brûlée.

L'Abbé Grimes. *Traité des scrupules.* Nouvelle édition. Paris, Téqui, 1910. In-18, IX-266 p. Fr. 1.

Un petit traité déjà vieux, mais pas vieilli, dans lequel on trouve les choses les plus pratiques concernant la direction des scrupuleux. Pour certains points l'exposé pourrait être plus précis. Cette nouvelle édition a été augmentée d'un chapitre sur les scrupules par le R. P. Faber, *Progrès de l'âme dans la vie spirituelle,* ch. XVII. Il faut dire que dans ce chapitre le P. Faber se montre bien dur envers les pauvres scrupuleux.

L'auteur n'a traité des scrupules qu'au point de vue moral.

R. P. Quadrupani. *Direction pour rassurer dans leurs doutes les âmes timorées.* 6e éd., Paris, Téqui, 1910. In-18, XVII-158 p. Fr. 1.

Conseils très simples mais pratiques, touchant les points principaux de la vie spirituelle. L'auteur se montre doux et facile comme Saint François de Sales.

R. P. Quadrupani. *Direction pratique et morale pour vivre chrétiennement.* 6e éd., Paris, Téqui, 1910. In-18, XVI-179 p. Fr. 1.

Cet opuscule a une portée plus étendue que le précédent, puisqu'il traite des devoirs généraux du chrétien: Rapports avec Dieu, avec le prochain, avec nous-mêmes.

P. Feige. *La Sainte Vierge. Saint Joseph.* 2 vol. in-18. Paris, Téqui, 1910. Chaque vol.: Fr. 1.

Ces deux volumes font partie de la collection: *Aux âmes pieuses.* M. l'abbé Feige leur apprend, par un exercice de trente méditations, à pratiquer la dévotion envers la Sainte Vierge et envers Saint Joseph.

Dom Bernard Maréchaux. *Elévations sur Saint Joseph.* Paris, G. Beauchesne et Cie, 1910. In-18, 200 p. Fr. 1,50.

Ces *Elévations* donnent un commentaire des Litanies de Saint Joseph nouvellement approuvées par le Saint-Siège (1). Ces litanies contiennent trois groupes d'invocations: titres, vertus, protection de Saint Joseph. Le petit livre du Révme Abbé de Sainte-Françoise-Romaine est donc comme une petite « Somme de Saint Joseph ».

R. P. Lintelo, S. J. *Directoire Eucharistique des maisons d'éducation.* Tournai, Casterman, 1910. In-8, 160 p. Fr. 1.

Ce *Directoire* comprend tout d'abord plusieurs écrits, publiés déjà à part, mais retouchés et refondus: *La Communion fréquente* et quotidienne dans les maisons d'éducation; *Les Vacances* et la communion fréquente des enfants; *Après trois ans.* Il y a en outre des chapitres complémentaires, très importants, où l'auteur a essayé de répondre à diverses préoccupations qu'il a rencontrées et de mettre de plus en plus à profit les leçons de l'expérience. Signalons tout spécialement: La communion et la crise de la jeunesse; La communion et les vocations supérieures; la communion fréquente dans les écoles primaires.

Puissent les éducateurs s'inspirer fidèlement de ce Directoire, pour y puiser le sens et l'esprit des directions Pontificales!

P. Gratien. *Saint François d'Assise et l'influence sociale de l'Evangile.* Paris, J. de Gigord, 1910. In-18 de 75 p. Fr. 0,40.

L'Evangile n'a pas fait faillite. Ce qui fait faillite ce sont les individus et les peuples qui le repoussent. Saint François d'Assise a réalisé l'Evangile, simplement mais intégralement; son exemple, plus encore que sa parole, mit en lumière la divine efficacité de l'Evangile. Le vrai Francis-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 298.

cain n'est pas nécessairement un homme qui porte la bure, se ceint d'une corde et marche nu-pieds; le vrai Franciscain est celui qui, dévoué au Christ et au bien des âmes, comprend l'Evangile comme le *Poverello* le comprit, qui en accepte les leçons austères pour les traduire en actes dans la vie quotidienne.

R. P. Lintelo, S. J. *La Prédication des Triduums Eucharistiques* prescrits par S. S. Pie X. Tournai, Casterman, 1910. In-8 de 36 p.

C'est le rapport que le P. Lintelo présentera au Congrès Eucharistique de Montréal (7-11 Septembre 1910). Trois points: Raisons du Triduum; pratique du Triduum; après le Triduum. On connaît la compétence toute spéciale de l'auteur, prédicateur de nombreux Triduums; son expérience déjà longue lui permet de réunir dans ce rapport les conseils les plus pratiques au sujet de prédication des Triduums sur la Communion quotidienne. Nous engageons vivement nos lecteurs à profiter de ces leçons de l'expérience.

Qu'il nous soit permis de recommander cet opuscule tout spécialement aux prêtres, très nombreux, espérons-le, qui se proposent d'assister au Congrès Eucharistique de Roulers (11-14 Août 1910).

Joseph Tissier. *La vieille morale à l'école.* Paris, Téqui, 1910. In-12, XLIV-416 p. Fr. 3,50.

La pensée de ce livre est venue à l'Auteur des révélations douloureuses que les débats parlementaires ont faites en Juin 1909 sur la crise morale des lycées, au sujet du suicide retentissant du jeune Armand Nény, en pleine classe, à Clermont-Ferrand. C'est un recueil d'allocutions prononcées par l'ancien Supérieur de l'Institution Notre-Dame de Chartres devant ses élèves ou anciens élèves. Ce n'est pas un exposé systématique de la vieille morale traditionnelle, « ce sont des allocutions de circonstance: coups de clairon et coups d'épée ». La situation spéciale, décrite ou supposée, n'existe heureusement pas encore chez nous, mais il n'est pas sans intérêt de lire ou plutôt d'entendre un maître de la parole française parler à « sa chère jeunesse » française.

Gabriel Billot. *La Bienheureuse Mère Barat.* Paris, Téqui, s. d. [1910]. In-8 de 85 p.

Trois panégyriques prononcés à l'occasion d'un Triduum solennel en l'honneur de la Bienheureuse Mère Barat, fondatrice de la Société du Sacré-Cœur (1779-1865): *La Fondatrice — L'Educatrice — La Sainte.*

J. B. Scaramelli, S. J. *Le discernement des Esprits* pour le bon règlement de ses propres actions et de celles d'autrui. Paris, Téqui, 1910. In-12, V-481 p. Fr. 3,50.

Avant le P. Scaramelli (1688-1752), on ne possédait guère sur cette question si importante de la théologie ascétique que l'opuscule du Cardinal Bona, *De discretione spirituum.* Il faut bien le dire, l'œuvre de Scaramelli est plus pratique; c'est peut être son meilleur ouvrage. On ne peut dans un simple compte rendu exposer même sommairement une

question si complexe (1). Les lecteurs, qui s'intéressent au « bon règlement de leurs propres actions et de celles d'autrui », voudront posséder ce livre. En publiant cette traduction française, Monsieur le Chanoine BRASSEVIN a rendu un grand service aux directeurs des âmes.

P. Alphonsus van de Moeder der Smarten, O. C. *Beoefening van het inwendig gebed en van de volmaaktheid volgens de H. Theresia en den H. Joannes van het Kruis.* Eerste boekdeel: Het overwegend gebed en de weg der zuivering. Brugge, Desclée, De Brouwer, [1910]. In-12, XVI-468 bl. 3 fr.

Hier krijgen we de vertaling van het werk dat we in dit tijdschrift (t. XV, bl. 201) aanbevolen hebben; 't is oprecht jammer dat over het algemeen de vertaling zoo weing verzorgd is.

Ant. Hulsman, S. J. *Mijne Eerste H. Communie.* Nijmegen, Malmberg, 1910. In-8, XIV-413 bl. (Voor België: Boekhandel Paul Ryckmans, Mechelen).

Dit is een boek voor kinderen, die zich voorbereiden tot de Eerste H. Communie: de stof werd uitgekozen door Pater MORRIS, S. J.; ze werd bewerkt voor kinderen door Moeder MARIA-LOYOLA, die, zooals haar vele werkjes toonen, een buitengewoon goed oog heeft op 't kinderhert en 't kinderleven. Uit die samenwerking is een boek ontstaan vol deugdelijke leering, zeer bevattelijk kinderlijk voorgesteld. En dit lijvig boek, naar 't Engelsch bewerkt door Pater HULSMAN, netjes vertaald en mooi gedrukt, kost maar 1,60 fr. per exemplaar.

Het is een boek voor kinderen, maar 't zal ook nuttig zijn voor groote ... menschen, en de bewerker is — met reden — overtuigd aan vele priesters een grooten dienst bewezen te hebben.

Enkel een paar bemerkingen: het verschil tusschen volmaakt en onvolmaakt berouw is niet duidelijk genoeg voorgesteld (bl. 287); het Decreet over de dagelijksche Communie wordt zelfs niet vermeld: het oorspronkelijk werk is zeker vóór het Decreet gemaakt geweest?

H. MAHIEU.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (2).

Aigrain R. *Vie de Sainte Radegonde, reine de France*, par Saint Fortunat (trad. et notes). Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

(1) Voir notre *Probatio charitatis*, Bruges, Beyaert, 1910, p. 162 et 288.

(2) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Ansfridus Dom. (M. Th. van Kempen). *Aan onze jongens.* Brugge, We Verbeke, 1910. In-16, 64 bl.

Arnaudet L. *Genèse et science.* Paris, Bloud, 1910; in-8, 140 p.

Baudot J. *Le Pontifical.* Paris. Bloud, (Sc. et Relig.-Liturgie, n. 567), 64 p. F. 0.60.

Baumes F. *La vie de Saint Benoît d'Aniane*, par Saint Ardon (trad.). Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

Charles P. *La foi.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 p.

de Labriolle P. *La correspondance d'Ausone et de Paulin de Nole.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

de Poulpiquet A., O. P. *La notion de catholicité.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

Godard A. *Le positivisme chrétien.* Nouv. édit. Paris, Bloud, 1910, in-16, 363 p. F. 3.50.

Grasset. *L'Evangile et la Sociologie.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

Marius Sepet. *Louis XVI, Etude historique.* Paris, Téqui, 1910, In-12, 496 pp.

Martin A. *Comment il faut prier.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 130 pp.

Moulard A. et Vincent F. *Apologétique chrétienne.* Paris, Bloud, 1910, 14e édit., in-16, 508 p. F. 3.50.

Muyldermans J. (Kan.). *Soldatenleven.* Brieven aan een jongen soldaat. Rousselare, J. De Meester, 1910, in-8, 281 bl.

Paquier J. *Qu'est-ce que le Quiétisme?* Paris, Bloud, 1910. (Science et Rel., n. 568-569).

Ruinaut J. *Le schisme de Photius.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

Schneider W. *Que devient l'âme après la mort.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 64 pp.

Souriau M. *Les idées morales de Madame de Staël.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 120 pp.

Vaudon. J. *L'œuvre des Congrès eucharistiques. Ses origines.* Paris, Bloud, 1910, in-8, 296 p. F. 3.50.

Vidal Ch. *Religion et médecine.* Paris, Bloud, 1910. In-16, XIV-200 pp.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Expone comparationem S. Paulo familiarem ex ludo currentium in stadio desumptam ejusque applicationes *Phil.* 3, 12-16 coll. *II Tim.* 4, 7-8; *I Cor.* 9, 24; *I Tim.* 6, 12.

II

Indica tres Catholicorum sententias quibus ulterius explicant dogma de resurrectione hominum, nominatim quoad identitatem corporis resurgentis.

III

Breviter ostende quam iniqua sit in se spectata lex divortii civilis, et quam infaustæ sint ejusdem sequelæ.

IV

An et quandonam permitti potest apud nos 1/ ut conjux valido matrimonio junctus a judice sollicitet divortium civile; 2/ ut advocatus ejus partes sustineat.

V

Quid venit nomine naturæ corruptæ, quæ est materia mortificationis christianæ?

VI

Quid sunt et in quo differunt altare fixum et altare portatile?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii feria V, die 21ª hujus hora 2ª. **Omnes enixe rogantur ut huic cœtui interesse velint.**

*
* *

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 2me FASC. MAI 1910 :

E. Van Cappel. Pagus Mempiscus. Bijdrage tot de geschiedkundige aardrijkskunde van Vlaanderen, p. 105. — W. H. J. Weale. Analectes pour servir à l'histoire de l'art à Bruges. 135. — C. Callewaert. L'architecte Louis Van Boghem miniaturiste? 142. — J. Yernaux. Les fêtes civiques à Bruges sous la révolution. 147.

Comptes rendus. — Dr Andreas Walther. Die Burgundischen Zentralbehörden unter Maximilian und Karl V. (R. De Schepper). 178. — Chanoine A. C. De Schrevel. Établissement et débuts des Carmes Déchaussés à Bruges. (A. De Meester). 181.

Chronique. — Sociétés savantes et Congrès. — Expositions. — Périodiques. — Notes bibliographiques. — Archives et manuscrits. — Nouvelles d'art et d'archéologie. — Nouvelles d'histoire locale. — Nécrologie. — Questions. 184.

Notes et Documents. — A. De Poorter. Notes de M. James Weale. 195. — Bon van Zuylen van Nyevelt. Appel aux Flamands pour la colonisation des Iles St-Dominique. 204.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 151 à 312). p. 33*.

*
* *

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* Synopsis. Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

1. Cum nuper legerem librum S. Augustini *de videndo Deo* (1), memini me in *Meditationibus theologicis*, agendo de unione creaturæ cum Deo, ad aliud tempus remisisse ulteriorem inquisitionem in fontibus fidei de quæstione quam nunc propono, quæ quidem complexa est, plura investiganda necdum omnia satis explorata comprehendens.

Igitur, tum claritatis gratia, tum ut certa ab incertis rite distinguamus, quæstionem in varias partes dispescimus, certa quidem annotando solum, de incertis vero inquirendo latius.

QUÆSTIO I.

PER QUID HOMO IN PRÆSENTI ORDINE SUPERNATURALI FORMALITER CONSTITUITUR JUSTUS SEU SANCTUS.

2. Huic quæstioni habemus responsum certum, ab omnibus admissum ac porro admittendum, ex Concilio Tridentino:

« Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus

(1) Alias *Epist. 112 ad Paulinam* (coll. Epist. 111 ad Fortunatianum).

partitur singulis prout vult..... Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem... (1). »

Nequaquam proinde in hoc audiendus est Magister P. Lombardus (2) qui « ponit, *ait S. Thomas* (3), quod charitas non est aliquid in anima, sed ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. »

Oportet ergo omnino admittere causam formalem justificationis seu sanctitatis nostræ esse gratiam sanctificantem ac charitatem, cum annexis donis, a Deo infusas.

QUÆSTIO II.

An gratia habitualis cum annexis donis, sicuti est forma sanctificans, ita quoque causa formalis est adoptionis justorum in filios Dei.

3. Multi theologi ita loquuntur de gratia sanctificante ac charitate ut indiscriminatim dicant eadem nos constitui tum justos seu sanctos, Deo gratos et amicos, tum etiam filios Dei adoptivos ac hæredes. Quæstionem nostram : an æque causa formalis sit gratia utriusque effectus, plerique non ponunt, nec adeo resolvere censentur. Quidam tamen expresse eidem respondent affirmando.

Alii theologi distinguunt, dicentes gratiam ac charitatem esse quidem proprie formam sanctitatis, qua Dei amici constituimur, non vero rationem causæ formalis habere respectu adoptionis, quamvis adoptio non sit sine gratia sanctificante ac charitate. Quod quomodo intelligendum sit infra exponemus.

In hoc autem quod negant gratiam sanctificantem

---

(1) Cap. VII *de Justif.*
(2) *Sent.*, lib. I, dist. 17.
(3) 2-2, q. 23, a. 2.

esse causam formalem adoptionis, iis omnino assentiendum putamus.

Etenim, in fontibus fidei, scilicet in S. Litteris et apud Patres non tantummodo invenitur nihil quod adstruat hujusmodi causalitatem formalem, sed imo nihil inveniri posse, utpote quod revelatum esse nequit nec veritatem habet, ex eo deducimus quod in natura humana Verbi incarnati gratia sanctificans, eaque perfectissima adest, quin sit causa formalis adoptionis, siquidem Christus ut homo nequaquam dici potest nec est filius Dei adoptivus. Porro si in Christo gratia non est causa formalis adoptionis, ergo neque in nobis, siquidem causa formalis non potest non dare formam propriam ac specificam cujus est causa.

Addamus nonnullos Patres reapse sensisse, ut dicetur in quæstione sequente, justos veteris Legis post lapsum fuisse quidem sanctificatos gratia habituali et donis, sicuti nos, non vero fuisse filios Dei adoptivos ante Christi glorificationem.

Nequaquam affirmamus esse adoptionem sine gratia sanctificante, sed in sequentibus inquiremus an fuerit in justis aliquando gratia sine adoptione, et quæ sit causa formalis adoptionis in habentibus gratiam.

QUÆSTIO III.

An præter dona creata seu producta, a Deo infusa, gratiam nempe et virtutes, etiam Gratia increata, scilicet ipse Spiritus sanctus justis detur, eosque inhabitet.

4. Huic quæsito respondendo distinguimus inter justos sub nova Lege, et justos veteris Legis saltem post lapsum, seu exceptis ipsis primis parentibus ante peccatum.

Quoad illos priores consentiunt Theologi eosdem non solum donis a Deo infusis sanctificari, sed et ipsum Spiritum sanctum eis dari eosque inhabitare. Igitur

sufficiat hoc adnotasse. Cæterum de testimoniis plurimis ac luculentissimis tum S. Scripturæ, tum Patrum, quæ id conficiunt, infra agendum erit; cum de hoc dissentiant theologi, an dicta inhabitatio Spiritus sancti, quam unanimiter admittunt, sit personæ Spiritus sancti propria, anvero communis Trinitati, Spiritui sancto appropriata.

Si de justis novæ Legis consentiunt Theologi, ita ut S. Thomas non vereatur dicere: « Est error dicentium Spiritum sanctum non dari, sed ejus dona (1); de justis veteris Legis post lapsum in diversas partes abeunt.

Nonnulli cum Petavio, theologo sane gravissimo, putant justos veteris Legis, si protoparentes ante lapsum excipias, non habuisse inhabitantem Spiritum sanctum, nec fuisse filios Dei adoptivos, quamquam fuerunt justi et amici Dei per gratiam sanctificantem annexaque dona infusa.

Huic rei, sane magni momenti etiam in ordine ad cæteras quæstiones consequentes solvendas, paulo diutius immorandum est.

QUÆSTIO IV.

An in justis veteris Legis inhabitaverit Spiritus sanctus, iidemque justi fuerint filii Dei adoptivi.

§ I. Quæritur responsum e Scriptura sacra.

5. Si, primo, sacras paginas volvimus, videmus doctrinam de inhabitatione Spiritus sancti in justorum animis, de sanctis qui templum sint Spiritus sancti, ita novo Testamento esse propriam, ut in libris veteris Testamenti nullus sit sermo de ejusmodi inhabitatione.

Spiritus sanctus sub his terminis in tota Scriptura

(1) 1, q. 43, a. 3.

antiquæ Legis ne nominatur quidem nisi bis (1), videlicet SAP. IX, 17: « Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis. » Ubi apponitur verbum *spiritum sanctum tuum* verbo *sapientiam,* sicut antea v. 10 dictum fuerat: Mitte illam (sapientiam) de cœlis sanctis tuis; ita ut non de persona Spiritus sancti, sed de instinctu sapientiæ a Deo immisso hæc intelligi possint, ut videtur interpretari Vulgata, scribens *spiritum* sine majuscula. Quodsi de persona Spiritus sancti sumas, parum refert, cum de illuminatione a Deo infusa, quæ merito appropriatur Spiritui sancto, agatur.

Alter locus est in Ps. L: « et spiritum sanctum tuum ne auferas a me », ubi rursus Vulgata sine majuscula scribit spiritum, sicut versu præcedente: « et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Parallelismus ille, sicut et in v. sequente: « et spiritu principali (i. e. promptæ voluntatis) confirma me », satis indicat non de Spiritu sancto agi, sed de instinctu seu spiritu sanctitatis, rectitudinis, promptæ ad bonum voluntatis, id est de effectu quodam Spiritus sancti seu Spiritui sancto juste attributo.

6. Sæpius quidem de *spiritu Dei* seu *Domini,* de *Spiritu* absolute mentio fit in libris antiqui Testamenti; dicitur insilire in aliquem, esse in aliquo, induere aliquem, imo implere aliquem, recedere ab aliquo; sed rem propius inspicienti patet in iis omnibus locis agi de charismate aliquo Spiritus sancti, prophetiæ potissimum, vel sapientiæ, aut de instinctu divino ad consilium aliquod seu mandatum Dei rite perficiendum; nuspiam vero de inhabitatione ipsius Spiritus sancti in anima sancta tamquam in templo suo. Recenseamus locos præcipuos quosdam, in quibus primo intuitu seu verbotenus ad inhabitationem Spiritus sancti videretur propius accedi.

---

(1) Vel ter, si computes ECCLI. I, 9, ubi tamen voces *in Spiritu sancto* desunt in textu græco. Cæterum nihil hæc ad rem nostram faciunt.

Exod., XXXI, 3 dicit Dominus de Beseleel: « et implevi eum spiritu Dei » sed statim sequitur explicatio: « sapientia et intelligentia, et scientia in omni opere. 4. Ad excogitandum quidquid fabrifieri potest ex auro, » etc.

Num., XI, 25 dicitur requievisse in septuaginta viris Spiritus, sed agitur de charismate prophetico a Spiritu sancto accepto, ut contextus aperte demonstrat vv. 25-29; imo inducitur Deus « auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris, » v. 25.

Num., XXVII, 18: « Dixitque Dominus ad eum (Moysen): Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus... », nempe, v. 16: « qui sit super multitudinem hanc: et possit exire et intrare inter eos... » Idem valet de Judicibus Othoniel: « Fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israël » (Jud., III, 10); Gedeon: « Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina... » (ibid., VI, 34); Samson: « Irruit itaque in eum Spiritus Domini » (XIV, 19). Eodem sensu: « Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino. » Item: « directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps. » (1 Reg., XVI, 13, 14). In his omnibus locis agitur de charismatibus a Spiritu Domini acceptis ad regendum populum, eum liberandum, etc.

Non putamus in ullo textu veteris Testamenti sermonem fieri de inhabitante Spiritu sancto in anima justi, vel de sancto et justo tanquam templo Spiritus sancti. Quod autem S. Paulus, 2 ad Cor., VI, 16 ait: « Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus; » evidenter sensu typico allegat textum Levit., XXVI, 12, qui literaliter significat Deum in templo suo, in medio populi sui habitaturum. Ex quo deduces potius non fuisse in veteri Fœdere hanc inhabitationem Dei in animis sanctorum, quam significabat futuram inhabitatio Dei in medio populi, in templo suo.

7. Restat verbulum dicendum de justis qui ante Christum glorificatum vixerunt adeoque ad Fœdus antiquum potius pertinent, de quibus mentio fit in Evangelio, nempe Luc. I et II, ubi de Joanne dicitur: « et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » Item: « repleta est Spiritu sancto Elisabeth. » Rursus: « Spiritus sanctus erat in eo (Simeone). »

Quod de Simeone justo dicitur (Luc. II, 25) intelligendum est de charismate prophetico a Spiritu sancto infuso, nam græce legitur non *in eo* sed *super eum,* et statim subdit Evangelista, v. 26: « Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem..., » et v. 27: « Et venit in spiritu in templum. »

Pariter de Elisabeth: « repleta est Spiritu sancto... et exclamavit voce magna... » Idemque de Zacharia valet.

Quod Joannem spectat, illud quod dicitur: « Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, » si conferatur cum impletione prædictionis: « Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, » *directe* quidem Joannem spiritum propheticum a Deo accepisse significari videtur, cum jam ex utero Christum demonstraverit exultando. Nequaquam tamen negandum est etiam significari ejus sanctificationem in utero per Spiritum sanctum. Anvero etiam Spiritum inhabitantem et manentem ut in templo suo simul receperit, ex textu concludi certo nequit, et sunt inter Patres, ut videbimus, nempe S. Cyrillus Alexandrinus, qui id diserte de S. Joanne Baptista negat. Cæterum, cum tantus fuerit ut, teste ipso Christo, nullus major sit inter natos mulierum, propheta et plus quam propheta qui digito Agnum Dei ostendit, qui sanctificatus fuit in utero matris, ecquid ipsum, e cæteris exceptum, habuisse et Spiritum sanctum inhabitantem, cæteros justos antiquæ Legis ejusdem numeri fuisse demonstrat? Quod certissime de B. Maria Virgine nemo dubitabit asserere, videlicet eam ita Spiritu sancto

ab ipso primo momento conceptionis fuisse repletam ut eumdem Spiritum tamquam in templo suo splendidissimo inhabitantem habuerit.

8. Hactenus, ex divini verbi testimoniis arguendo, concludere licet, Spiritum sanctum tum sub antiqua Lege missum fuisse et datum hominibus, tum sub nova Lege, sed interesse modum: in justis sub Fœdere novo omnes agnoscunt Spiritum sanctum inhabitare sanctos, qui templum sunt Spiritus sancti, quemadmodum ex pluribus iisque luculentissimis Scripturæ textibus, de quibus postea, constat. Sub vetere Testamento testatur Scriptura multiplicem Spiritus operationem variaque charismata, nulla mentio fit inhabitationis Spiritus in justis, nuspiam hi vocantur templum Spiritus sancti.

9. Quod jam filiationem adoptivam attinet, ex sacris Litteris pariter hæc conclusio patet: cum adoptio in filios justis sub Lege evangelica aperte adscribitur, nihil prorsus in libris veteris Testamenti occurrit quod sanctos antiquæ Legis filios Dei adoptivos asserat. De adoptione nullus est sermo, nisi quod filia Pharaónis Moysen adoptavit in locum filii, et Mardochæus sibi adoptavit in filiam suam Esther. Neque justus aliquis unquam filius Dei vocatur, neque sancti seu justi filii Dei, hoc nempe sensu quod sint in locum filii seu in filios adoptati a Deo, consortes facti naturæ divinæ, ut in novo Testamento filii Dei vocantur justi.

Bene ostendit Franzelin (1), ne in universa quidem Scriptura hominem aliquem aut angelum singularem vocari filium Dei, quod nomen est Christo soli reservatum. Quod vero justos in numero plurali attinet, dum passim in novo Testamento filii Dei aut filii adoptionis vocantur, in vetere contra Testamento hæc appellatio eodem sensu non occurrit. Angeli quidem vocantur *filii Dei*, per oppositionem ad *filios hominum,* utpote a Deo creati immediate, vel etiam ut habitatores domus patris

(1) *De Verbo incarnato,* thes. III.

cœlestis; an vero sub hac præcise nota sanctitatis, nihil refert ad rem nostram, cum angeli semper vident faciem Patris. Cæterum de angelis sub hoc respectu forte sermo redibit apud Patres. Homines quoque aliquando vocantur filii Dei, non qua præcise justi, sed per oppositionem ad *filias hominum*, ut GEN., VI, 2; aut propter alium titulum dignitatis vel potestatis, ut PSALM. 81: « Vos dii estis et filii Excelsi omnes ». Neque cuipiam in mentem veniet justos antiquos fuisse filios adoptivos Dei ex eo concludere quod Deus aliquando Israel vocet filium suum, imo primogenitum (1), aut ex hoc quod ECCLI., IV, 11, post varias ad virtutem exhortationes, dicatur de illo qui hæc perfecerit: « Et eris tu velut filius Altissimi obediens ».

10. Majorem forte difficultatem facescere videri potest quod legimus SAP., II, 13 et 18: « Promittit se (justus) scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat », ubi justo, non quidem singulari sed indefinite sumpto, videtur tribui nomen filii Dei; et similiter: « Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum ». Quod in græco legitur: Εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱός θεοῦ; Si enim justus est filius Dei. Ad hæc animadvertendum est in priore loco græce legi παῖδα Κυρίου quod etiam verti potest *servum Domini* (2). Præterea in his textibus est prophetia de Christo, justo per excellentiam et vero filio Dei. Quodsi dicas simul tamen de justo indefinite agi, respondemus dato quod ita sit, nonnisi tamen typice in ordine ad Filium Dei unigenitum justus quivis seu indefinite et collective sumptus dicitur filius Dei; quod quidem, dato etiam per illud significari filium Dei adoptione, dupliciter intelligi potest, nempe in spe et jure per gratiam sanctificantem, vel in re et facto per aliam causam formalem, ita ut hoc proprium sit justis novæ Legis, illud competat sanctis Legis veteris, ut

(1) V. EXOD., IV, 22, 23; cf. JEREM. XXXI, 9 et 20; MALACH., I, 6.
(2) V. Beelen et Jans. Gandav. in h. l.

explicabimus latius, agendo de sensu hac in re sanctorum Patrum.

11. Hucusque ex S. Litteris argumentum deduximus, quod mere negativum videri cuipiam potest, cum nullus textus positive abneget justis antiquis adoptionem in filios Dei. Attamen in re ipsa plusculum significare videtur silentium veteris Testamenti, si conferatur cum affirmationibus repetitis et adeo luculentis novi Testamenti de adoptione justorum in filios post Christi glorificationem, eo vel magis quod origo, per baptismum nempe quo ex Deo nascimur et inserimur Christo, et causa hujusmodi adoptionis, scilicet Spiritus ipse sanctus post Christum datus et justos inhabitans, in sacris paginis novi Testamenti indicantur, ut de doctrina Patrum mox agendo videbimus.

Quid tandem quod Joannes testatur in evangelio: « Hoc autem dixit (Jesus) de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (1). » Quod quidem non de abundantiori effusione intelligi potest, sed de excellentiori oportet accipere, qualis nondum facta fuerat, cum absolute dicatur: nondum erat Spiritus datus; nec de sola visibili missione qua tali, cum spectet ad omnes credentes in Jesum, quamquam a visibili missione in die Pentecostes incepit.

12. Sunt qui heic objiciunt Augustinum, *De Trin.*, IV, 29 (2), quasi, agens de hoc textu S. Joannis, inter dationem et missionem Spiritus sancti ad prophetas et justos antiquos interque dationem ac missionem Spiritus sancti post Jesum glorificatum nullum discrimen inveniat aliud, quam quod tunc homines, veniente in se Spiritu sancto, locuti sunt linguis quas non noverant, quod antea numquam fuit. Ut de sensu Augustini judicemus, citemus ejus verba integra. Totus in eo est

(1) C. VII, 39.
(2) Et cf. ejusdem S. Aug. *Expos. in Joannem*, tr. XXXII et LII.

S. Doctor ut ostendat unum esse Spiritum sanctum, a Patre et Filio procedentem, quamquam multipliciter datur et mittitur quo significatur eum a Patre et Filio mittente et dante procedere. Dein addit: « Et quod dicit Evangelista: Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus: quomodo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat, qualis nunquam antea fuerat. Si enim antea Spiritus sanctus non dabatur, quo impleti prophetæ locuti sunt, cum aperte Scriptura dicat et multis locis ostendat Spiritu sancto eos locutos fuisse, cum et de Joanne Baptista dictum sit: Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ; et Spiritu sancto repletus Zacharias invenitur pater ejus, ut de illo talia diceret; et Spiritu sancto Maria, ut talia de Domino quem gestabat utero prædicaret; Spiritu sancto Simeon et Anna ut magnitudinem Christi parvuli agnoscerent: quomodo ergo Spiritus nondum datus, quia Jesus nondum erat clarificatus, nisi quia illa datio vel donatio vel missio Spiritus sancti habitura erat quamdam proprietatem suam in ipso adventu, qualis antea nunquam fuit? Nusquam enim legimus, linguis quas non noverant homines locutos, veniente in se Spiritu sancto, sicut tunc factum est, cum oporteret ejus adventum signis sensibilibus demonstrari, ut ostenderetur totum orbem terrarum atque omnes gentes in variis linguis constitutas, credituras in Christum per donum Spiritus sancti. »

Ex his vides S. Augustinum quæstionem de inhabitatione Spiritus sancti in justis, qua templum sint Dei, filiique adoptivi, ne attingere quidem, sed agere de charismate prophetico in prophetis aliisque veteris Legis hominibus, etiam in Joanne Baptista et ipsa B. Virgine Maria, *ut talia de Domino... prædicaret.* Neque de abundantiori sanctificatione per Spiritum in Pentecoste data heic cogitat, imo secus sibi contradiceret, cum Joannes et potissimum Maria vel tunc

majori sanctitate pollere existimandi sunt quam justi quivis sub nova Lege. Sed hoc solum intendit Spiritum sanctum, olim datum prophetis, nunc Apostolis et fidelibus dari signo sensibili, eoque tali, quo significetur totum orbem jam omnesque gentes in variis linguis constitutas credituras in Christum per donum Spiritus sancti.

13. Neque efficacius quidam opponunt S. Leonem Magnum, *Serm. II de Pentecoste,* ubi S. Doctor primo inculcat Spiritum sanctum semper fuisse et esse (1), doctrinamque de SS. Trinitate luculenter exponit, deinde addit: « Hac fide firmiter apprehensa, non ambigamus quod cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam et patriarchæ et prophetæ et sacerdotes, omnesque sancti qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati, et sine hac gratia nulla unquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum. Ipsi quoque beati Apostoli ante passionem Domini Spiritu sancto non carebant, nec potentia hujus virtutis aberat ab operibus Salvatoris. Et cum discipulis daret infirmitatum curationem, et ejiciendorum dæmonum potestatem, ejus utique Spiritus largiebatur effectum. » Ubi rursus vides nihil ad quæstionem de inhabitatione Spiritus sancti, tamquam in templo suo, in justis antiquis, spectare hæc verba S. Leonis, qui solummodo affirmat, quod omnes agnoscunt, Spiritum sanctum semper esse et fuisse, et tum

(1) Num forte S. Leo meminit in textu græco sæpius deesse v. *datus* apud Joan. VII, 39, et legi: *Nondum enim erat Spiritus* (vel Spiritus sanctus), quia Jesus nondum erat glorificatus? Idem quæri potest de S. Augustino; vid. præs. *Expos. in ev. Joannis,* tr. XXXII, ubi citato textu Joannis: Nondum erat Spiritus datus.... statim addit: « In evidenti est intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum; sed nondum erat in eis qui credituri erant in Jesum. »

variis charismatibus tum gratia sanctificante homines vegetasse, omniaque sacranda sacrasse, quæ quidem operationes, ut supra dixerat, sunt unius indivisæ Trinitatis, sed uni Personæ attribuuntur ut insinuetur distinctio Personarum, neque in die Pentecostes inceperunt eædem operationes, sed tunc fuerunt majoris largitatis. Quam quidem largitionem majorem, etiam quod proprie sanctificationem animarum attinet, verificatam fuisse illi Patres et theologi merito dicent, qui post Christi glorificationem justos jam habere Spiritum inhabitantem docent, esseque filios adoptivos Dei.

(Continuabitur).

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. Explica Eph. 2, *17-22. (17) Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope. (18) Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. (19) Ergo jam non estis hospites et advenæ: sed estis cives sanctorum et domestici Dei: (20) superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: (21) in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, (22) in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

Respondetur. I. Argumentum. In parte dogmatica Ep. ad Eph. (c. 1-3), S. Paulus beneficia celebrat spiritualia per Christi Incarnationem accepta. In c. 2, 11-22 eorumdem beneficiorum excellentiam demonstrat per comparationem status miserrimi in quo lectores Ethnico-christiani hujus epistolæ (1) ante conversionem suam versabantur (2, 11-12) cum statu eorum felicissimo in religione christiana (2, 13-22). Præsenti autem loco 2, 17-22 *exponit Apostolus quomodo Christus etiam ipsis pacem cum Deo conciliaverit, ipsosque effecerit cives regni messiani, quippe qui ad unum illud ædificium spirituale, cujus lapis angularis est Christus, pleno jure pertineant.*

---

(1) Quæ fuerit encyclica seu circularis, ad plures Ecclesias Asiæ-Minoris scripta. De lectoribus Epistolæ disputatur. Cf. JACQUIER, *Histoire des livres du N. T.*, t. I, Paris, 1903, p. 285 ss.; BRASSAC, *Manuel biblique*, t. IV, Paris, 1909, p. 381 ss.; P. LADEUZE, *Revue biblique*, 1902, p. 573 ss.; *Catholic Encyclopedia*, New-York, art. *Ephesians*, (Epistle to the); ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament*, Leipzig, 1906, t. I, p. 342 ss.

II. **Paraphrasis** cum subjectis adnotationibus.

17. *Et* Christus *veniens* tum per seipsum prius (1), tum deinde per Apostolos suos (2), *evangelizavit* seu prædicavit bonum nuntium *pacis*, i. e. reconciliationis cum Deo (3) tam *vobis* ethnicis *qui longe fuistis* a regno theocratico Israel et a promisso Messia (4), tam *iis* scil. Judæis *qui* fuerunt *prope*, jure civitatis gaudebant et hæredes erant Testamenti promissionis de venturo Messia (cf. v. 11).

18. *Quoniam* (etenim) *per ipsum* Christum Mediatorem et Conciliatorem *ambo* (Ethnico-christiani et Judæo-christiani) Deo reconciliati, *uno* eodemque Spiritu (5) donati ac viventes *habemus accessum* seu fiducialem introitum *ad Patrem* cælestem (qui simul est Pater Christi et Pater christianorum) (6).

19. *Ergo*, Gentiles conversi, *jam non estis*, respectu Dei, ut olim (7), *hospites* seu extranei (ξένοι), peregrini, *et advenæ* juxta domum Dei habitantes (πάροικοι), *sed* (8) jam *estis concives* (συνπολῖται) christianorum (9) eodem

---

(1) *Veniens* hic supponit imprimis pro vita Christi publica. Cf. *Mt.* **11**, 18, 19; *I Tim.* **1**, 15.

(2) Quos misit in mundum *universum* prædicare Evangelium omni creaturæ, *Mt.* **16**, 15.

(3) Compara *II Cor.*, **5**, 18-21.

(4) Cf. vv. 12-13 et *Is.*, **57**, 19.

(5) *In quo* cum filiali amore *clamamus* Abba Pater, *Rom.*, **8**, 15; *Gal.*, **4**, 6.

(6) Cf. *Jo.*, **20**, 17: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.

(7) Cf. v. 12 ubi religiosa conditio Gentilium ante « reconciliationem » a Christo peractam, breviter sed accurate describitur: « Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, sine Deo in hoc mundo ».

(8) Cf. *Heb.* **12**, 22: « Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem... et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et judicem omnium Deum » etc.

(9) Ἅγιος proprie significat: venerandus propter aliquam cum Deo connexionem, Deo selectus, proprius, Deo consecratus (adeoque a rebus profanis segregatus). Israelitæ nomen τῶν ἁγίων sibi vindicarunt, ut quos Deus sibi a ceteris populis segregaverit vitam Ipsi acceptam acturos

cum cæteris christianis jure civitatis fruentes, *et* tanquam filii familias estis in *domo Dei* habitantes (1).

20. Vos, Gentiles conversi, « tanquam lapides vivi » (*I Pet.* **2**, 5) *superædificati* estis ut « domus spiritualis » *(ibid.) super fundamentum* quod sunt (2) *Apostoli et*

---

ipsiusque favore ac tutamine gravisuros. Hoc prædicatum in N. T. sæpissime ad christianos transfertur, quos Deus ex hoc mundo (*Jo.*, **17**, 14, 16) segregavit, ad vitam sanctam vocavit Spiritu sancto seu gratia interna donavit (v. 22), ut quondam regni ipsius Dei participes reddantur.

(1) Cœtus discipulorum Christi seu Ecclesia in v. 19 exhibetur sub metaphora *regni* cujus Deus ipse est rex, ac sub imagine *domûs* cujus Deus est pater familias. Ante Christum mediatorem civitas Dei pariter existebat, in qua tamen soli Judæi jure civitatis gaudebant, dum Gentiles tanquam « hospites et advenæ » exclusi erant a communione Israel; erant præterea « hospites testamentorum » (v. 12) i. e. extranei a pactis quæ Deus cum patribus populi Israel de venturo Messia pepigerat. At in regno Dei novo a Messia instaurato, tùm Judæi tùm Ethnici sunt « concives » seu eadem habent jura ac privilegia. — Sub V. T. Judæi, filii ancillæ, quidem erant « de domo Dei »; verùm « Jerusalem quæ nunc est » « in servitutem » generabat (*Gal.* **4**, 23 ss.). Sub nova œconomia omnes christiani « non sunt ancillæ filii, sed liberæ »; etenim « illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra ». « Misit Deus Filium suum;... ut adoptionem filiorum reciperemus » omnes sc. Judæi et Ethnici (*Gal.* **4**, 5). « Ambo enim filii Dei estis per fidem... in Christo Jesu » (*Gal.* **3**, 26). « Ambo » jam fiducialiter ad Patrem cælestem accedunt. « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) » (*Rom.* **8**, 15). Accedunt autem « in uno Spiritu » sancto: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei » (*Rom.* **8**, 16). Ecclesia Christi universalis (v. 20 s.), sicut Ecclesia quævis particularis (v. 22), sub imagine ædificii exhibetur. Cf. *I Cor.* **3**, 16-17; *II Cor.* **6**, 16.

(2) *Apostolorum et Prophetarum:* genit. appositionis potius quam subjecti. Apostoli et Prophetæ probabiliter cogitantur fundatores Ecclesiarum. Vocantur autem *fundamentum*, quatenus per prædicationem et regimen suum sustentant fideles ipsis superædificatos; cf. *Apoc.* **21**, 14. Hæc verba minime pugnant cum *I Cor.* **3**, 11 ubi dicitur aliud non esse fundamentum præter Christum. Christus enim est fundamentum *primarium*, ex seipso seu propria auctoritate. Apostoli et Prophetæ fundamentum sunt *secundarium*, quatenus intime cum Christo uniuntur, et tanquam adjutores ejus nomine loquuntur, ejusque auctoritate vestiuntur. Neque pugnant cum *Mt* **16**, 18, ubi Petrus dicitur *petra* seu fundamentum Ecclesiæ sensu perfectiori quam Apostoli et Prophetæ; quatenus nempe sua suprema auctoritate docendi et regendi sustentat, non tantum fideles, sed universam Ecclesiam, tam docentem quam audientem. Cf. Van

Prophetæ Novi Testamenti (1), cum ædificii illius extremus *angularis lapis* (2) sit ipse *Christus Jesus*.

21. *In quo* lapide angulari *omnis* seu universa Ecclesia (3) *ædificata* i. e. arcte juncta *crescit* et fit *templum* (4) *sanctum* adjunctione indesinenti novorum lapidum vivorum *in Domino* sanctificatorum.

22. *In quo* eodem lapide angulari etiam *vos* Ephesii (5) simul cum Judæis conversis *coædificamini* (6) per *Spiri-*

Steenkiste, *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, Brugis, 1906, t. II, p. 33; Ceulemans, *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, Mechliniæ, 1902, t. II, p. 14 s.

(1) Probabilius intelligendi sunt *Prophetæ Novi Testamenti*, tùm quia post Apostolos recensentur, tùm quia eodem modo nominantur infra, ubi de Prophetis Novi Testamenti certocertius agitur: « Sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis, et Prophetis » (**3**, 5); « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam quidem Prophetas » (**4**, 11). Cf. etiam *I Cor.* **12**, 28; *Apoc.* **18**, 20; *Act.* **13**, 1-4. Prophetæ autem intelliguntur viri donati charismate prophetiæ late sumptæ, quo sc. ex peculiari Spiritus dono, loquebantur ad ædificationem, consolationem et exhortationem, et quandoque secreta cordium vel futuras res arcanas annunciabant. Summè probabile est Prophetas fuisse sacerdotes primi ordinis seu Episcopos (*Act.* **13**, 1-4) plerumque itinerantes (*Act.* **11**, 27; *Doct. XII Ap.*, **13**).

(2) Ἀκρογωνιαῖος (ἄκρος extremus et γωνία: angulus) in extremo angulo positus, lapis in extremo angulo positus ad duos muros conjungendos et continendos. Agitur de lapide angulari posito in fundamento, uti patet etiam ex *I Pet.* **2**, 6 ubi textus *Is.* **28**, 16 fere verbotenus juxta LXX citatur. Hujusmodi lapis duos muros ex diverso latere venientes conjungit: ita Christus duos populos, eos qui Judæi olim fuerant et Gentiles, in unum jungit cœtum christianum. Et sicut lapis angularis ad sustinendum ædificium maxime confert, ita Christus toti ædificio ecclesiastico firmitatem præstat. Cf. *Eph.* **2**, 21 s.; *I Pet.* **2**, 4-8. Has duas proprietates scil. cohæsionem et soliditatem in ædificio doctrinali Ecclesiæ esse a Christo derivandas, Paulus hîc maxime intendit.

(3) Gr. πᾶσα οἰκοδομή, potest etiam intelligi singula Ecclesia particularis; ita οἰκοδομή de cœtu particulari sumitur *I Cor.* **3**, 9 coll. v. 17. Verùm contextus alteram interpretationem magis commendare videtur.

(4) Gr. ναός dicitur de Templo Hierosolymitano et quidem de sola *æde sacra*, ut distinguatur a toto ædificio quod, præter ædem sacram complectebatur atria et porticus. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 144 ss.

(5) Tanquam exemplum principii supra v. 19 s. dati, quod scil. Gentiles sunt « cives sanctorum et domestici Dei ».

(6) Tempus præsens innuit ædificationem templi esse adhuc in fieri.

tum sanctum in vobis habitantem (1) *in habitaculum Dei.*

Nota. Dum describit beneficia quæ Christi Ecclesiæ membris conferuntur, notas veræ Ecclesiæ distinctivas indirecte designat. Sunt sequentes: 1° *Unitas:* Ecclesia est unum regnum unaque familia divina v. 19, unum ædificium, quod unicum habet fundamentum primarium, Christum v. 20; cf. vv. 14 et 16 — 2° *Catholicitas,* quatenus Ecclesia omnes complectitur gentes; cf. v. 14 — 3° *Apostolicitas,* quatenus Ecclesia super Apostolos, fundamentum secundarium, fundatur v. 20 — 4° *Sanctitas,* quatenus Ecclesiæ membra sunt sancta v. 19, utpote a Spiritu sancto sanctificata v. 22 (2).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone in quo consistat dogma de resurrectione carnis.*

R. Nomine « dógma » intelligendo veritatem a Deo revelatam et qua talem credendam propositam ab Ecclesia catholica, dicimus dogma de resurrectione carnis importare a/ *omnes homines mortuos adultos iterum victuros esse*, b/ *in propriis corporibus,* c/ hancque resurrectionem pro universalitate generis humani eventuram esse *in consummatione sæculi* (3).

---

(1) Cf. *I Cor.* **3**, 16-17; *II Cor.* **6**, 16.

(2) Cf. Van Steenkiste, *o. c.*, p. **36**; Prat, *La théologie de S. Paul,* t. I, Paris 1908, p. 426 ss.

(3) Cf. Jungmann, *De novissimis,* n. 201 ss.; Lambrecht, *De novissimis,* Gandavi, 1888, p. 159 ss.; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* Œniponte, 1896, t. III, n. 697 ss.; Einig, *De Deo consummante,* Treveris, 1898, p. 48 ss.; Billot, *Quæstiones de novissimis,* Romæ, 1902, p. 133 ss.; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik,* Paderborn, 1906, T. III, p. 708 ss.; Del Val, *Sacra theologia dogmatica,* Matriti, 1908, t. III, p. 701 ss; Herrmann, *Institutiones theologiæ dogmaticæ,* Romæ, 1908, p. 785, n. 1997 ss.

Explicatio.

1. Dicitur omnes homines *mortuos:* non enim de fide est omnes hominis esse de facto morituros (1). Qui autem non moriuntur, nec resurgent. Hi tamen qui in novissimo die vivent et, ex hypothesi, non morerentur, immutarentur tamen quoad statum corporis (2).

Dicitur mortuos *adultos*. Nam nonnulli auctores censent non esse *de fide* infantes, præsertim non baptizatos, esse resurrecturos; attamen tamquam *certam* habent resurrectionem omnium infantium (3). Ad rem Lambrecht: « Quoad infantes autem qui ante rationis usum moriuntur, certum quidem est et ipsos esse resurrecturos; attamen id dici non potest *de fide,* quia documenta Ecclesiæ et testimonia fontium fidei directe videntur loqui de solis adultis, qui de propriis suis actibus sunt judicandi » (4). Dicitur *iterum victuros esse,* h. e. homines, qui per separationem animæ a corpore mortui sunt, per secundam unionem animæ ad corpus vivent iterum.

2. Dicitur: *in propriis corporibus* (5), ut significetur homines post resurrectionem esse realiter *eosdem homines,* qui vixerunt olim super terram. In hoc est quasi essentia dogmatis. Licet autem *identitas hominis* resurgentis, et quoad animam et quoad corpus, ad ipsum dogma pertineat, tamen non conveniunt theologi catholici de hoc quod requiritur ut verificetur prædicta identitas (6). Inde recte traditur de resurrectione, prout

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, 611 ss.

(2) Cf. *1 Cor.*, **15**, 51 ss. Cf. Cornely, *Commentarius in h. l.* (p. 506 ss.). Van Steenkiste, *Commentarius in S. Pauli epistolas,* Brugis, 1899, p. 385 ss., qui aliam tenet sententiam.

(3) Cf. Suarez, *Comment. in 3am p. S. Thomæ,* disp. 50, sect. 3, n. 4 (t. XIX, p. 925).

(4) *O. c.*, p. 173.

(5) In Concilio Lateranensi IV dicitur: « Qui omnes (tam reprobi quam electi) cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant ». Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 429.

(6) Qua de re sermo erit in alia responsione.

ad fidem pertinente, definitio hæc : « Animæ cum eodem illo corpore, quod morte cecidit, iterata conjunctio » (1). Sed in hac definitione, verba : *cum eodem illo corpore quod morte cecidit* non sunt intelligenda ac si significarent : *cum eadem materia prima* cui unita fuit anima vel quacum uniebatur momento mortis, ut in alia responsione explicabitur.

3. Dicitur hanc resurrectionem pro universalitate generis humani eventuram esse *in consummatione sæculi*, seu in secundo adventu Christi : « Ipse Dominus... descendet de cœlo et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi » (2).

Ab universalitate autem generis humanis, quoad tempus resurrectionis, excipiendi forsitan sunt hi homines quorum corpora tempore mortis Christi surrexerunt (3) ; multi tamen auctores censent illos tantum ad aliquod tempus resurrexisse, deinde iterum esse mortuos ac consequenter iterum resurrecturos esse in novissimo die ; — excipienda est B. Virgo Maria quæ (secundam sententiam ut *proximam fidei* a multis habitam) est jam cum corpore et anima in cœlo.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Compara* notionem *prolis legitimæ et illegitimæ coram jure canonico cum ejusdem notione coram jure nostro civili.*

R. I. **Notio prolis legitimæ.**

Quod spectat notionem prolis legitimæ, jus canonicum et jus civile Belgicum

---

(1) Lambrecht, *o. c.*, p. 159.

(2) *1 Thess.*, **4**, 15. Symbolum quod dicitur Athanasianum habet : « *Ad cujus* [h. e. Christi] *adventum* omnes homines resurgere habent ». Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 40.

(3) *Matth.*, **37**, 52. Cf. S. Thomas, in IV, dist. 43, a. 3, q. 1 ad 3 ; *Supplementum Summæ*, q. 77, a. 1 ad 3.

A. **Conveniunt** in ipso *legitimitatis conceptu essentiali:* eorum utroque nempe foro, legitima dicitur proles concepta vel nata in matrimonio valido vel putativo, i. e. nata ex matre quæ tempore conceptionis, vel saltem nativitatis momento, juncta erat matrimonio valido vel putativo (1), seu bona fide contracto.

Nimirum proles in matrimonio *concepta* (2) præsumitur concepta ex viro cui nupta erat mater, juxta adagium, in utroque foro acceptum: « is pater est quem nuptiæ demonstrant ». Proles autem, quæ est concepta quidem ante matrimonium, sed in matrimonio *nata,* præsumitur procreata ex unione matris cum viro cui deinceps nupsit, et copula ex qua mater concepit censetur, *per fictionem juris,* legitima propter matrimonium nativitatem præveniens.

Porro utraque præsumptio, qua in utroque foro nititur paternitas mariti matris, non est præsumptio juris et de jure, sed juris tantùm, adeoque admittit probationem in contrarium: unde non est legitima proles in matrimonio nata vel concepta, quam constat esse ex alieno viro procreatam.

B. **Discrepant** in quibusdam *accessoriis,* et quidem 1° in hoc quod, *coram jure canonico,* non determinatur modus probandi paternitatem alienam, et cujuscumque speciei probatio admittitur, modò convincens sit ac certitudinem pariens (3).

Contrà, *in jure nostro civili,* variæ exstant dispositiones legales circa facultatem factam marito repudiandi prolem ex uxore natam; et quidem a/ si *concepta* fuit in

(1) Cf. c. 2, X, IV, 17, respective et art. 201 ac 202 cod. civ.

(2) Censetur, coram foro *civili,* in matrimonio concepta, si nascitur post diem 180m inde a matrimonio contracto, et ante 300m diem inde a matrimonii dissolutione.

(3) Non sufficit proinde, ob favorem præstandum proli et matrimonio, dubium, quantumvis probabile: sola certitudo evincit præsumptionem. Ideo non est satis quod mater fuerit adultera, vel et ipsa, sub fide juramenti, fateatur, prolem ex adulterio esse conceptam, nec quod puer in facie assimiletur adultero potius quam marito.

matrimonio, regulariter debet ad hoc invocare *impossibilitatem physicam*, quod nempe « pendant le temps qui a couru depuis le 300e jusqu'au 180e jour avant la naissance de cet enfant, il était, soit par cause d'éloignement, soit par l'effet de quelqu'accident, dans l'impossibilité physique de cohabiter avec sa femme » a. 312; potest tamen, in casu uxoris adulteræ et prolem occultantis, sufficere probatio *impossibilitatis moralis* (1); b/ si, ante matrimonium concepta, *nata* est in matrimonio, ante 180m scil. diem inde a nuptiarum celebratione, sufficit, ad prolem repudiandam, mera repudiationis declaratio ex parte mariti, excepta triplici hypothesi, art. 314 inserta, nempe » s'il a eu connaissance de la grossesse avant le mariage; s'il a assisté à l'acte de la naissance, et si cet acte est signé de lui ou contient sa déclaration qu'il ne sait signer; si l'enfant n'est pas déclaré viable ».

2° *In jure canonico*, non autem in jure civili, a legitimitatis beneficio repellitur proles, licet in matrimonio nata vel concepta, non tantùm quando probatur procreata ex alio patre quam ex matris marito, sed etiam quando alteruter parentum, post matrimonii consummationem, votum emisit solemne aut Ordinem suscepit, nec dispensatio intercessit (2).

II. **Notio prolis illegitimæ.**

Quod spectat notionem prolis illegitimæ, jus canonicum et jus civile .

A. **Conveniunt** iterum in essentiali illegitimitatis conceptu, cæteroquin correlativo ad conceptum prolis legitimæ.

Nimirum, in utroque foro, illegitimi sunt filii qui gignuntur ex matre, quæ, neque tempore conceptionis,

---

(1) Planiol, *Traité élémentaire de droit civil*, 5e éd., Paris, 1908-1909, I, n. 1435 ss.; Arrêt de la Cour de Gand, 3 Janv. 1908, *Pasicrisie*, 1905, II, p. 371 ss.

(2) C. 1 et 11, X, IV, 17.

neque tempore nativitatis, neque tempore intermedio, erat juncta matrimonio valido aut putativo.

Conveniunt etiam in hoc quod, inter proles illegitimas, aliæ sunt *naturales*, aliæ *spuriæ*, prouti procreatæ sunt ex parentibus inter quos, per tempus a conceptione ad nativitatem decurrens, potuisset matrimonium consistere vel non, deficiente scil. vel obstante impedimento in respectivo foro nuptias dirimente; inter spurias autem, aliæ sunt adulterinæ, utpote ex adulterio natæ, aliæ incestuosæ, quæ scil. proceantur ex parentibus affinitate vel consanguinitate conjunctis.

Discrepantia datur in hoc quod, in jure canonico, distincta habetur species prolis *sacrilegæ*, natæ nempe ex religioso aut moniali vel clerico in sacris constituto (1), quæ species non agnoscitur in jure civili; distinguuntur etiam in foro ecclesiastico filii mere incestuosi, nati scil. ex affinibus vel consanguineis in linea collaterali, a *nefariis*, i. e. ex parentibus genitis qui in linea recta existunt consanguinei.

IV

Q. *Institue comparationem inter dispositiones juris canonici et dispositiones juris nostri civilis circa* modum legitimandi *prolem illegitimam.*

R. Circa modum legitimandi prolem illegitime natam, duo fora etiam conveniunt in pluribus, in quisdam discrepant.

A. Convenientia.

In utroque foro proles illegitimæ *naturales* legitimantur *per subsequens matrimonium*, validum, vel etiam probabiliter putativum, *inter parentes naturales* contractum.

(1) Etiam sacrilegi censentur filii nati ex parentibus, legitimo quidem matrimonio junctis, sed quorum alteruter, post consummatum matrimonium, votum emisit solemne aut sacros Ordines suscepit. Cf. modo dicta sub I.

Quod ultimum nota: in foro scil. civili, non secus ac in foro ecclesiastico, vim legitimandi prolem illegitimam naturalem agnosci a lege soli matrimonio inter dictæ prolæ parentes celebrato, quemadmodum clarè continetur in tenore infrà referendo articuli 331. De facto tamen notum est ab officialibus civilibus in hoc negotio contra legis textum et mentem agi, siquidem sæpe sæpius qua legitimatum inscribunt filium, cujus constat patrem non esse virum a matre in conjugem ductum (1).

B. **Discrepantia.**

1° In foro *ecclesiastico,* subsequens matrimonium legitimat *ipso facto;* in foro autem *civili* oportet ut præcesserit vel, in ipsa matrimonii celebratione accedat, *libera parentum recognitio* (2).

2° In ordine ad legitimitatis beneficium ex subsequenti matrimonio consequendum, proli naturali assimilantur, *coram foro nostro civili*, filii incestuosi, nati ex parentibus quidem affinibus aut consanguineis, sed inter quos potuisset, favore dispensationis obtinendæ, matrimonium contrahi (3). Quo pacto proles natæ ex copula incestuosa inter avunculum et neptem vel inter virum et uxoris defunctæ sororem, legitimari possunt per matrimonium inter dictos incestuosos parentes celebrandum: potest enim inter illos dispensatio regia obtineri (a. 164 et 162 cum lege 28 Febr. 1831).

3° *In jure canonico* præsto est *alter legitimandi modus*, in gratiam prolis *spuriæ:* potest scil. legitimari *per*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 122; t. XI, p. 726 et 766.

(2) Art. 331: « Les enfants nés hors mariage, autres que ceux nés d'un commerce incestueux ou adultérin, pourront être légitimés par le mariage subséquent de leurs père et mère, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de célébration ».

(3) Art. 342b, juxta moderationem inductam a lege 6 Aprilis 1908, sic disponit: « Les prohibitions des articles 331... ne concernent pas les enfants nés de personnes parentes ou alliées entre lesquelles le mariage pouvait être autorisé par dispense ».

rescriptum S. Pontificis. Quam legitimationis speciem mutuata est Ecclesia ex Jure Romano, in quo admittebatur legitimatio per rescriptum Principis, quemadmodum diu fuit admissa in legislationibus nostris civilibus, nunc autem penitus evanuit (1).

Nota. Circa *legitimationis ritum* olim usurpatum in subsequenti matrimonio, notare juvat, hunc duplicem præsertim usurpatum fuisse ritum: vel a/ proles legitimandæ ponebantur, momento benedictionis nuptialis, sub pallio extenso super parentibus naturalibus matrimonialiter copulandis; quo ritu symbolicè significabatur proles esse habendas quasi ex matrimonio natas: pallium scil. repræsentabat torum conjugalem (2), adeoque proles exhibebantur quasi ex talamo conjugali procedentes (3); vel b/ ponebantur, momento nuptialis celebrationis, *sub mantella* matris vel patris: quæ cæremonia, ex ritu adoptionis Romanæ mutuata, pariter symbolice significabat prolem censeri ex conjubibus procreatam, quemadmodum in ritu adoptionis significabatur adoptatum cedere adoptanti in proprium quasi carnalem filium (4).

A. De Smet.

---

(1) Circa originem legitimationis per rescriptum Principis, in Jure Romano, et per rescriptum S. Pontificis, in foro ecclesiastico, videsis Wernz, *Jus Decretalium*, IV, n. 680, sub IV; P. Viollet, *Histoire du Droit civil français*, 2e ed., Paris, 1893, p. 473 ss.; Génestal, *Histoire de la légitimation des enfants naturels en droit canonique*, Paris, 1905, p. 182 ss.; Planiol, *o. c.*, I, n. 1550 s.

(2) Cf. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, Brugis, 1909, n. 122, sub 5°.

(3) Cf. Kogler, *Beiträge zur Geschichte der Reception und der Symbolik der legitimatio per subsequens matrimonium*, Weimar, 1904, p. 55-64.

(4) Kogler, *o. c.*, p. 64-76. Inde est quod proles per subsequens matrimonium legitimatæ olim vocarentur filii *mantellati*, mantelkinders, enfants de manteau.

V.

Q. *Faites connaître, surtout au point de vue doctrinal, l'histoire du parti antinicéen sous le pontificat du pape Libère (352-366).*

R. A l'avènement du pape Libère (17 mai 352) correspond un réveil du parti antinicéen : l'empereur Constance, maître de tout l'empire depuis 350 et n'ayant plus de rival à ménager, avait peu à peu mis au service de l'hérésie les ressources de son immense puissance; d'autre part les ariens escomptaient fermement que le nouveau pape leur serait plus favorable que son prédécesseur, le pape Jules I, grand défenseur de saint Athanase. Ils songèrent donc aussitôt à se défaire du symbole de Nicée. Un moment ils pourront se croire vainqueurs, mais le triomphe, en divisant leurs forces, sera le commencement de leur déchéance. Nous avons à raconter brièvement les manifestations doctrinales et les événements relatifs à ce triomphe et au fractionnement de la coalition antinicéenne, ainsique les débuts de la restauration, que le pape Libère eut le bonheur de voir avant sa mort, survenue en 366 (1).

I. **Triomphe du parti antinicéen.**

Les chefs de ce parti s'étaient déjà réunis en concile dès 351, à Sirmium résidence habituelle de l'empereur; ils y rédigèrent une profession de foi, dite *première formule de Sirmium,* formule conçue en termes ambigus, susceptible d'un sens orthodoxe, mais passant *l'homoousios* de Nicée entièrement sous silence (2).

---

(1) Nous avons utilisé les ouvrages indiqués dans les réponses précédentes, *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 662 et supra p. 22 et p. 88, surtout l'excellent manuel d'*Histoire du dogme* de Tixeront, dont le 2d volume *(de Saint Athanase à Saint Augustin)* a paru récemment (Paris, Gabalda, 1909). Nous rappelons que nous avons indiqué quelques bons manuels *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 530 et ss.

(2) Saint Hilaire (*De Synodis*, 51, t. X, col. 518) estime cette formule orthodoxe; un des anathèmes ajoutés avait cependant une tendance nettement subordinatienne. Cfr. Hefélé-Leclerq, I, p. 852 et 858, note 4.

Cependant pour faire passer ses formules, le parti arien comprit qu'il fallait reprendre l'ancienne tactique et se débarrasser des défenseurs de l'orthodoxie: les menées contre Athanase recommencèrent. Le pape Libère, choisi de part et d'autre comme juge de la situation, chercha en vain à le défendre (1); il réunit à cet effet un concile à Arles (353); mais les évêques présents, y compris le légat, Vincent de Capoue, se laissèrent circonvenir par l'empereur et souscrivirent à la déposition d'Athanase. Libère refusa de sanctionner cette sentence et demanda à l'empereur un second concile, qui se tint à Milan en 355; mais la violence y triompha une seconde fois de la conscience des évêques: la question de doctrine fut écartée et la condamnation d'Athanase imposée; ceux qui ne voulurent pas se prêter au désir de l'empereur, soit qu'ils fussent présents au concile, soit qu'ils fussent sollicités à cet effet par après, furent déposés et exilés. Eusèbe de Verceil, Denys de Milan, Lucifer de Cagliari, Hilaire de Poitiers, Rhodanus de Toulouse et Hosius de Cordoue subirent ce sort.

Quant au pape Libère il embrassa résolûment le parti des exilés contre le gouvernement (2): il refusa de sanctionner les décisions de Milan, malgré les sollicitations et les menaces, dont il était l'objet de la part de l'envoyé de l'empereur. Enlevé nuitamment de Rome et conduit à Milan il déclara ne pouvoir condamner

---

(1) D'après la fameuse lettre *Studens paci,* conservée avec 3 autres lettres attribuées à Libère, dans les *Fragments historiques* de Saint Hilaire (*P. L.* X, 678 ss.) le pape aurait au commencement de son règne refusé toute communion avec Athanase et adhéré à la communion des Eusébiens. Mais ces pièces sont généralement tenues pour apocryphes. Cf. WILMART dans la *Revue bénédictine,* 1907, p. 293.

(2) Dès le premier moment il avait écrit aux exilés Eusèbe, Denys et Lucifer une lettre touchante les félicitant de leur conduite courageuse. Nous n'avons de cette lettre qu'un texte mutilé dans HILAIRE, *Fragmentum VI*, 1, *P. L.*, t. X, 686. Cfr. DUCHÈSNE, *Histoire ancienne de l'Eglise,* t. II, p. 259; HÉFÉLÉ-LECLERQ, I, p. 876.

« celui qu'il n'avait pas jugé ». Constance ne parvenant pas à le fléchir, l'exila à Berée et le remplaça à Rome par l'antipape Félix, qui était en communion avec les ariens.

II. Fractionnement du parti antinicéen.

Le parti hérétique triomphait, extérieurement au moins; tant en Occident qu'en Orient, les évêques les plus fidèles étaient dépossédés de leurs sièges; le moment semblait venu de consacrer publiquement et officiellement la doctrine arienne. Mais les évènements prouvèrent bientôt que les antinicéens étaient plus éloignés, qu'ils ne semblaient le croire, du succès final. Le résultat, en effet, qu'ils avaient obtenu était assez superficiel, dû presque partout à la violence et reposant, même en Orient, sur une base factice. Bien plus, l'arianisme récélait en son sein des germes de discorde, restés à l'état latent aussi longtemps qu'on s'en tint sur le terrain de la négation ou de l'opposition à *l'homoousios*, mais qui se développeront rapidement dès qu'il s'agira de fixer un credo positif (1).

Trois groupes parmi les hétérodoxes se disputent jusqu'à la fin du règne de Constance la prédominance et les bonnes grâces de l'empereur.

Le premier est celui des ariens purs ou *anoméens;* on les décorait de ce nom à cause des formules dont ils se servaient pour exprimer leur arianisme rigide: παντελῶς ἀνόμοιός ἐστιν υἱὸς τῷ πατρί. Le chef de ce parti de 350 à 360 était Aëtius et plus tard Eunomius, évêque de Cyzique. Les anoméens en raisonnant sur la doctrine d'Arius, avaient enrichi son système de quelques nouvelles considérations, concernant surtout la question de la ressemblance entre le Père et le Fils, dont on était surtout préoccupé au moment où nous sommes. Dieu, disaient-ils, est par essence, par définition, *improduit;* le Verbe, comme tout ce qui est produit de quelque

(1) V. Tixeront, *o. c.*, p. 48 ss.; Rasneur, *L'Homoiousianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie* dans *Revue d'hist. ecclésiast.*, 1903, p. 289-206 et 411-431.

façon ne peut être dit Dieu, ni semblable au Père dans son être physique ; il est nécessairement et par essence *dissemblable*, ἀνόμοιος, ἐξ ἑτέρας οὐσίας. Partant du principe d'Arius (engendré = créé), ce raisonnement ne péchait pas par la logique, mais il s'accomodait fort mal avec les Stes Ecritures et la Tradition.

Aussi bien, à l'opposé des anoméens se forma, autour de Basile d'Ancyre, un groupe d'évêques à qui l'on donna le nom de *semi-ariens* ou *homoiousiens*. Le mot qui, pour eux, traduisait le mieux les rapports du Fils et du Père était *homoiousios*, semblable en essence ; ce mot marquait plus nettement que l'*homoousios*, pensaient-ils, la distinction des deux personnes, et laissait du reste aux plus avancés du parti la facilité de sous-entendre la subordination du Fils (1).

Enfin, entre ces deux groupes, se glissa bientôt un tiers-parti ayant à sa tête Acace de Césarce et désigné sous le nom de parti *homéen*. Son mot de ralliement était l'*homoios* tout court. Ce parti, avant tout politique, voulait maintenir la concentration antinicéenne par une formule élastique et vague, qui ne choquerait personne.

---

(1) M. Rasneur dans les articles cités a très bien développé les antécédents du parti homoiousien et l'évolution de sa théologie, tout en renversant la thèse antitraditionelle des historiens allemands Zahn, Harnack, Loofs, Krüger et Gummerus. D'après ces derniers, l'homoiousianisme aurait été la véritable pensée de plusieurs Pères de l'Eglise et aurait même eu ses heures de triomphe au sein de la communauté catholique. Cette thèse a contre elle l'évolution historique du parti conservateur (tiers parti au Concile de Nicée. Cfr. *Collat. Brug.*, supra p. 27) et de ses idées. Sa théologie était trop obscure et trop changeante pour exercer une influence prépondérante ; en outre elle s'est rapprochée constamment de l'orthodoxie Nicéenne. Avant 341, les questions de personnes dominent la lutte ; de 341 à 358, tandis qu'augmente l'influence politique des homoiousiens, le plus souvent unis aux ariens, leur doctrine se forme par tâtonnements et s'affirme dans une série de formules indécises et équivoques ; après 358, leur réaction contre les ariens rigides les rapproche davantage de l'orthodoxie : ils cherchent à abandonner le subordinatianisme et les idées cosmologiques d'Origène et admettent, bien imparfaitement cependant, l'unité générique de substance qui, logiquement et par la force des choses, conduit à l'unité numérique. Athanase et Hilaire de Poitiers les traitent dès lors avec bienveillance et, tout en maintenant la doctrine de la consubstantialité, admettent parfois le terme *homoiousios*, parce que, d'après eux, pour les gens bien intentionnés, il ne pouvait signifier autre chose que l'identité de substance.

Tels sont les partis que la victoire remportée sur les adversaires allait mettre aux prises.

La division commença par un éclat des anoméens : les trois fortes têtes de ce parti, Ursace, Valens et Germinius mirent à profit le séjour de Constance à Sirmium durant l'été de 357, pour lancer avec son appui la fameuse déclaration théologique, dite *seconde formule de Sirmium,* et que saint Hilaire appelle du nom qui lui est resté : un blasphème (1). Cette déclaration franchement subordinatienne, répudiait les termes de substance et d'essence, d'*homoousios* et d'*homoiousios,* « expressions qui ne sont pas dans l'Écriture et qui ont la prétention de traduire des relations ineffables » ; elle fut acceptée d'enthousiasme par les autres ariens rigides, notamment dans un synode d'Antioche (358) par Eudoxius et Acace.

Mais les évêques de Gaule la repoussèrent, et presque immédiatement une énergique protestation s'éleva du côté des sémi-ariens. Quelques évêques, réunis à Ancyre, peu avant Pâques 358, lancèrent un long manifeste doctrinal, dans lequel ils revendiquaient hautement la *similitude* de substance : l'idée seule de paternité emportait, déclaraient ils, cette ressemblance. Le manifeste comprenait en outre dix-neuf anathématismes dirigés contre l'anoméisme et le sabellianisme, mais condamnait également l'*homoousios*. Présenté à l'empereur, le manifeste eut l'heur de lui plaire ; un concile fut aussitôt convoqué à Sirmium (358). La profession de foi qui y fut adoptée — *troisième formule de Sirmium* — s'inspire manifestement de la déclaration d'Ancyre : on réunit deux textes antérieurement adoptés, à Sirmium (351) contre Paul de Samosate et Photin, et à Antioche (341) au concile de la dédicace. Ces textes étaient orthodoxes, sauf que l'*homoousios* y était passé

(1) Voir le passage le plus important, tel qu'il est conservé par Hilaire *(De Synodis, 11)* dans Héfélé-Leclerq, t. I, p. 900.

sous silence (1). C'est grâce à cette victoire des sémi-ariens, que le pape Libère put retourner à Rome (2).

Le triomphe cependant de Basile d'Ancyre et de ses partisans ne dura guère ; ils eurent le tort d'en abuser en faisant exiler en masse les anoméens et de vouloir consacrer leur succès par un grand concile. Un retard, apporté à la fixation de la date et du lieu de cette assemblée, permit aux ariens rigides d'opérer une jonction avec les homéens, moins compromis ; grâce aux formules vagues de ce parti politique, ils réussirent à circonvenir de nouveau l'empereur. A leurs instigations Constance décida qu'il y aurait deux conciles l'un à Rimini pour l'occident, l'autre pour l'orient à Séleucie, et que chacun des conciles lui expédierait dix délégués pour lui apporter ses décisions : ainsi fut prévenue l'éventualité d'une fusion entre les sémi-ariens de l'orient et les évêques orthodoxes de l'occident. Bien plus en attendant et avant de quitter Sirmium, les évêques présents (homéens et homoïousiens) rédigèrent une formule — *la quatrième de Sirmium* — qui devait servir de base aux délibérations des deux conciles (3). On eut de la peine à se mettre d'accord : la formule, rédigée par l'évêque Marc d'Aréthuse, interdisait l'emploi du mot οὐσία à propos de Dieu, comme incompris du peuple et non scripturaire, tout en soutenant cependant que le Fils ressemble au Père en tout, ὅμοιος κατὰ πάντα comme les Saintes Ecritures le disent et l'enseignent ; mais tandis que les rigides tâchaient d'escamoter le κατὰ πάντα, Basile et ses partisans y insistaient forte-

---

(1) Saint Hilaire, *De Synodis*, 29-60 ; Saint Epiphane, *Hæreses*. LXXIII, 2-11. Héfélé-Leclerq, t. I, p. 904, ss.

(2) V. réponse du mois d'octobre.

(3) Voir cette formule dans Saint Athanase, *De Synodis* 16, 17 ; c'est le premier manifeste du parti homéen, qui accepte la ressemblance du Père et du Fils ; mais en la limitant à la volonté et aux œuvres, en deça de l'essence ; c'est ce qu'ils entendent par les mots : « semblable suivant les Ecritures ».

ment, en expliquant que ce mot signifiait une similitude non seulement de volonté mais d'être. La formule fut cependant souscrite à l'unanimité, le 22 mai 356, et portée à Rimini et à Séleucie. Elle y fut très mal reçue : à Rimini, où les orthodoxes formaient la grande majorité, on déclara maintenir le symbole de Nicée et l'usage du mot *substance;* à Séleucie, ou les sémi-ariens l'emportaient, l'imprécision de la profession de foi proposée, la fit également rejeter ; ce concile d'ailleurs fut dissous avant d'avoir rien décidé de positif.

Constance ne se laissa pas décourager par cet insuccès ; il retint longtemps les délégués envoyés de part et d'autre, les chapitra et les enveloppa si bien, que tous avant la fin de l'année (359) finirent par trahir leur mandat et souscrivirent la formule prescrite, *d'où l'on avait fait disparaître le* κατὰ πάντα. Ceux de Rimini prirent même sur eux de gagner l'adhésion de leurs commettants. Ils n'y réussirent pas facilement ; la résistance fut longue, mais la ruse et les menaces triomphèrent peu à peu : tous les évêques présents à Rimini finirent par donner leur signature, quelques-uns cependant moyennant certaines additions qui condamnaient l'arianisme. Le symbole souscrit à Rimini fut derechef approuvé dans un concile tenu à Antioche, en janvier 360, déclaré formulaire officiel et communiqué à l'épiscopat tout entier avec ordre d'y souscrire sous peine d'exil. Il n'y eut que le pape Libère, avec quelques évêques de l'entourage d'Athanase pour refuser d'y souscrire (1).

III. **Débuts de la restauration Nicéenne.**

Les véritables vainqueurs à Rimini et Constantinople étaient les homéens ; mais cette victoire par trop factice ne dura guère. Leur arianisme, que l'on pourrait ap-

(1) C'est alors que Saint Jérôme s'écrie, avec une certaine exagération : « Tunc usiæ nomen abolitum est; tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est ; ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est » (*Ad Luciferianos*, c. 19. *P. L.* XXIII, 172).

peler l'arianisme officiel, tirait sa grande force de la faveur impériale; cet appui venant à lui manquer, par la mort de Constance (3 nov. 361), on le vit rapidement décliner et disparaître de l'empire. L'occident d'ailleurs n'avait pas été sérieusement entamé par l'hérésie: les évêques signataires à Rimini avaient été trompés et forcés par les circonstances; ils se ressaisirent bien vite. Déjà en 360 un concile à Paris se prononçait pour l'*homoousios*, tandis que, en Italie, Hilaire de Poitiers et Eusèbe de Verceil travaillaient avec courage et succès à la réconciliation des évêques faillis (1). En orient les partis étaient lassés et les sémi-ariens avaient été rejetés, par leur défaite, du côté des Nicéens, leur seul recours contre leurs adversaires de gauche. Aussi bien les orthodoxes leur tendaient les bras; Athanase notamment dans son concile d'Alexandrie (362), n'exige pour la réconciliation des arianisants, que la reconnaissance du concile de Nicée et le rejet de l'arianisme (2). La persécution de Valens contre les sémi-ariens, n'eut d'autre effet que de les amener davantage vers l'orthodoxie. L'année même de sa mort (366), le pape Libère eut la joie de voir revenir à sa communion cinquante-neuf évêques de l'Asie-mineure (3).

R. De Schepper.

VI

Q. *Quid statuendum de ornatu casulæ?*

R. Casulæ ceterorumque paramentorum ornatus præcipuus, qui præprimis intendi debet et ubique obtineri potest, integritas sane est ac mundities. Scribit

(1) Hilaire, *Fragm.* XI, 1-4.

(2) Voir supra p. 91. Quelques intransigeants, comme Lucifer de Cagliari, voulaient que les *lapsi* fussent à tout jamais exclus du rang du clergé.

(3) Socrate, IV, 12, *P. G.* LXVII, 484.

enim Missale (*Rit.* I, 2): paramenta « non debent esse lacera aut scissa sed integra et decenter munda ac pulchra ». Utinam hæc semper sedulo serventur!

Speciales de ornatu præscriptiones non habet Missale, nihil decreta: rursus (1) ergo servandus est « usus ecclesiarum » quem pro temporum ac regionum diversitate erudite exponit R. P. J. Braun, S. J. (2).

I. De epocha primitiva usque ad sæc. X pauca novimus ex monumentis figuratis. Casulæ panno generatim nullus ornatus videtur superadditus fuisse. In quibusdam tamen monumentis (3) apparet apposita perangusta quædam fascia (ruban, bande): hæc interdum circumcingit aperturam colli et ex utraque parte anteriori et posteriori, linea recta descendit sive ad mediam planetam sive ad infimam oram; interdum habetur hæc longior fascia verticalis, sed ei additur similis fascia quæ a medio dorso utrimque ascendit super scapulas et in medio pectore rursus conjungitur. Hoc autem ornatu insignitam videmus non solam casulam liturgicam sed et planetam seu penulam (4) qua vestiti repræsentantur viri laici, imo Judæi (5). Unde pronum est admittere hunc ornatum non habuisse primitus significationem mysticam, sed forte simul cum ipso indumento ex usu profano in liturgiam fuisse invectum.

A sæculo XI jam frequentior occurrit casula ornata; fascia jam solet esse latior, et quamvis vigeat adhuc ornatus diversitas, paulatim tamen, præcipue a sæculo XIII, pervenitur ad duplicem formam fixam utrique formæ primitivæ congruentem.

1/ In forma ornatus quæ *italica* dici potest, quia in Italia longe frequentior, ampliato paulisper limbo circa

(1) Cf. suprà p. 95 et p. 358.

(2) *Die liturgische Gewandung*, Freiburg, Herder, maxime p. 209 ss.

(3) Et hoc quidem jam in monumentis sæc. VI et VII sæculi.

(4) Casula liturgica antiqua nihil aliud erat quam penula Romanorum; cf. supra p. 358 coll. p 228.

(5) Cf. Braun, *o. c.*, p. 209, 210.

collum (bordure du cou), adauctæ sunt duæ fasciæ verticales, ita ut insignita appareret casula duplici columna, ante et retro : quæ forma hodiedum servatur in Hispania. Quum autem, in Italia, apertura colli in pectore descenderet, inter limbum colli et columnam anteriorem, soliditatis et pulchritudinis gratia, apposita est fascia quædam transversa quæ limites columnæ excederet : efformata est ita figura litteræ tau **T**, quæ est imago crucis quam vocant « commissam ». Quæ imago ut evidentior appareret, angustior fascia transversa ita ampliata est ut crucis duo brachia essent ejusdem latitudinis ac stipes. Hæc est forma Romana hodierna « quæ, ut ait Gavantus (1), ad passionem Domini spectat, quasi Sacerdos sit inter columnam [in dorso] et crucem Christi [in pectore] ».

2/ Alteram speciem vocat R. P. Braun *septentrionalem* quia in regionibus ad septentrionem Italiæ fuit usitatior. In hac, ampliata est utraque columna a summo usque deorsum et utraque fascia humeralis. Hæc ultima fascia scapulis utrimque imposita ideam ingessit *jugi* humeris impositi : unde orta est mystica significatio (2) quam exprimit oratio : « Domine qui dixisti : *jugum* meum suave est et *onus* meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam » (3).

Verum in columna verticali cum fasciis humeralibus cœperunt mox (jam sæc. XIII) videre imaginem crucis Domini quam *furcillatam* vocant, stipitis nempe et brachiorum ascendentium (4). A sæc. XIV frequenter occurrit acu picta imago ipsius Christi crucifixi.

---

(1) *Thesaurus Sacr. Rituum*, p. V, *De mensuris*.

(2) Alias significationes mysticas vide suprà p. 358.

(3) Hæc oratio jam invenitur in sacramentariis sæc. IX et X. Præcedit ergo significatio *jugi* sensum symbolicum *crucis*.

(4) Si enim non attendas parti superiori stipitis, crux imitatur formam furcæ seu Y. Non raro sæc. XIV et XV crux, cui affixus depingitur Christus, exhibet figuram trunci arboris cum ramorum nodis et duobus ramis extensis sed aliquatenus in altum erectis.

Quum eadem esset forma fasciarum in dorso et in pectore, plane intelligimus verba Thomæ Kempensis scribentis in *Imitatione Christi* (lib. IV, c. v, n. 3): « Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit. Habet *ante se et retro Dominicæ crucis signum* ad memorandam jugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit ut propria peccata lugeat: post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat... ».

Decursu autem temporis, post sæc. XIII, prævaluit significatio non jam jugi sed *crucis*; simul pedetentim, ut spatium ampliaretur pro figuris acu pingendis in cruce, dilatabantur stipes et brachia crucis, dum aliunde latitudo casulæ ad humeros minuebatur. Ex his rationibus symbolicis et practicis, decursu sæculi XV universalior indies facta est consuetudo componendi ornatum casulæ *in formam crucis consuetæ latinæ*, cujus nempe brachia horizontalia sunt. Unde, vigente adhuc casula dicta « gothica », jam sat communis evaserat ea ornatus forma quam hodie nostrates usurpare solent, quæ nempe habet *crucem latinam rectam in dorso* et *columnam in pectore*.

Simul ultimis sæculis ad excessum ampliata est crucis latitudo, non solum ut ampliora in cruce acu depingi possent symbola et figuræ, sed sæpe solo parcimoniæ studio (1).

II. In ordine ad conficiendas novas casulas quædam practica notare juvat ex opere perutili R. P. Braun (2) in hoc materia a plurimis jam annis versatissimi.

---

(1) Si enim crux aut columna larga conficiatur ex alia materia quam ipsa casula, tota planetæ latitudo confici potest ex uno tractu (unc largeur) panni serici, quia pannus sericus solet habere latitudinem 54 centimetrorum.

(2) J. Braun, S. J., *Winke fur die Anfertigung und Verzierung der Paramente*. Freiburg, Herder, 1904, p. 41 ss.

Quum casula « Romana » (de qua in præc. responsione) apud nostrates non sit in usu, vitandus est etiam ornatus italicus, et servandus usus ornandi casulas tum columna in anteriori, tum cruce in posteriori parte.

Hæc crux semper sit *crux latina* recta in casula formæ consuetæ, imo et in casula formæ amplioris (1) cujus latitudo non excedat 1.10 aut 1.20 metr.; quodsi forte casula antiquiorem adeoque latiorem formam exhiberet, melius apponeretur ex utraque parte crux *furcillata* antiqua; sed curandum est ut utraque fascia humeralis linea recta in scapulas ascendat, non vero per modum circuli collum circumcingat (2).

Apud nos æquo latiores esse solent cruces et columnæ. Harum « *latitudo* ad summum 0.13 aut 0.15 metr. pateat » ait P. Braun; nunquam vero tertiam partem latitudinis casulæ attingat. Maxime a debita pulchritudine deficiunt illæ cruces latæ quæ insuper lato limbo (bordure, galon) circumcinguntur; hic latior limbus admitti dumtaxat potest iis in casulis in quibus crux, ex eodem panno ac ipsa casula confecta, solo limbo signatur. Ubi crux est casulæ apposita aut inserta ex alia materia texta aut acu picta, cingatur parvo limbo aut forti quadam cordula serica (3).

Pariter exiguus debet esse *limbus* ad oram casulæ; imo in planetis formæ plus minus « gothicæ » potest omitti, maxime si pannus casulæ non sit textus cum floribus et figuris (damas); aut adjici potest cordula aut ita textura subsuta (doublure) apponi ut aliquatenus replicata exterius appareat.

De *colore* crucis et ornatus nihil in jure præscribitur.

---

(1) In his planetis, ut patet, non debent crucis brachia extendi usque ad oram casulæ ne, hac defluente super brachia celebrantis, ipsius crucis brachia quasi fracta dilabantur.

(2) Hæc forma incurvata *per modum exceptionis tantum* invenitur in antiquis paramentis.

(3) Hanc cordulam non pauci commendant, sed practice difficilius assuitur et citius usu teritur, nec utriusque panni juncturam satis tegit.

Non prohibetur quominus ornatus sit coloris mixti aut alterius ac pannus casulæ; curandum tamen est omnino ut color sit congruens et talis ut crucem manifestam faciat et non destruat sed perficiat effectum aut indolem coloris ipsius planetæ.

Fasciæ quibus effici solet crux, ornantur sæpe intextis aut acu pictis (1) ornamentis v. g. figuris geometricis, frondibus floribusque, symbolis variis aut etiam figuris personarum. Maxime conveniunt, ut patet, ea motiva quæ respiciunt SS. Eucharistiam, sacrificium missæ aut crucis, aut personam Salvatoris. Si crux solis limbis figuratur, decet saltem ut in junctura stipitis et brachiorum apponatur aliqua figura realis aut symbolica.

In paramentis nigris « nullæ imagines mortuorum vel cruces albæ ponantur » (2), notatim prohibentur « calvaria (des têtes de mort) cum ossibus decussatis defunctorum » (3). Non obstant decreta quominus apponantur stemmata gentilitia (armoiries) (n. 2875), quamvis non deceat ea occupare locum quemdam principalem.

C. Callewaert.

(1) Tolerari potest ut hæc ornamenta « partim acu, partim vero coloribus penicilli ope » pingantur. Decr. S. R. C. 2 jun. 1883, n. 3576, ad 15.

(2) *Cærem. Episcop.* II, xi, 1.

(3) Decr. S. R. C. 24 nov. 1905, ad I, ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 196.

S. Congregatio S. Officii

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DUBIA CIRCA INTERPRETATIONEM MOTUS PROPRII « CUM PER APOSTOLICAS » DIEI 7 APRILIS 1910 (1).

Feria IV, die 15 Junii 1910.

Exortis circa interpretationem Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » (2) diei 7 Aprilis anni currentis quibusdam dubiis, Supremæ huic Sacræ Congregationi S. Officii sequentia quæsita proposita sunt, videlicet:

1° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendæ exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium quæ ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis præposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentæ fuerunt?

2° An dictæ exhibitioni sint obnoxiæ concessiones Indulgentiarum facultatumque Indulgentias respicientium quæ a Brevium Secretaria obtentæ sunt post diem 1 Novembris 1908; quæque sive ante sive post eamdem diem 1 Novembris 1908 a quovis alio, præter recensita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt?

3° An Indulgentiæ ac facultates Indulgentias respicientes ante diem 1 Novembris 1908 aliter quam per tramitem alicujus ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentæ, debeant et ipsæ S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub pœna nullitatis?

4° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendæ, ut supra, exhiberi debeant facultates, quæ conceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriæ, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (utpote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Prædicatoribus pro coronis

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1910, p. 477.
(2) Apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 429.

Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) eisque Indulgentias adnectendi?

Quibus mature perpensis, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 15 curr. mensis Junii respondendum decreverunt:

Ad 1um. Negative.

Ad 2um. Affirmative ad utramque partem.

Ad 3um. Affirmative.

Ad 4um. Negative.

Sequenti vero feria V die 16 ejusdem mensis SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, Emorum Patrum resolutiones adprobare et confirmare dignatus est atque insimul declarare « non fuisse suæ intentionis comprehendere sub N. 1° Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria una alterave vice vel determinato alicui personarum cœtui impertiendi ».

Romæ, ex Ædibus S. Officii, die 17 Junii 1910.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. ✠ S.

Adnotationes.

Decreto S. C. Indulg. 14 Aprilis 1856 SS. D. Pius Pp. IX confirmavit decretum ejusdem Congreg. sub die 19 Januarii latum, et a Benedicto XIV die 28 ejusdem mensis approbatum, quod ita se habet: « Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi promanant abusus, ac confusiones, re mature perpensa, præsenti decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi *generales concessiones,* teneri *sub nullitatis pœna* gratiæ obtentæ exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem Sacræ Congregationis deferre » (*Decr. auth.*, n. 371).

Suppressa nunc S. C. Indulg. per Litt. Apost. *Sapienti consilio* (1), ac universa re de indulgentiis jam

(1) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 481, coll. commentario t. XIV, p. 281 ss., 367 ss.

devoluta uni Supremæ Congregationi Sancti Officii, *Motu proprio* 7 Aprilis 1910 (1) SS. D. Pius Pp. X munus eidem Congr. S. Officii commisit recognoscendi concessiones indulgentiarum; at jus existens multum ampliavit.

A/ **Quoad novas concessiones.**

1° Non tantum concessiones generales, sed *indulgentiæ quæcumque, sive generales sive particulares* jam sunt recognoscendæ. Solæ excipiuntur *quæ respiciant ipsas personas petentium tantum*. Hæc exceptio haud frequens occurret: posset v. g. aliquis sibi petere aliquam indulgentiam puta in audientia Sanctissimi, vel membra alicujus communitatis aut confraternitatis actu existentia; sed si gratia peteretur communitati vel confraternitati qua tali seu sodalibus præsentibus et futuris, esset recognoscenda (2).

Attamen in fine præsentis responsi 17 Junii 1910 SS^mus^ dignatus est declarare « non fuisse suæ intentionis comprehendere sub N. 1° Motus proprii « *Cum per Apostolicas* » facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria una alterave vice vel determinato alicui personarum cœtui impertiendi » (3).

2° Jus anterius comprehendebat solas concessiones indulgentiarum, quæ scil. erant adnexæ determinatis precibus aut exercitiis pietatis; jam nunc extenditur etiam *ad facultates* concessas quibusvis sacerdotibus cujuscumque gradus et dignitatis (non igitur exclusis Prælatis, Episcopis aut Cardinalibus) *benedicendi pia objecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus*.

Hæc iterum dispositio apparet verbis amplissima:

---

(1) *Supra* hoc t. XV, p. 429.

(2) *Nouv. rev. théol.*, t. XLII (1910), p. 340.

(3) Neque comprehendi videntur gratiæ quibus conceditur petenti ejusque consanguineis et affinibus usque ad tertium gradum benedictio apostolica cum applicatione indulgentiæ plenariæ in articulo mortis: *Collat. Brug.*, t. III, p. 407.

usu frequentiores, comprehenduntur facultates applicandi indulgentias apostolicas et Sanctæ Brigittæ, benedicendi crucifixos eisque applicandi indulgentias Viæ Crucis (1), benedicendi numismata S. Benedicti, numismata quæ pro scapularibus gestari possunt (2), scapularia et rosaria, quibus adnectuntur indulgentiæ, ita notatim rosaria Crucigerorum, etc.

Adverte cum R. P. VERMEERSCH (3) facultates non esse recognoscendas, nisi enuntiatas tres conditiones simul habeant. Unde censet ipse lege ista non affici « facultates dandi benedictionem apostolicam, inscribendi in confraternitates, quamvis inscriptio postulet benedictionem rosarii vel scapularis »; censemus etiam, attenta tertia conditione : *pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus*, non affici facultates concessas pro determinato vel determinatis fidelibus, puta rectori confraternitatis vel communitatis erga sodales aut subditos.

Verbis igitur suis lex nova est strictissima; attamen de facto *restrictiones* admitti debent, quoad utramque priorem dispositionem: imprimis, uti manifestum est, et diserte indicatur in præfatione Motus proprii (*aliter quam...*), indulgentiæ aut facultates via S. Officii obtentæ recognosci non debent; deinde facultates intelliguntur illæ quæ *immediate* a S. Sede, sive ab ipso S. Pontifice, sive nomine Pontificis aliter quam per S. Officium, originem habent, non autem illæ quales per delegationem vel communicationem accipiunt a Superiore generali inferiores, a moderatore archisodalitii directores confraternitatum etc. Sufficit enim inspecto fine legis si recognoscantur facultates delegantis vel communicantis (4). Ita v. g. sufficit recognitio facta per Magistrum generalem O. P. pro facultate benedi-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 391.
(2) Cf. *supra*, hoc t. XV, p. 364.
(3) *Periodica*, t. V, p. 127.
(4) Cf. VERMEERSCH, *L. cit.*

cendi rosaria S. Dominici, per directionem generalem piorum Operum Propag. Fidei et S. Infantiæ, atque ita porro (1).

Expresse hoc declarat S. Officium præsenti responso sub 4° quoad facultates, quæ conceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriæ, v. g. a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Prædicatoribus pro Coronis Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo.

Sanctio additur: videlicet novæ concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habent tantum post factam recognitionem. Expresse dicitur sub 5° recognitionem esse faciendam *sub pœna nullitatis:* « Impetrantes posthac hujusmodi concessiones teneri, *sub pœna nullitatis* gratiæ obtentæ, *exemplar* earumdem » exhibere S. Officio. Non ipsa concessio (l'original de la concession) exhiberi debet, sed sufficit exemplar (copie) ejusdem. Juvat, ait R. P. VERMEERSCH (2), bina exemplaria tradere, quorum alterum remitti possit, alterum servari in archivio S. Officii (3).

B/ **Quoad concessiones præteritas.**

In Motu proprio sub 4° decernitur: Concessiones præteritas indulgentiarum ac facultatum indulgentias respicientium efficaciam tantum habituras, *si intra sex menses ab hujus Decreti publicatione*, id est a die 15 Aprilis, eidem S. Officio exhibitæ ab eoque recognitæ

---

(1) Sane utiliter respectiva directio generalis certiores faciet via suorum periodicorum illos quorum interest de recognitione facta.

(2) *L. cit.*, p. 128.

(3) Casu quo non expediantur per curiam episcopalem, possunt directe mitti Romam. Utiliter notat *Nouv. Revue théol., l. cit.*, p. 342: « Il est convenable de se servir pour cette copie de papier ministre. On peut la faire déposer par un intermédiaire...; mais aux termes de la sect. I, ch. X, des Règles générales de la Curie, on peut aussi l'envoyer directement. L'adresse de *Son Eminence R^mo le Cardinal Secrétaire du Saint-Office* est à *Rome, au Palais du Saint-Office, Via del San Uffizio*. Ecrire très lisiblement l'adresse où la pièce doit être retournée ».

fuerint. Intellige efficaciam *definitivam:* interim enim manent in suo vigore, ita ut valide et licite quivis eis utatur concessionibus; at *post diem 15 Octobris*, nisi recognitæ fuerint, jam nullam habent efficaciam. Expresse declaratur in responso 17 Junii 1910 sub 3° hanc recognitionem decerni *sub pœna nullitatis.*

Excipiuntur: 1/ Manifeste concessiones quas neque pro futuro attingit nova disciplina, quales indicavimus supra sub 1° et 2°.

2/ Concessiones « quæ ante diem 1 Novembris 1908 (1) a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis præposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentæ fuerunt » (S. Off. 17 Junii 1910, sub 1°).

Similiter excipi debent concessiones quæ, juxta anterius jus, a S. Congr. Indulg. fuerunt recognitæ.

H. Mahieu.

---

(1) Acta Pii Pp. X de Curiæ Romanæ Reformatione a die 3 Novembris 1908 plenum vigorem obtinuerunt.

S. Congregatio Rituum

I

ORDINIS FRATRUM MINORUM (1).

De vetito usu coronidum, sive ex ligno sive ex metallo, in altaribus.

Hodiernus S. Montis Alverniæ Superior cum suo Directorio, de consensu R^mi Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Sacrorum, Rituum Congregationi ea quæ sequuntur humiliter exposuit.

Multis in Ecclesiis, ad majorem altarium munditiem et ne rugosæ sed magis extensæ eorumdem mappæ servarentur, usus invaluit, innumeris abhinc annis, coronidum, variis materiis confectarum, lignea non exclusa. Hæ coronides ligneæ ab altaribus removebantur, juxta Episcoporum Cæremoniale (lib. I, cap. 12, n. 11), dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missæ sive Vesperæ celebrabantur. Talem agendi rationem esse consonam supradicti Cæremonialis præscriptionibus, eruitur etiam ex novissimo Ordinis Minorum Cæremoniali, die 4 Octobris 1908 edito et rite a S. Sede approbato, (lib. I, part. 2, cap. et art. 1), in quo agitur de non apponendis altaribus ligneis coronidibus juxta Cæremoniale Episcoporum supradictum, cum de ornatu altarium in Vesperis et Missis solemnibus sermo est. Quum autem Sacra Rituum Congregatio ad dubium super liceitate talium corollarum, die 24 Februarii 1908 respondisset his generalibis: *negative juxta Cæremoniale Episcoporum Lib. I, cap. 12, n. 11* (2) « *Nullæ tamen coronides ligneæ* » etc.; atque hæc responsio aliquam attulerit dubietatem; idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter postulavit:

I. Utrum, remotis ab altaribus coronidibus ligneis dum

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1910, p. 485.

(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 346.

Sacra Solemnia, ut supra, peraguntur, tolerari et permitti possint aliis temporibus, attenta præsertim antiquissima consuetudine?

II. Quatenus negative, utrum adhiberi possint ex metallo decenti coopertæ, vel saltem de metallo totaliter confectæ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 13 Maii 1910.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
✠ Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius*.

II

URBIS ET ORBIS (1).

Super Missa seu Collecta in anniversario electionis seu translationis Episcopi, juxta Cæremoniale Episcoporum.

Ex Decretis S. R. C. n 3661 *Halifaxien.* 16 Aprilis 1866 ad III et n. 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895 ad VIII, dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiæ Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab ejusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missæ seu Collectæ respondentis juxta Cæremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXV). Nunc vero, de mandato SSmi Domini Nostri Pii Papæ X, ex audientia die 20 nuper elapsi mensis Maii, per Sacram Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declarat diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1910, p. 486.

agitur in citato libro et capite Cæremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declarat, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadjutaris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadjuti munere et adveniente Coadjutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadjutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, præsertim in una *Marianopolitana* n. 3440, diei 30 Januarii 1878. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit ab hac die 8 Junii 1910.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
✠ Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

Inrichting der 3de Sociale Week

te LEUVEN

van den 29 AUGUSTUS tot en met den 1 SEPTEMBER 1910.

Wat de twee voorgaande Sociale Weken, in 1908 en 1909 gehouden, zijn geweest, weten dezen best die ze hebben bijgewoond, en kan eenieder nagaan in de zoo voortreffelijke en zoo aanbevelenswaardige Verslagen (1) die in de Volksboekerij, 16, Meersteeg, te Gent verschenen zijn.

De inrichters der « Sociale Week » beoogden aan de leiders, de propagandisten en de bestuurleden der Christene Vakvereenigingen de kennis mede te deelen, welke hun onmisbaar is, tot het behoorlijk vervullen hunner edele taak. Eenparig getuigen de deelnemers over de degelijkheid van het maatschappelijk onderricht dat er, onder de bevoegde leiding van den E. Pater Rutten O. P., werd gegeven: het beoogde doel werd telken male ten volle bereikt.

Welnu, met gerustheid kan verzekerd worden dat de 3de Sociale Week voor hare voorgangsters in degelijkheid niet zal moeten onderdoen. Deze waarborg geven het zoo zaakrijk programma dat werd opgemaakt en de talentvolle leeraars en sprekers die er zullen optreden.

De dringende noodzakelijkheid der Christelijke Vakvereenigingen hebben Leo XIII, Pius X en de Bisschoppen van Belgie aan de priesters herhaalde maal voorgehouden.

---

(1) *Eerste Vlaamsche Sociale Week*, volledig verslag, 1909, in-8° bl. 281. Fr. 2,50, vrij te huis. — *Tweede Vlaamsche Sociale Week*, 1910, in-8° bl. 312, met bijlagen. Fr. 2,50, vrij te huis. Wij bevelen insgelijks aan onze lezers *De Gids op maatschappelijk gebied*, Katholiek Sociaal Weekblad voor Belgie. Bilsen. Fr. 5 's jaars.

Die noodzakelijkheid ligt op dit oogenblik, duidelijker dan ooit, voor de hand, terwijl de onbaatzuchtige ievervolle en liefderijke tusschenkomst (1) van den priester in de christelijke vakbeweging steeds de beste, ja de eenige waarborg levert van maatschappelijke rechtvaardigheid, christelijke wellevendheid en echte broederliefde.

Bij deze doen we diensvolgens een vurig beroep opdat de priesters, talrijker dan ooit, de Sociale Week zouden bijwonen, en tevens hunne ontwikkelde medehelpers in de vakbeweging, in de gelegenheid zouden stellen de Sociale Week te volgen.

Voor het verblijf der E.E. H.H. Priesters alsook voor het lezen der H. Mis wordt bijzonder gezorgd. Prijs der deelname: 2 frank; prijs der verblijfkosten voor de 4 dagen: 16 frank.

Men gelieve de inschrijvingen te sturen naar den Heer E. Van Quaquebeke, Holstraat, 69, Gent (2).

A. Camerlynck.

---

(1) Altijd voorzichtig en geëvenredigd met de plaatselijke omstandigheden, zonder dat de priester de verantwoordelijkheid van de Vakbeweging moete op zich nemen. Hij zorge veeleer opdat ontwikkelde werklieden, door hem opgeleid en onderwezen, met omzicht en kennis van zaken, de verantwoordelijkheid van *hunne* beweging kunnen dragen.

(2) Eene fransche « Semaine Sociale » wordt in dezelfde voorwaarden ingericht te Fayt-lez-Manage.

Consultationes

I

Q. Habeo facultatem imponendi scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum etc.; quæritur utrum eo ipso habeam facultatem benedicendi numismata quæ pro iis scapularibus gestari possunt, an vero specialem facultatem impetrare debeam, puta in Scheut?

R. Utraque facultas est specialis ac seorsim existens: unde qui habet facultatem imponendi scapularia, non eo ipso potest benedicere numismata-scapularia; neque qui hoc valet, ideo gaudet potestate imponendi.

In casu igitur impetranda erit facultas specialis. At consulens, cum sit cleri sæcularis, frustra recurreret ad Superiorem Generalem Missionum Belgarum in Scheut: hic enim obtinuit facultatem dumtaxat « subdelegandi eamdem facultatem, in locis missionum, Superioribus provincialibus localibus ».

Juvat porro notare quædam de via obtinendi facultatem benedicendi numismata-scapularia (1).

Initio solus R. P. vel unus e prælatis ejus benedicere consuevit hujusmodi numismata (2); postea indultum peculiare concessit Pius X Superiori Generali Missionum Belgarum (Scheut); denique S. C. Rituum accepit facultates speciales faciendi eamdem potestatem ad quinquennium Episcopis, Superioribus Generalibus et sacerdotibus.

1° *Episcopi* possunt subdelegare suum *Vicarium Generalem*, *Dignitates et Canonicos Ecclesiæ Cathedralis*, *Vicarios Foraneos* (id est decanos) « pro tempore quo R^mi^ Oratoris subdelegantis potestas perduret ».

2° *Superiores Generales* accipiunt facultatem « subdelegandi Moderatores uniuscujusque Provinciæ, aut

(1) Cf. VERMEERSCH, *De Religiosis... Periodica*, t. IV, p. 348 ss.; t. V, p. 86 ss., coll. p. 106 et 148; *Nouv. Rev. théol.*, t. XLII (1910), p. 385 ss.

(2) Vide documentum relatum apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 364.

Domus Religiosæ, pro tempore quo R^mi Oratoris subdelegantis potestas perduret ».

Cessante igitur potestate subdelegantis, cessat facultas subdelegati : unde si prioris potestas non fuerit renovata, subdelegatus jam non valet benedicere numismata, sed potest distribuere ea quæ ante benedixerat (1).

3° *Sacerdotes* accipere possunt ad quinquennium potestatem « benedicendi unico signo Crucis Numismata B. M. V. » substituenda quinque scapularibus consuetis, sed absque facultate subdelegandi.

Notat R. P. VERMEERSCH (2): « Non quibuslibet sacerdotibus, sed honoratioribus tantum (qui saltem sint canonici titulares vel honorarii) S. Rituum C. *directe* concedit facultatem benedicendi hæc numismata ».

Sacerdoti igitur, cui deest spes obtinendi facultatem benedicendi personalem, nihil aliud faciendum remanet, quam ut mittat ad aliquem facultate delegata vel subdelegata munitum, numismata benedicenda, et postea distribuenda.

II

Q. Utrum pro quinque consuetis scapularibus benedici queant *quælibet* numismata, modo præferant imaginem B. M. V.

R. Quoad *formam* aut *materiam* nihil præscribitur in facultatis concessionibus ; ergo recurrendum est ad doctrinam generalem, qua excludi dicuntur numismata quæ « ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur » (*Decr. auth.*, n. 249).

Item nihil præscribitur circa *modum quo repræsentetur* imago B. M. V. aut pro reliquis scapularibus effigies Christi Domini (3).

Assumi quoque possunt benedicenda numismata, jam benedicta et ditata aliis indulgentiis (4).

H. MAHIEU.

---

(1) *Nouv. Rev. théol.*, *l. c.*, p. 389.
(2) *Periodica*, t. V, p. 148.
(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 366 sq.
(4) Cf. *Nouv. Rev. théol.*, *l. cit.*, p. 387 sq.

III

Quær. Episcopus Brugensis, utens facultatibus, ipsi a SS. D. Pio X, in *Motu proprio* diei 9 Junii currentis anni, concessis, permittit « ut, pro majori fidelium facultate, RR. DD. Parochi assignent, ad supradictam indulgentiam *(Portiuncula)* in sua ecclesia consequendam, loco diei secundæ Augusti, diem Dominicam proxime sequentem.

Porro postulatur utrum, in locis in quibus illa translatio est facta in diem 7^{m} Augusti est facta, confessarii uti valeant facultate *absolvendi a reservatis*, de qua in *Libello*, p. 23, sub n. 5.

Respondetur *negando*. Facultas namque, quæ in *Libello*, l. c., recensetur, conceditur quidem in gratiam pœnitentium confitentium in ordine ad lucrandam indulgentiam de Portiuncula, sed explicitis verbis restringitur ad dies 30, 31 Julii et 1 ac 2 Augusti.

Qui illam proinde extenderet ad 6^{m} et 7^{m} Augusti, eam extenderet ultra terminos expresse assignatos: quod esset contra sanæ interpretationis principia, quæ quidem postulant in favorabilibus, quemadmodum in hoc nostro casu, interpretationem latam, sed excludunt interpretationem extensivam.

Attamen, quod seduló nota, ne fideles ex illa dilatione diei, indulgentia de Portiuncula ditatæ, detrimentum spirituale patiantur, benigne concedit Reverendissimus Episcopus ut facultas absolvendi a reservatis, de qua quæritur, hoc anno suffragetur confessariis, infra limites territorii jurisdictionis, in gratiam pœnitentium, qui confessionem sacramentalem instituent, die 6^{a} et 7^{a} Augusti, in ordine ad lucrandam indulgentiam de Portiuncula, ad primam Dominicam Augusti rite translatam.

Quam absolvendi facultatis ampliationem intendit Illustrissimus Episcopus per hanc insertionem omnibus confessariis in diœcesi admissis communicare.

A. De Smet.

Bulletin de chant grégorien et de musique religieuse.

Nous nous proposons dans le présent bulletin de renseigner et d'apprécier un certain nombre de livres et de travaux récents, dont la plupart se rapportent à la *pratique* de l'art musical et grégorien.

I. **Bibliographie.** Pour rester au courant des publications et compositions musicales on consultera avec fruit la bibliographie des revues spéciales de musique religieuse. La *Revue de chant Grégorien* de Grenoble et le *Gregorianische Rundschau* de Gratz sont en général bien informés. Il paraît en Allemagne un bulletin critique de musique religieuse, dirigé par le compositeur bien connu P. Griesbacher et auquel collaborent plusieurs spécialistes de marque, tels : Meuerer, Mitterer, Goller, Springer etc. Les ouvrages dont il est rendu compte sont classés sous diverses rubriques : musique vocale moderne, plain-chant, compositions pour orgue etc. Cet organe d'information, consacré surtout aux œuvres allemandes, peut rendre des services. En voici le titre : *Literarische Handweiser für Freunde Katholischer Kirchenmusik,* 1910, 18e année. Regensburg, Verlag A. Coppenrath (H. Pawelek), paraît 3 à 4 fois l'an et coûte 20 pfg.

II. **Motu proprio du 22 nov. 1903. Mesures d'application.**

1. *Liturgischer Führer. — Guide liturgique. Prescriptions et indications pratiques à l'usage du clergé, des directeurs de chœur, des organistes et des chantres.* Recueil publié par la Commission épiscopale de chant sacré pour le diocèse de Metz. Metz, 1908, in-12, 72 p. texte all.-franç. F. 0,35.

2. *Instructions générales relatives à la musique sacrée dans le diocèse de Malines*, Malines, Dessain, 1910, 24 p.

— La publication de la Commission du diocèse de Metz est un code liturgique de chant sacré, hautement recomman-

dable par la richesse et l'exactitude de son contenu et par le caractère pratique des renseignements qu'il fournit. Il est divisé en deux parties. La première contient des prescriptions générales quant au chant et à la récitation du texte liturgique, à l'emploi de l'orgue, à l'organisation du chœur et des maîtrises. La seconde est relative aux fonctions liturgiques spéciales, à la Messe, aux funérailles, à l'exposition et à la bénédiction du Saint Sacrement etc.

— Les Instructions de l'archidiocèse de Malines constituent un commentaire autorisé des prescriptions de Sa Sainteté Pie X. Elles déterminent les moyens pratiques — épuration des jubés, création de maîtrises et de *schola cantorum*, moyens d'encourager la participation des fidèles au chant, éducation liturgique et musicale des enfants — pour arriver à la réalisation complète du programme élaboré par le Souverain Pontife. Nous y trouvons la mention d'un décret de la Congrégation des Rites, qui sera chez nous d'une application fréquente : « Un récent décret S. R. C. *Mechlinien.* d. d. 24 jul.-11 aug. 1909, en réponse à un doute proposé par notre Commission diocésaine, permet de chanter après le *Benedictus* des messes solennelles d'enterrement le motet *Pie Jesu* et cette première phrase d'un autre motet : *Jesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum,* à l'exclusion des autres versets de ce morceau. Celui-ci pourrait être chanté en entier après l'Offertoire. On pourrait remplacer par ce morceau le jeu de l'orgue défendu à ce moment ».

III. Éditions de chant grégorien.

A. Éditions en notation grégorienne non rythmées.

1. *Liber usualis Missæ pro dominicis et festis duplicibus cum cantu gregoriano ad exemplar editionis typicæ concinnatus.* Romæ-Tornaci, Desclée et Cie, 1910, in-18, x-10*-994-70 p. F. 3.

2. *Abrégé du Graduel Romain contenant les messes pour tous les dimanches et les fêtes doubles, les principales messes votives, l'ordinaire de la Messe etc., d'après l'édition typique vaticane.* Édition Schwann U2, Düsseldorf, L. Schwann, 1909, pet. in-8°, xx-322-233''-|196|-122' p. M. 4,20 relié.

3. **Dr K. Weinmann.** *Gradualbuch.* Regensburg, Pustet, 1909, 530 p. M. 4 relié.

4. *Officium pro defunctis cum Missa et absolutione necnon exsequiarum ordine cum cantu gregoriano restituto jussu SS. D. N. Pii Papæ X.* Editio Schwann T1. Düsseldorf, Schwann, 1909, gr. in-8, x-92 p. F. 2,50 relié.

5. **P. Johner,** O. S. B. *Cantus ecclesiastici juxta editionem vaticanam ad usum clericorum* (Sammlung « Kirchenmusik », nº 3). Pustet, Regensburg, 1909, 146 p. M. 1.

— Le nouveau *Liber usualis* de la maison Desclée et Cie est un paroissien complet et d'un usage commode, auquel est ajouté un supplément pour les Vêpres et les Saluts, extrait des éditions de Solesmes. L'impression du texte musical se distingue par sa netteté. Le prix défie toute concurrence. Lorsque le *Vesperale* de l'édition vaticane aura paru, le *liber usualis complété* constituera pous nos établissements d'enseignement un excellent manuel de chant.

— *L'abrégé du graduel romain* de la firme Schwann est une édition fort utile, à l'usage des paroisses et communautés, où l'on ne chante la Messe que les dimanches et les jours de fête. La toilette typographique est soignée. La notation gagnerait en clarté, si elle était moins épaisse. L'avantage spécial de cet extrait est de fournir, au bas des pages, une excellente traduction de toutes les pièces chantées et de donner les rubriques en français. La traduction est l'œuvre de Dom Lucien David, O. S. B. Le propre du diocèse peut très facilement s'adjoindre au volume.

— L'épitomé édité par le Dr Weinmann présente ceci d'original que les mélodies, transposées au diapason normal des voix, sont écrites en notation grégorienne simplifiée, sur portée de cinq lignes, avec clef de sol. Il semblera à plusieurs que cette nouveauté est un moyen d'éviter les difficultés de lecture, causées par la présence et la variation des clefs. Nous sommes d'avis qu'on exagère ces difficultés et que celles-ci sont moins graves que la complication singulière que présente l'armature des dièzes et des bémols, pour tous ceux qui n'ont point la pratique de la musique moderne et de la transposition.

Il est regrettable que l'auteur ait cru devoir omettre la musique des graduels ou traits et de bon nombre d'alleluias pour la remplacer par certaines cadences de récitation chantée. Il est dangereux de systématiser de la sorte un pis-aller.

Notons qu'une traduction allemande accompagne le texte latin.

— L'édition gr. in-8° de l'Office des morts, sortie des presses de la maison Schwann a grande allure. Elle présente en outre le sérieux avantage d'indiquer par des signes et des caractères gras les notes préparatoires et accentuées des cadences psalmiques. Pour parfaire cette édition nous aurions noté en entier le premier verset de chaque psaume et non pas seulement le premier hémistiche. Avec M. Gastoué, nous croyons que les cadences rompues des médiantes aux 1er, 3e et 7e modes n'ont pas leur raison d'être, puisque la formule se termine sur une note plus élevée que la précédente. Il n'y a là qu'un déplacement d'accent.

— Le petit volume du Père Johner devrait se trouver entre les mains de tous les ecclésiastiques. On y trouve non seulement les *toni communes* de l'édition du Graduel; mais encore les *cantus Missalis Romani,* avec les règles liturgiques de leur emploi, et les principes de leur exécution. La première partie renferme les récitatifs, les chants, les intonations de la Messe ainsi que toutes les préfaces dans leur triple version; la seconde contient la transcription des chants de la Semaine Sainte à exécuter par le célébrant et ses assistants.

B. Éditions rythmées.

1. *Recueil de prières et de chants. Édition chiffrée et rythmée. Kyriale. — Messe pour les défunts. — Extraits du Graduel. — Chants pour Saluts. Cantiques.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1909, in-18, 170 p. F. 0,65.

2. *Graduale parvum in moderner Choralnotation mit Vortragszeichen,* ed. Mgr. Kan. Dr. H. Baeuerle. Graz, Styria, 1910, in-8. M. 4.

3. *Liber usualis Missæ pro dominicis et festis duplicibus cum cantu gregoriano quem ex editione typica in recentioris musicæ notulas translatum solesmenses monachi rhythmicis*

signis diligenter ornaverunt. Romæ-Tornaci, Desclée et Cie, 1909, in-18, XIV-10*-1181-80 p. F. 4,50.

4. *Graduale Romanum ex editione typica in recentioris musicæ notulas translatum, rhythmicis signis ornatum.* Romæ-Tornaci, Desclée et Cie, 1910, in-8, XVI-742-[280]-178*. Papier fort, F. 7,50; papier indien F. 10.

5. *Liber usualis Missæ pro dominicis et festis duplicibus cum cantu gregoriano ad exemplar editionis typicæ concinnatus et rhythmicis signis a solesmensibus monachis diligenter ornatus.* Romæ-Tornaci, Desclée et Cie, in-18, 1064 p. F. 3.

6. C. Grunewald. *Missa pro defunctis* (Einzeln-Ausgaben der vaticanischen Mes- Vesper- u. andere Gesänge. Heft 1.) Styria, Graz, 1910, X-16 p. F. 0,78.

Partant en guerre contre des difficultés exagérées ou imaginaires, des auteurs, dont cependant il n'est point permis de suspecter les bonnes intentions, mettent en danger l'édition Vaticane. Dans le but d'en faciliter la lecture ou d'en donner une interprétation rythmique, ils la mutilent et la déforment, en la transcrivant d'après des systèmes de notation modernes ou forgées de toutes pièces.

— La notation chiffrée, appliquée au chant grégorien, présente des inconvénients tellement graves que nous estimons que son emploi ne peut être justifié qu'en cas de nécessité. Sans parler de ses désavantages au point de vue de la formation musicale, sans insister sur son caractère anti-traditionnel, on peut invoquer à bon titre contre elle des considérations pédagogiques. Il suffit de comparer la notation grégorienne avec la notation chiffrée, pour voir que la première est éminemment intuitive, qu'elle est la photographie de l'agencement et du mouvement mélodique, et que la seconde est informe. Or, comme il restera toujours vrai que les enfants et la majorité des fidèles apprennent le chant par *audition* et que ce moyen d'enseignement doit être aidé par *la vue,* il en suit qu'on doit choisir de préférence la notation grégorienne, éprouvée par la tradition et l'usage.

— Mgr Bäuerle (1), pour rendre populaire l'édition typi-

(1) Mgr H. Bäuerle, *Der vatikanische Choral in Reformnotation mit Beibehaltung der nota quadrata.* Graz, Styria, 1908, in-8, 43 p. M. 1.

que, a tenté de remplacer la notation grégorienne par une écriture plus facile. Toutes les notes, *virga*, *punctum*, *losanges*, sont rendues par la *nota quadrata ;* les neumes les plus difficiles, tels les *porrectus* sont ramenés à une forme plus simple; les unités mélodiques — notes ou neumes — réunies en distinctions, sont groupées par des barres; divers signes d'interprétation marquent les *crescendo* et *decrescendo*, les notes accentuées ou atones etc. Mgr Bäuerle n'a pas réussi a éviter les dangers d'un tel travail. On lui a reproché à bon droit (1) de n'avoir représenté qu'une succession mécanique de notes, et d'avoir sacrifié la division des neumes et l'ordonnance de la mélodie. On n'abandonne pas en vain la notation originale, qui est l'image presque parfaite de la structure intime des chants.

— Les éditions de la Maison Desclée, en notation moderne rythmée sont, au point de vue de l'exécution matérielle, irréprochables. La seconde surtout est une véritable édition de luxe. La notation est nette et brillante. L'empoi d'un papier indien, opaque et léger, a permis de réduire le volume à une épaisseur et à un poids vraiment minimes. Ces éditions n'ont qu'un défaut, c'est d'être une transcription imparfaite de la Vaticane et d'avoir reçu l'application d'un système rythmique, personnel et discutable, dont nous dirons quelques mots plus loin.

— Nous leur préférons l'édition du *Liber usualis* en notation grégorienne, qui au moins est la reproduction intégrale de la Vaticane, avec adjonction d'indications rythmiques.

Nous pourrions très facilement allongé la liste des interprétations rythmées de l'édition Vaticane. Toutes tendent à ajouter à la clarté de la même version officielle et toutes diffèrent, parce qu'elles sont le produit de conceptions subjectives. Si ce mouvement s'accentue, ce sera le chaos et la faillite de la restauration grégorienne. Tenons-nous en à l'Édition vaticane : elle est la plus simple, elle énonce, dans son introduction, des principes d'exécution certains et admis par tous; elle offre le plus de garanties, le plus de sécurité, le plus de qualités pour la pratique universelle (2).

---

(1) Max Springer dans *Litterarischer Handweiser*, 1910, nº 54, col. 10 s.; nº 55, col. 8.

(2) Dom L. David, dans la *Revue de chant grégorien*, 1909-1910, t. 18, p. 60.

— Les éditions détachées (1) de M. Grunewald sont hautement intéressantes. La notation moderne, mise en regard de la notation grégorienne en est le commentaire détaillé, de façon que, d'après l'intention avouée de l'auteur, la comparaison de deux textes fera acquérir l'habileté à se servir de l'édition originale sans le secours d'une transcription. C'est un moyen d'introduire et non de supprimer la Vaticane. Et c'est pourquoi ces fascicules peuvent rendre des services aux chefs de chœur. Une double traduction, allemande et française, accompagne le texte latin; une préface explique le mode de notation et d'interprétation. Faisons remarquer qu'il est regrettable que le graduel et le tractus ne soient pas notés, et que c'est sans doute par inadvertance que l'auteur a ajouté une note à la transcription en notation moderne du *Christe* eléison.

IV. **Interprétation rythmique.**

1. *Une lettre du Cardinal Martinelli, préfet de la Congrégation des Rites sur le rhythme dans l'édition vaticane, du 18 février 1910* (2).

2. **Dom A. Mocquereau.** *Le décret du 14 février 1906 de la Congrégation des Rites et les signes rhythmiques des Bénédictins de Solesmes.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1906, in-8, 27 p.

3. **Dom A. Mocquereau.** *Causeries sur les signes rhythmiques et leur utilité.* Ibid., 1909, in-12, 24 p.

4. **Dom L. David.** *Les signes rhythmiques. Leur valeur traditionnelle et pratique.* — Revue de chant grégorien, 1908-1909, t. XVII, p. 152-160: 191-199; 1909-1910, t. XVIII, p. 59-61.

— Certains Jésuites français et allemands, les Pères Dechevrens, Fleury, Gietmann et Bonvin s'étaient faits,

---

(1) Le second fascicule vient de paraître. Il comprend: *Missa III in die nativitatis Domini. Missa dominicæ resurrectionis. Missa « de Angelis » cum responsoriis Missæ et Credo III.* F. 1,10.

(2) *Acta Apostolicæ Sedis,* 1910, t. II, p. 145; *Gregorianische Rundschau,* 1910, t. IX, p. 49 ss.; *Revue de chant grégorien,* 1909-1910, t. XVIII, p. 122; *Rassegna Gregoriana,* 1909, t. VIII, col. 59-67; 1910, t. IX, col. 148-151.

depuis quelques années, les défenseurs et les vulgarisateurs d'un système de rythmique grégorienne, appelé *mensuralisme*. N'admettant pas l'indivisibité du temps premier et rejetant les principes du rythme oratoire, ils donnaient des valeurs inégales de blanches, noires, croches, double-croches aux notes du plain-chant, et admettaient, comme dans la musique mesurée, le retour périodique et régulier du temps fort. Ce fut surtout en Allemagne et en Amérique que ces idées se propagèrent. Déjà diverses éditions de chant avaient paru, où les mélodies de la Vaticane étaient mises en mesure. Dernièrement Mgr Haberl, le président de l'Association allemande de Ste Cécile, avait assez malencontreusement pris position dans le débat en faveur du mensuralisme (1). C'est à lui que s'adresse le Préfet de la S. Congrégation des Rites. L'éminent Cardinal réfute l'assertion que le Saint Père en promulgant l'édition vaticane n'a entendu adopter aucune forme spéciale du rythme, mais a laissé à chaque musicien la faculté d'appliquer aux séries de notes, le rythme qui lui plait. L'édition vaticane a évidemment adopté le système dit *du rythme libre*; elle l'a voulu inséparable de la mélodie et l'a rendu obligatoire, au même titre que les autres prescriptions du Graduel Romain. L'autorité de la Congrégation des Rites a donné un caractère prescriptif à la notation adoptée par l'édition officielle, ainsi qu'aux règles d'exécution exprimées dans la préface.

La lettre exhorte enfin tous ceux qui cultivent la musique sacrée à renoncer à des tentatives, qui, dans l'état actuel des études archéologiques, littéraires et historiques ne peuvent donner aucun résultat sérieux et acceptable et font obstacle à la restauration grégorienne voulue par le Saint Père.

Le mensuralisme est donc pratiquement condamné. Les partisans du système de Dom Mocquereau crurent bon de faire remarquer que cet acte de l'autorité ne visait point les idées de leur maître. C'est peut être vrai. Mais ce qui est incontestable c'est que tous ceux qui s'en tiennent à la Vaticane pure et simple, trouveront dans la lettre du Cardinal Martinelli une raison de plus pour ne point modifier leur attitude.

---

(1) *Musica sacra* de Ratisbonne, 1910, p. 22.

— Nous avons communiqué dans un volume précédent des *Collationes* (1) le texte et l'interprétation du décret, du 14 février 1906, émané de la Congrégation des Rites, réglant les conditions de l'adjonction de signes rythmiques à l'édition Vaticane. Ces mesures, prises par le Saint Siége pour sauvegarder l'intégrité de son œuvre, sont commentées par Dom Mocquereau dans une publication, où les sous-entendus abondent et dont plusieurs assertions provoquent l'étonnement du lecteur. A le lire froidement, une foule de distinctions, qui entament fortement l'argumentation de l'auteur, se présentent à l'esprit : distinctions entre documents officiels et non officiels, entre l'approbation du texte musical dans les éditions de Solesmes et celle de son interprétation rythmique, entre autorisation et simple tolérance, entre application et rétroactivité d'une prescription légale, entre élément traditionnel et interprétation privée. La conclusion à retenir, c'est qu'en vertu du décret précité, *et non pas simplement pour le bien de la paix,* D. M. s'est décidé à modifier la forme de ses signes rythmiques, afin qu'aucune confusion ne soit plus possible entre la notation officielle et sa reproduction rythmée dans une édition particulière. Nous croyons devoir ajouter que D. M. a grand tort de représenter tous ceux qui ne partagent pas ses opinions comme menant une campagne de dénigrement systématique contre les éditions dont il est l'auteur, alors que leur unique objectif est de défendre la valeur de l'édition vaticane et de maintenir intacte la notation traditionnelle.

— La causerie de D. Mocquereau sur les signes rythmiques et leur utilité est écrite sur le même ton que la brochure précédente. C'est un ton de polémique avec même quelques coups de sifflet. Voici quelques observations suggérées par la lecture de ces pages.

a/ D. M. a tort de représenter l'édition vaticane comme n'étant qu'une représentation très imparfaite de la mélodie, dénuée de toute indication rythmique. Les accents et la ponctuation du texte, les accents et les divisions de la mélodie, le groupement et le mouvement des notes et des neumes, tous ces éléments rythmiques y sont marqués de

(1) *Collat. Brug.* 1906, t. XI, p. 653 ss.

façon si intuitive que la notation moderne avec « son admirable système graphique » est impuissante à les rendre ;

b/ L'auteur a raison d'insister sur les divergences d'écoles et d'opinions personnelles. La conclusion devrait être : Retournons à la Vaticane ;

c/ Il a raison de dire avec *tous les grégorianistes* que l'accent doit être « léger, bref, élastique, souple, ailé, à l'élan, à l'essor du rythme. » Mais c'est une erreur récente d'affirmer qu'il ne s'y mèle aucun élément dynamique.

d/ Il est absolument inutile d'introduire dans le chant grégorien des barres de mesure et de comparer le rythme du plain-chant avec le levé et le frappé de la musique moderne. Nous sommes dans deux ordres différents.

e/ La distinction entre l'ordre dynamique et l'ordre rythmique est une distinction de pure raison.

f/ Si les points rythmiques signifient quelque chose, il y a contradiction à ce que l'accent soit à l'élan du rythme et néanmoins coïncide avec le frappé, l'élément lourd, l'appui du rythme ; il y a contradiction à ce que la première note des neumes, note d'accent, porte en règle générale l'ictus rythmique.

g/ La conclusion principale et d'ordre pratique, c'est que si l'on connaît le secret d'une bonne accentuation et d'un bon phrasé, on peut sans grand danger se passer des signes rythmiques.

— Dom Lucien David, O. S. B., a examiné la théorie de Dom Mocquereau, telle qu'elle est appliquée aux éditions néo-solesmiennes. Il fait la preuve des variations subies par ce système pour fixer la nature des appuis rythmiques. Il insiste à bon droit sur l'impropriété des termes et l'impuissance du langage pour décrire ce mouvement *immanent* de la mélodie, mouvement *d'arsis* et de *thésis*, d'élan et de repos, indépendant de tout élément de durée, de force et d'accentuation, se déroulant dans l'espace, en dehors de l'ordre sensible.

D. L. étudie ensuite la valeur traditionnelle (1) et pratique

---

(1) Dom Mocquereau vient de publier sur la question de la valeur traditionnelle de son système rythmique, une étude qui a paru au t. X de la *Paléographie musicale* (Rome-Tournai, 1910). Elle est intitulée : *Les signes*

des signes néosolesmiens, et, pour couper court à tout malentendu, résume de la façon suivante ce qui reste dit et prouvé dans l'ensemble de ses articles.

a/ Les épisèmes verticaux ne peuvent en aucune façon se réclamer des manuscrits, même romaniens. Ils sont étrangers à toute tradition écrite ou notée. Ils sont nés d'une théorie personnelle. *Pour la pratique,* ces épisèmes n'ayant qu'une valeur analytique, n'étant ni accentués ni atones, ni forts ni faibles, ni longs ni brefs, ne sont qu'inutiles.

b/ Si les traits horizontaux correspondent *grosso modo* aux signes d'allongement des manuscrits de Saint-Gall, ceux-ci contiennent bon nombre de signes, qui ne sont point représentés dans les éditions rythmées. *Pour la pratique,* beaucoup sont une complication de l'écriture et s'observent naturellement par qui connaît les règles d'un bon phrasé, tels, par exemple, ceux qui figurent au dessus des *torculus* à la déposition d'une phrase.

c/ Les points sont à peu près légitimes en soi ; mais dans beaucoup de cas particuliers, ils constituent un danger, parce que leur valeur n'est pas toujours la même et que souvent ils ne représentent pas ce qu'il s'agit d'exprimer.

V. **Méthodes.**

1. **P. Fidelis Böser,** O. S. B. *Der rythmische Vortrag des gregorianischen Chorals, zum Gebrauch bei Instruktionskursen und zum Selbstunterricht.* Düsseldorf, L. Schwann, 1910, in-8, 31 p.

2. **P. Antonio Minetti.** *Grammatica di canto gregoriano.* 3 volumetti. Roma, typographia vaticana, 1909, 82-94-110 p. F. 0,60 ; 0,70 ; 0,80.

3. du même. *Pratica del coro.* Ibid. 1909, 167 p. F. 1.

4. **A. Gastoué.** *Nouvelle méthode pratique de chant grégorien. Cours élémentaire et moyen. Entièrement conforme à l'édition vaticane.* Paris, Société d'édition de chant grégorien, s. d. [1909], in-8, 96 p. F. 1,50.

---

rythmiques sangalliens et solesmiens. Étude comparative, p. 41-64. V. *Rassegna Gregoriana,* 1909, t. VIII, col. 515-522. V. aussi A. Mocquereau, *Le chant « authentique » du « Credo » selon l'édition vaticane.* Rome-Tournai, Desclée, in-8, 28 p.

5. **D. Sieuw.** *De Kerkzang in de middeleeuwen naar het motu proprio en editio vaticana van Z. H. Pius X.* Brugge, Drukkerij St Augustinus, 1910, in-8, 79 p. F. 1,50.

— L'excellente brochure du P. Böser doit servir de texte à développer par l'enseignement du maître. Se mettant sur le terrain pratique, en dehors des discussions et exagérations des écoles de Dom Mocquereau et des mensuralistes, l'auteur établit les règles de l'interprétation rythmique, en les appliquant à de nombreux exemples. Les éléments du rythme sont successivement analysés, puis synthétisés dans les principes du rythme oratoire. Bien que nous estimions que certaines règles sont d'une utilité douteuse (1), que les notes d'accent sont parfois multipliées à l'excès, et que plusieurs exemples d'analyse rythmique sont discutables, nous n'hésitons pas a recommander vivement le travail du P. Böser qui continue avec honneur la lignée des plainchantistes produits par l'école de Beuron, les Sauter, Kienle, Johner et Birkle.

— Les trois premiers volumes du P. Minetti comportent un triple cours gradué de chant grégorien. Le premier est un petit traité de solfège et de vocalise, appliqué ensuite aux chants les plus simples. L'enseignement, divisé en leçons, est intuitif, concentrique et progressif. Les exercices sont bien conçus, sans être spécifiquement grégoriens. Le second cours traite sommairement de l'histoire du plain-chant, de la psalmodie et de l'hymnodie. Certaines données, écrites avant la publication de l'*Officium defunctorum,* devront être revisées. Le troisième cycle étudie la tonalité, le *cursus* et le rythme, en y ajoutant quelques notes sur la direction du chœur et l'accompagnement. La question du rythme est exposée d'après les principes communs à tous les grégorianistes.

Ce triple cours, tout en étant assez étendu, reste élémentaire. La première partie nous a particulièrement plu ; les deux autres contiennent quelques longueurs. Dans une prochaine édition l'auteur ferait œuvre utile en corrigeant sa manière très défectueuse de citer les auteurs.

---

(1) Dans les chants syllabiques il est plus important d'insister sur une bonne accentuation et prononciation du latin que sur la division des notes en groupes binaires et ternaires.

— Le quatrième volume du P. Minetti est d'une utilité incontestable pour les ecclésiastiques. Il comprend, à l'usage du célébrant et de ses ministres, l'exposé des rubriques et la transcription des chants, pour toutes les fonctions liturgiques du Chœur: vêpres, complies, matines, messe, office de la semaine sainte, etc. Une lacune à signaler. L'auteur n'a pas cru devoir appliquer aux divers récitatifs, les règles dont il est question dans son cours de plain chant, par exemple la théorie du *cursus* aux Oraisons. Notons aussi que dans la cadence de l'interrogation, la tierce coïncide toujours avec l'antépénultième.

Le P. Minetti donne à la fin du volume les règles de l'emploi de l'orgue, pendant les fonctions liturgiques (1).

— On prend connaissance de la nouvelle méthode de M. Gastoué avec un intérêt croissant. Multiples, en effet, sont les qualités qui la distinguent; elle est d'abord entièrement conforme à l'édition vaticane; elle conduit graduellement à une connaissance pratique des éléments d'une bonne exécution; elle est basée sur une connaissance étendue et solide de la tradition écrite et notée; elle est l'œuvre d'un grégorianiste délicat doublé d'un liturgiste éclairé; elle abonde en vues originales et en idées personnelles.

La méthode débute par des leçons préparatoires sur la lecture du latin. Suivent trois parties: 1° Lecture des notes, phrasé, durée; 2° Psalmodie et chants qui s'y rattachent; 3° Hymnes, Proses et autres chants.

Notons certaines particularités. La manière de prononcer le latin, enseignée par l'auteur, est très élégante et se rapproche plus de la prononciation classique que de l'italienne; les règles d'exécution des neumes sont particulièrement instructives; les cadences médianes rompues sont maintenues à tous les tons des psaumes, sauf aux 1er, 3e et 7e; on lira avec profit les excellentes remarques sur les antiennes de l'Office et de la Messe; on y trouvera aussi la réfutation de certaines affirmations trop hardies de Dom Mocquereau. — Nous regrettons toutefois l'absence d'un solfège nettement grégorien.

---

(1) Voir sur cette question: *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1910, t X, p. 87; *Nouvelle rev. théol.* 1910, p. 86 s.

Pour conclure, excellente méthode qui se place avec honneur à côté de celle du Dr Wagner (1).

— Il convenait de signaler à l'admiration des grégorianistes la vaillance d'un vénérable curé, plus qu'octogénaire se faisant le protagoniste enthousiaste du plain-chant réformé. Puissent ses confrères dans le sacerdoce être entrainés par son exemple ! Nous regrettons toutefois que les bonnes idées de M. Sieuw aient revêtu une forme si peu digne d'elles. On a peine à croire qu'une publication aussi défectueuse sort des presses de la firme St Augustin. De trop nombreuses fautes d'impression déparent le texte et rendent maintes transcriptions musicales indéchiffrables.

— Nous attirons l'attention de ceux qui pratiquent le chant grégorien sur les excellentes analyses des Introïts : *Justus ut palma, Lætare, Gaudens gaudebo*, publiées par D. Lucien David dans la *Revue de chant grégorien* (2). Intéressantes aussi sont les études d'esthétique musicale et liturgique qui ont paru dans les 8 premiers fascicules de la *Vie liturgique* (Mont-César, Louvain.) Certaines considérations cependant ne sont pas exemptes d'exagération.

VI. Questions spéciales.

A. Pour apprendre le latin liturgique.

1. **Abbé Verdunoy.** *Pour apprendre le latin liturgique. Grammaire, exercices, dictionnaire.* Flavigny (Côte d'or), chez l'auteur, s. d. [1909], in-12, 130 p. F. 2.

2. **Dr. P. van Noordhorn.** *Het Kerklatijn. Spraakleer met oefeningen geheel ontleend aan de liturgie.* Amsterdam, E. van der Vecht, 1910, in-8, II-192 p. F. 1,90.

3. **Dom Boussion,** O. S. B. *Le latin accessible à tous.* Dongelberg (par Incourt.), 1909, in-8, 50 p. F. 0,75. — du même. *Déclinaisons, syntaxe en tableaux,* ibid. F. 0,30.

Une excellente idée a guidé les auteurs de ces manuels. S'adressant aux sacristains, élèves-sacristains, religieuses et frères de tous ordres, chrétiens et chrétiennes, ils leur donnent les moyens méthodiques et pratiques d'apprendre en peu

(1) V. *Collat. Brug.*, 1909, t. XIV, p. 311.
(2) 1909-1910, t. XVIII, p. 72-82; 112-122; 137-147.

de temps le latin, aux fins de suivre avec plus de goût et plus de fruit les offices liturgiques. Et le but poursuivi n'est pas une utopie. Il serait relativement facile pour les religieux pendant leur noviciat, pour les élèves-sacristains pendant leurs années d'études, pour tous ceux qui ont fait des humanités classiques, pour ceux encore qui possèdent une certaine *copia* de locutions liturgiques, d'arriver a comprendre, par travail personnel ou sous la direction d'un maître, la langue de l'Église, surtout qu'il ne s'agit que d'une connaissance élémentaire, qui leur permettrait de comprendre, avec l'aide d'une traduction et après préparation, la majeure partie de l'office ecclésiastique. Quelle impulsion serait donnée de la sorte à la rénovation de l'esprit liturgique et à la réforme du chant grégorien. Si nos sacristains et chantres d'église ne savent pas lire le latin, loin de le chanter d'une façon intelligente, c'est que ils n'en saisissent même pas confusément le sens.

J'ai comparé les manuels de MM. Verdunoy et Noordhorn. Tous deux sont intéressants; à tous deux on peut appliquer la méthode déductive ou inductive, d'après que l'élève étudie à part soi ou sous la direction d'un professeur; dans l'un et l'autre, la matière des exercices est très heureusement choisie parmi les textes les plus usités. Il nous semble aussi, que tous deux pèchent par excès de notions théoriques ou que du moins ces notions pourraient être aisément ramenées à des formules et à des paradigmes plus simples. L'ordre grammatical suivi dans le manuel de M. V. est excellent et les difficultés y sont sagement graduées; mais il y manque une distribution de la matière en leçons et des notions et exercices sur la versification. Ces derniers desiderata sont réalisés par M. N. dont le livre est un vrai manuel d'excercices et partant, plus pratique; mais l'ordre grammatical et la gradation des difficultés ne sont qu'imparfaitement observés; ainsi, dès à l'exercice 4e nous sommes en pleine 1e et 2e conjugaison. Puis, nous ne pouvons pas admettre le principe de la prononciation nationale du latin. La prononciation néerlandaise du latin est trop défectueuse pour pouvoir être adoptée.

B. Formation de maîtrises et de scholæ.

Citons d'abord deux actes du Saint Siége louant et ap-

prouvant la constitution de *Scholæ Cantorum*. Le premier est une lettre du Souverain Pontife, en date du 1 août 1909, adressée à M.M. C. Simon et P. Martin, pour les féliciter d'avoir ériger « la manécanterie (1) des petits chanteurs à la croix de bois (2) ; le second est un décret de la Congrégation Consistoriale, du 31 octobre 1909, portant érection canonique et réglementation d'une *Schola* d'enfants, dans la basilique métropolitaine de Verceil (3). Cette *schola* est une véritable maîtrise annexée au Séminaire, dotée par lui et récrutée parmi ses élèves, où l'enseignement des lettres se donne en même temps que celui de la musique et de la liturgie.

Sans doute, ce ne serait pas une idée irréalisable d'ériger dans les villes où existent des écoles libres de garçons, une classe spéciale qui grouperait les enfants les plus pieux et les mieux doués musicalement. Instruits dans les branches ordinaires de l'enseignement primaire et tout spécialement dans la liturgie et la musique sacrée par des maîtres compétents, ces élèves fourniraient à nos jubés un contingent important de voix bien formées.

La question de l'*emploi de voix d'enfants aux jubés* a été traitée dans plusieurs articles de revues (4). Nous leurs empruntons certaines considérations qui ne sont pas sans intérêt.

Si la douceur et la souplesse caractérisent les voix de femmes, le timbre plus métallique des voix d'enfants leur donne une sonorité plus brillante. Bien formées, ces voix peuvent atteindre à une pureté sans égale, qui exclut toute affectation et toute recherche. Un chœur d'enfants présente des avantages pratiques indéniables. Sans toucher au côté financier et religieux de la question, l'on peut dire que le travail si nécessaire de la formation des voix est facile lorsqu'on a à faire à une *schola* d'enfants. On peut les reprendre, les rappeler à l'attention, exciter leur intérêt, soutenir leur piété, plus aisément que si l'on s'adresse à des chanteurs et des chanteuses, qui sont susceptibles et accessibles à la vanité

(1) École de chant pour enfants, rattachée à une église.

(2) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1909, t. I, p. 785.

(3) *ibid.*, p. 791 s.

(4) Voir : *Gregorianische Rundschau*, 1909, t. VIII, p. 155 s.; 1910, t. IX, p. 60; *Cäcilia* (Strasbourg), 1909, p. 165; 1910, p. 18.

et au désir de plaire. Sans doute la formation de voix d'enfants est un travail de zèle et de patience; mais les difficultés ne sont pas insurmontables et les résultats sont consolants. On se plaint que le travail est toujours à recommencer. Dernièrement, le Dr Widmann (1) avouait ne pouvoir s'expliquer, comment certaines maîtrises pouvaient posséder des voix de *soprani* aussi élevées, aussi souples, aussi douces et les conserver aussi longtemps. Le R. P. Horn lui répondit (2) que le secret pour conserver toutes ces qualités aux sopranis d'enfants jusqu'à 16 ans et au delà, se trouve dans la méthode de formation et dans le travail quotidien de vocalise, qui doivent aller de pair avec deux facteurs réels : une nourriture saine et la conservation morale. Il se base sur une expérience de 25 ans et sur ce qu'il sait être pratiqué dans certaines grandes maîtrises.

Ajoutons un moyen important : il faut cultiver chez l'enfant la voix de tête.

C. Solfège et vocalise.

1. *Cartes murales pour l'enseignement du chant grégorien à l'usage des écoles, séminaires, maîtrises.* Trois grands tableaux, 125-85 cent. En feuilles, fr. 10 ; montés sur baguettes F. 12.

2. **Dom A. Mocquereau.** *Exercices rythmés de vocalises grégoriennes.* (Extrait du « Nombre musical grégorien ».) Partie de l'élève. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1909, in-8, 136 p. F. 1,75.

3. **Burton.** *Solfège élémentaire formant suite aux leçons de chant grégorien.* Namur, Wesmael-Charlier, 1910, in-8, 22 p. F. 0,40.

— Les cartes murales de la firme Desclée sont excellentes. La première représente les signes élémentaires de la notation grégorienne ; la deuxième, la gamme générale dans toutes les clefs ; la troisième, les huit modes grégoriens. L'impression en diverses couleurs est irréprochable. Nous émettons le vœu

(1) *Kirchenchor*, 1910, p. 6.
(2) *Gregorianische Rundschau*, 1910, t. IX, p. 43 s.

que cette série soit complétée par un 4e tableau, où seraient figurés les divers neumes du plain chant.

— Dom Mocquereau a un système discutable de rythmique grégorienne et il n'est pas d'accord avec bon nombre de plainchantistes ni sur les lois naturelles, ni sur les fondements historiques du rythme (1). Mais ce qui est incontestable c'est qu'il possède à fond la pratique de l'art grégorien. Il l'a reçue par tradition et l'a développée par l'exercice et par l'étude. C'est pourquoi, quiconque lira et pratiquera ses exercices rythmés de vocalise assouplira son organe vocal, acquerra la délicatesse, l'élasticité, l'élan de l'accent tonique et mélodique, en même temps que la souplesse, le lié, le sens des proportions dans le phrasé! Or, c'est là tout le plain chant. Même, l'application du principe de l'indépendance dynamique ou la distribution de l'intensité sur les parties ascendantes ou descendantes d'une période musicale au gré de l'auteur, a son utilité pour la formation du chanteur. En préconisant l'usage de la chyronimie, qui dessine de la main le mouvement mélodique, D. M. emploie un procédé traditionnel et éminemment intuitif Il nous semble regrettable que l'auteur n'ait écrit que des exercices de pure vocalise, sans en faire l'adaptation aux textes chantés. Dans les cantilènes grégoriennes le texte et la musique se compénètrent et s'influencent mutuellement.

— Le solfège élémentaire de M. l'abbé Burton fait suite à ses leçons très bien conçues de chant grégorien (Namur, Wesmael-Charlier, 1908, 58 p. F. 0,50), et est construit d'après le même plan: exercices pour la formation de la voix, exercices sur les intervalles, les neumes etc. Il pourrait être utilement employé dans les collèges, les paroisses, les conférences de chant. Les exercices sont bien choisis et sagement gradués.

---

(1) Voir son livre : *Le nombre musical grégorien ou rythmique grégorienne. Théorie et pratique.* T. I. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1908, 430 p. F. 6. Des comptes-rendus critiques de cet ouvrage important ont paru dans: la *Revue de chant grégorien*, 1907-1908, t. XVI, p. 199; *Musica sacra* de Namur, 1908-1909, t. XXVIII, p. 6-9 (article de l'abbé Verhelst); *Gregorianische Rundschau*, 1908, t. VII, p. 185-188; 1909, t. VIII, p. 1-4 (article de P. Wagner); la *Civiltà cattolica*, 1908, III, p. 714-723.

D. Questions d'érudition.

Dr. H. Riemann. *Kompendium der Notenschriftkunde* (Sammlung « Kirchenmusik » n° 4 et 5.) Regensburg, Pustet, 1910, 167 p. mit 20 Uebungsbeispielen zum Uebertragen. M. 2.

— Cette histoire sommaire et substantielle des transformations subies au cours des siècles, dans les différents pays et les diverses écoles, par la notation musicale se recommande par la haute compétence de son auteur et par la précision et l'exactitude de son contenu. Le texte est accompagné de nombreux spécimens d'écriture musicale ancienne, avec leur transcription en notation moderne. Inutile d'ajouter que ce petit volume renferme des détails fort intéressants sur la tonalité, la rythmique, le genre de la musique grecque, byzantine, grégorienne etc. Une petite bibliographie aurait heureusement complété cette excellente publication.

Nous venons de recevoir la 7e édition (1911) du *Kyriale* in-octavo de la maison Pustet de Ratisbonne. Cette édition, entièrement conforme à la Vaticane, comprend outre l'*Ordinarium Missæ* complet, l'appendice du Graduel : le *Te Deum* et les chants de procession. Elle est, au point de vue de l'exécution matérielle et typographique, supérieure aux productions similaires des autres firmes.

A. De Meester.

Notæ Bibliographicæ

R. P. Ladislas, SS. C. *La consécration des familles au Sacré Cœur de Jésus.* 3e éd. Courtrai, Beyaert-Sioen, s. d. [1910]. VI-196 p. Prix : 0,75 fr.

Depuis deux ans, plus de 70.000 feuilles ont été répandues dans toute la Belgique, contenant un *Appel aux Familles chrétiennes* avec un acte de consécration au Sacré Cœur de Jésus. Le présent ouvrage a pour but de montrer en quoi consiste cette consécration des familles au Sacré Cœur et combien elle Lui est agréable; il insiste beaucoup sur la nécessité d'écarter l'esprit mondain qui est un obstacle au règne du Sacré Cœur; il expose les consolantes promesses faites à la B. Marguerite-Marie en faveur des familles; il fait ressortir l'utilité de cette dévotion dans les différents événements de la famille: mariage, naissance d'un enfant, première Communion etc ; il indique quelques pratiques de piété et œuvres de zèle. La seconde partie contient quelques formules de prières.

Nous recommandons bien volontiers ce petit livre: la dévotion au Sacré Cœur, établie dans les familles par la pratique bien comprise de la Consécration, est, nous n'en doutons pas, un moyen efficace de conserver ou de restaurer l'esprit chrétien, si sérieusement menacé de nos jours.

H. M.

Handboekje voor jonge soldaten, door eenen priester van het bisdom Brugge. Thielt, Vervenne, 1910. In-32, 96 bl. Fr. 0,25; fr. 0,20 per honderd.

De nieuwe legerwet heeft veel kommernis gebracht in 't hert onzer brave vlaamsche ouders: zij vreezen voor de deugd van hun oudsten zoon die ter kazern moet. De priesters deelen in die kommernis, zij die van naderbij de dreigende gevaren kennen van 't huidig kazernleven. Daarom is 't nuttig, ja! hoogst noodig de nieuwe ingelijfde soldaten te waarschuwen en die aan te sporen tot eerlijk en deugdzaam gedrag.

't Is het doel van dit uitstekend boekje, dat verdient warm aanbevolen te worden en wijd verspreid. In eenvoudige, luimige en toch deftige taal geschreven, kort en bondig opgevat, is het opperbest geschikt om onze jonge soldaten tot wegwijzer te dienen in hunne nieuwe levensbaan. Niets ontbreekt er aan nuttige inlichtingen en heilzame raadgevingen op zedelijk en ook nog op stoffelijk gebied; verders geeft schrijver de lijst onzer soldatenkringen, die fel aangeprezen worden, met aanduiding der misuren; daarop volgen morgen- en avondgebeden, mis-, biecht- en communiegebeden, benevens litaniën en andere godvruchtige oefeningen: een waar *vademecum.*

A. D. S.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Expone, juxta epistolii argumentum, occasionem et scopum Ep. ad Philemonem.

II

Quid requiritur et sufficit ut *idem* homo resurgat?

III

Da notionem impotentiæ.

IV

Determina quænam impotentia constituat impedimentum dirimens matrimonii.

V

Expone quid sit mortificatio christiana.

VI

A qui incombent les réparations d'entretien des cimetières?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii, 18ª Augusti (feria V) hora 2ª. Omnes quorum interest sacerdotes **enixe** rogantur ut huic cœtui intersint.

*
* *

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Modo prodiit:

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Mox prodibit:

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* Brugis, Beyaert.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XV, pag. 453).

§ II. De eadem Q. IV interrogantur Patres.

14. Ut sensum Patrum assequamur non ab illis incipiendum est qui Spiritum sanctum quoque datum missumque fuisse sub veteri Lege qualicumque modo asserunt, aut qui discrimen hac in re qualecumque inter novum vetusque Testamentum significant, aut obscure loquuntur, sed ab iis qui quæstionem a nobis positam dilucide proponunt, qualis est præprimis S. Cyrillus Alexandrinus, quem exscribimus:

Datus est itaque nobis renovans Spiritus, sanctus videlicet, æternæ causa vitæ, postquam Christus glorificatus est, hoc est post resurrectionem, cum diruptis mortis vinculis omni corruptione major apparuit, revixitque totam habens in seipso naturam, secundum quod homo erat et unus ex nobis. Porro curiosius inquirens causam, cur post resurrectionem non ante effusus sit Spiritus, illud rursus audies: Primitiæ renovatæ naturæ Christus tunc factus est, cum spretis mortis vinculis excitatus est a mortuis, sicuti modo diximus. Quid ergo consentaneum esse potest ut ante ipsas primitias vivificarentur qui post eas erant? Qua enim ratione nunquam planta e terra pullulabit, nisi radix primum enata fuerit, nam inde principium habet succrescendi: eadem ratione fieri nequit, ut cum Dominum nostrum Jesum Christum ad immortalitatem radicem habeamus, ante ipsam radicem germinare videamur. Ostendens vero descensuri in nos sancti Spritus instare tempus, postquam a mortuis

revixit, discipulis insufflavit, dicens: **Accipite Spiritum sanctum.** Jam enim vere pro foribus aderat, immo intra portas renovationis tempus: et circumspiciat mihi studiosus num vera dicamus. In principio quippe, sicuti nobis divino Spiritu afflatus Moyses scripsit, accepto pulvere de terra cum formasset hominem universi opifex, insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. Quodnam autem est spiraculum vitæ, nisi Christi Spiritus, qui ait: **Ego sum vita et resurrectio?** Postquam vero ex humanitate aufugit et evolavit sanctus Spiritus is, qui nos ad divinum characterem conformare atque servare poterat, rursus hunc nobis Servator elargitur, in antiquam illam restituens dignitatem, et in suam ipsius imaginem transformans. Idcirco enim Paulus ad quosdam ait: **Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.** Sed si ita res habet, quomodo fuit in Prophetis? Consideremus ergo (repetam enim propositum sermonis finem) in sanctis quidem Prophetis velut uberem quandam illuminationem et prælustrationem fuisse Spiritus, quæ dirigere posset ad futurorum comprehensionem, et occultorum notitiam. In iis vero qui credunt in Christum, non simpliciter illustrationem Spiritus esse censemus, sed ipsum Spiritum inhabitare penitus et hospitari confidimus. Unde jure quoque templa Dei dicimur, quum nullus sanctorum Prophetarum Dei templum appellatus sit unquam. Nam quomodo illud interpretabimur, aut quid dicturi sumus, cum Servatorem nostrum Christum dicentem audiemus: **Amen amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.** Quodnam porro est regnum cœlorum? Datio utique sancti Spiritus, juxta illud, **Regnum cœlorum intra vos est.** Inhabitat enim per fidem in nobis Spiritus. Vides ergo ut omnibus natis mulierum anteponat eum qui etiam perfecto minor est in regno cœlorum? Neque vero quisquam nos putet elevare sanctorum illorum gloriam aut virtutem, ut iis præstantiores dicamus vel minimos quosque: non hoc dicimus, incomparabilis enim est illorum vitæ splendor; sed ut rem clare intelligamus, Servatoris nostri dictum explicemus. Magnus revera erat beatus Baptista, et omni virtute clarissimus, eoque justitiæ, quanta in hominem cadit, provectus, ut nullum superiorem haberet.

Sed cum ita se haberet, Christum tamen rogabat, dicens: **Ego a te debeo baptizari et tu venis ad me?** Vides ut perfectus cum esset, quantum in homines et in natos mulierum cadebat, tamen regenerari quodammodo et refici se rogat per sanctum Spiritum? Vides ut regeneratis inferiorem se profitetur, cum regeneratione sibi opus esse ait? Nam si præstantior futurus non erat baptizatus, quid necesse erat ut rogaret se baptizari? Sinautem sciebat se præstantiorem fore accedente baptismo: quomodo non priorem dignitatis locum tribuet jam baptizatis? Majorem igitur etiam ipso Joanne Christus ait esse minimum regni cœlorum, hoc est, et recens baptizatum, et nihil dum eximium re præstantem, propter hoc dumtaxat quod genitus ex muliere beatus Baptista, hic vero ex Deo natus est, ut Scripturis proditur, et factus est naturæ divinæ particeps, ipsum Spiritum sanctum incolam in se habens, atque adeo jam Dei templum est et audit. Sed ad propositum revertimur. Erat quidem in Prophetis Spiritus ad usum vaticinandi, nunc vero inhabitat credentibus per Christum, et in ipso primum cœpit, cum factus est homo. Habet enim ut Deus inseparabiliter insitum sibi substantialiter ac proprium Spiritum. Ungitur vero propter nos, et dicitur ut homo accipere Spiritum, non sibi sed hominum naturæ divinorum bonorum communicationem concilians, quemadmodum ante docuimus. Cum ergo divinus Evangelista nobis ait: **Nondum enim erat Spiritus, quia Jesus nondum glorificatus erat,** integram perfectamque in hominibus sancti Spiritus habitationem eum significare colligamus (1)

15. Hæc, quæ integra licet longa citare voluimus ut lector penitus cognita causa judicare valeat, tam perspicua sunt ut non mirari non possimus Franzelin (2) asserere Cyrillum nullibi dicere in veteri Testamento non inhabitasse ipsum Spiritum sanctum in sanctificatis. Dicit Cyrillus aperte: « In sanctis quidem Prophetis velut uberem quamdam illuminationem et prælustrationem fuisse Spiritus... In iis vero qui credunt in

(1) In Joan., l. V.
(2) *De Deo trino sec. personas,* thesi XLVIII.

Christum, non simpliciter illustrationem Spiritus esse censemus, sed ipsum Spiritum inhabitare penitus et hospitari confidimus. Unde jure quoque templa Dei dicimur, quum nullus sanctorum Prophetarum Dei templum appellatus sit unquam. » Nisi velimus ludere verbis : ergo non inhabitavit seu hospitatus est Spiritus sanctus in sanctis Prophetis, neque hi fuerunt templa Dei, sicut fit in sanctis novi Testamenti.

16. Quod magis stupendum est, Cyrillus, teste eodem Franzelin, docet contrarium ; nam : « Cum Baptista, *ait* (1), Spiritus sancti particeps esset. » Profecto, ut participes fuerunt sancti Prophetæ, sed de eodem ipso Joanne, ut vidimus, Cyrillus longa disputatione probat eum non habuisse Spiritum sanctum inhabitantem tamquam in templo. Quod idem repetit alio loco (2) : « Quum igitur illum (Joannem) veluti imaginem summæ virtutis quæ in natos mulierum caderet, statuisset (Christus), majus bonum opponit, hoc est, qui recens regnum cœlorum consecutus esset, et in filium Dei regeneratus per Spiritum... Major itaque omnibus natis e muliere est, qui per Spiritum regeneratus est. Illi enim adhuc filii carnis appellantur, hi vero Deum totius universi patrem vocantes, ut filii eum invocant, dicentes : Abba, Pater. Quocirca tametsi Baptistæ ut ex muliere nato summa operum præstantia insit, major tamen eo erit, qui ad regnum cœlorum vocatus fuerit : quia non amplius vocabitur filius mulieris, sed divinæ naturæ particeps fiet et filius Dei vocabitur. » Quod confirmat testimonio ipsius Joannis : Opus mihi est ut a te baptizer. Deinde probat : « Quod... regnum cœlorum vocet donum Spiritus sancti et quæ per eum confertur credentibus regenerationem. » Sicut facit loc. cit. *in Joan.*, l. V.

Additque quod objicit rursus Franzelin : « Cæterum

(1) *Thesauri*, log. XII, p. 102.
(2) *Thesauri*, log. XII, p. 104-106.

facile intellectu est regnum cœlorum priscis etiam patribus paratum fuisse, utpote conformibus imagini filii sui (Rom., VIII, 29), atque idcirco a Deo ac Patre præcognitis. » Verum quænam in hoc difficultas esse potest? Priscis justis paratum fuisse regnum cœlorum, id est, adoptionem per Spiritum inhabitantem, aliquando, nempe post Christi glorificationem consequendam, sicut nobis justis paratum est a constitutione mundi regnum finale, quis neget? Nescio cur Franzelin non compleverit citationem S. Cyrilli, qui statim post prædicta verba prosequitur : « Tempore vero Joannis Baptistæ atque ab eo tempore deinceps donum Spiritus sancti et regeneratio per sanctum baptismum fide rapitur. » Quæ quidem nullum dubium de rectitudine interpretationis nostræ relinquunt : nunc justi rapiunt illud regnum cœlorum, nempe adoptionem in filios Dei seu consortium divinæ naturæ, per baptismum. Justis antiquis hæc deiformitas seu adoptio tantum parata fuit postea consequenda, puta, a Christo ad inferos descendente eisdem annuntianda, et tum concedenda cum proxime in cœlum ascensuri erant. Parata, inquam, justis illis, utpote conformibus imaginis Filii sui. Per imaginem Filii intelligit S. Doctor Spiritum sanctum, ut palam loquitur alio in loco (1), postea a nobis diversa in re allegando. Porro parata est inhabitatio Spiritus sancti justis illis, utpote conformibus Spiritui sancto, non quidem hoc sensu quod jam fuerint conformes Spiritui sancto ejusque templum, quum præcise per totam disputationem suam idem his abneget, sed quod tunc erunt cum paratum regnum cœlorum seu adoptionem acquirent.

Haud minus clare loquitur idem S. Doctor, *in Evang. Joan.*, p. 91.

17. Hæc de S. Cyrillo Alexandrino sufficiant (2), ex

(1) *De Trin. dialogo* VII, p. 639.

(2) Addi possent plures textus, inter quos *Thesauri*, l. XX, p. 208, ubi et corpora nostra templa esse Spiritus sancti insinuat; l. XXXIV, p. 352.

quibus luculenter patet S. Doctorem justis antiquis plane abnegasse inhabitationem Spiritus sancti et adoptionem filiorum, qualem propriam censet justis novæ Legis, neque audiendum esse Franzelin, quando eamdem inhabitationem priscis patribus non abjudicasse simpliciter Cyrillum affirmat, sed tantum specialem titulum ad eamdem in novo Fœdere, nempe per baptismum, asseruisse, ita ut totum revocetur ad distinctionem inhabitationis « secundum diversos gradus, et non solum pro diversa mensura sed etiam proprietate gratiarum et donorum. » Etenim nimis aperte Cyrillus revocat discrimen inter justos prioris et posterioris Testamenti ad hoc, quod in hoc ipse Spiritus secundum substantiam inhabitet justos eosque templum suum efficiat, filiosque Dei adoptivos, in illo vero secundum efficientiam tantum in justis fuerit.

Quod autem originem deiformitatis seu adoptionis atque inhabitationis illius substantialis Spiritus sancti baptismo Christi tribuit Cyrillus, hoc solum intendit, ut supra citata legenti patebit, quod, cum baptismus sit vere sacramentum regenerationis, quo ex Deo nascimur, non debuisset Joannes, si jam fuisset filius Dei et templum Spiritus sancti, quales sunt justi novæ Legis, Christo dicere: opus habeo a te baptizari. Hac opportunitate addamus nonnullos Patres docere Christum sacramentum baptismatis non instituisse ante passionem suam, quia regenerationis gratia dari non debebat ante Christi glorificationem. Ita Tertullianus: « Itaque tinguebant discipuli ejus (Apostoli Christi) ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini (1). » Quam

(1) *De Baptismo*, c. XI. Ibid. reperies curiosam quæstionem an Apostoli fuerint baptizati et quo baptismate, c. XII. Cf. annot. Th. Corbiniani in id. cap. XI, et Hürter, *SS. Patrum opuscula*, VII, in utrumque cap.

Tertulliani opinionem sectati sunt maxime Chrysostomus, *hom.* 28 in Joan., 3; et S. Leo M. qui ait: « De quo (forma et potestate baptizandi in nomine Patris, etc.) utique eos (Apostolos) etiam ante passionem potuisset instituere (Christus), nisi proprie voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse (1). »

18. Unum remanet animadvertendum, antequam ad alios Patres audiendos transeamus, videlicet nos agere de justis veteris Legis post lapsum, cum de protoparentibus ante peccatum omnino dicendum videatur, eos Spiritum sanctum inhabitantem ita habuisse ut fuerint ejus templa filiique adoptivi Dei, quæ cæterum sententia est S. Cyrilli in textibus supra allatis aut indicatis, S. Basilii, aliorumque Patrum, ut videbimus (2). Qua in re nova confirmatio est eosdem Patres opinasse cæteros post lapsum justos non ejusdem numeri fuisse, cum his Adamum ante peccatum opponant.

19. Sunt ergo et alii Patres qui loquuntur ut S. Cyrillus Alexandrinus, inter quos Tertullianus, jam supra citatus ubi æquivalenter eamdem opinionem proponit; quique in lib. *de Pudicitia,* cap. VI: corpus nostrum in Lege veteri non fuisse « Dei templum », ait, Christique beneficio « statum vertisse. »

Augustinus, cujus alium locum quidam inaniter nobis opponunt, ut vidimus (3), *in Psalm. LXXXI* hæc habet:

Invenimus etiam sæpe eos (Judæos) filios appellatos, non ea gratia quæ ad novum Testamentum pertinet, sed illa quæ ad vetus: quia et ipsa gratia est qua elegit Abraham, et ex ejus carne tam magnum populum propagavit, qua nondum natos Jacob dilexit, Esau autem odio habuit..., qua in terram promissam... introduxit. Nisi enim et ipsa esset gratia, non utique de nobis quibus non ad terrenum, sed ad

(1) *Epist. 4* ad Episc. Siciliæ. — Supra vidimus, n. 13, frustra opponi alium textum ejusdem S. Doctoris.

(2) Lege Petav., *De Trin.*, lib. VIII, c. V, n. IV et sqq.

(3) Num. 12.

regnum cœlorum capessendum data est potestas filios Dei fieri, in eodem mox evangelio diceretur, quod accepimus gratiam pro gratia, id est, pro Testamenti veteris promissionibus Testamenti novi promissiones.

20. Item Auctor *Sermonum de tempore* sub nomine Augustini sæpe excusorum, quosque nunc eruditi eidem abjudicant, quædam notatu digna habet, *Serm.* 126, 182, præprimis vero 185, ubi de ista, de qua agimus, peculiari novæ Legis gratia, et diversa atque in veteri fuit, communicatione Spiritus sancti, illustrem sententiam — sunt verba Petavii — expromit:

Spiritus sanctus, *ait*, in hac die (Pentecostes) ad præparata sibi apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est, non jam visitator subitus, sed perpetuus consolator et cohabitator æternus. Nam sicut de semetipso apostolis suis dixerat: Ecce ego vobiscum sum..., ita etiam de Spiritu sancto: Paracletum, inquit, dabit vobis Pater, qui vobiscum sit in æternum. Affuit (al. affudit) ergo in hac die fidelibus suis, non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis; atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti; ex cujus fragrantia latitudo totius orbis impleretur, et appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes.

21. Luculenter quoque Chrysostomus filiationem adoptivam ita propriam justis novi Fœderis asserit, ut eam non solum olim Judæis sed et ipsis angelis, quod mirum videri potest (1) deneget. Certe *hom. 14 in Ep.*

---

(1) « Ostendant, *ait (hom. 22 in Gen.)*, ubi angeli filii Dei appellati sunt, sed non poterunt unquam monstrare. Homines quidem filii Dei dicti sunt, angeli autem nunquam ». Cui consonat Jobius apud Photium, teste L. Thomassino (*De Incarn.*, l. VIII, c. X), advertens: « Et certe post Christi Domini adventum etiam in hominibus majora opera videre licet, quam quæcumque ab Angelis fiunt. Ecce ego dico vobis, inquit Paulus, licet angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit. Et iterum Michael quidem Archangelus non est ausus judicium inferre blasphemiæ diabolo, nos vero accepimus potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici. Neque angelorum quisquam ausus est se vel alium, appellare

ad Rom., in illa verba: « Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei etc. » hæc de Judæis habet: « Igitur, inquies, Deum illi etiam non vocabant Patrem? Non audis Moysen dicentem: Deum qui te genuit dereliquisti?.... Sed ut hæc et his item plura dicta sint, nunquam invenire est illos hoc verbo vocare Deum aut sic preces fundere. At nos omnes, sacerdotes et privati..... ita precari jussi sumus; et hanc primam vocem edimus post admirabiles illas parturigines, post novam ac mirificam enitendi legem. » Et subdit: « Alioqui ut demus illos aliquando Deum ita vocavisse, nempe Patrem: tamen ad id illi a propria cogitatione incitabantur, nos qui in gratia sumus a Spiritu sancto. » Denique acute subnotat, ideo nos hebraica etiam lingua ut Abba Patrem vocemus a Paulo doceri, ut hinc filia-

---

Deum vel Dei filium; hominum vero genus et dii et filii Dei nominantur ». Basilius quoque Seleuciæ episcopus: « Neque Dei filius, *ait* (*Orat.* 6), vocatus est angelorum ullus, sed hoc appellationis honore soli gloriantur homines. Nam in quibus imaginis refulget dignitas, in iis adoptionis gratia concurrit ».

Alii tamen Patres bene multi angelos vocari filios Dei omnino concedunt. Lud. Thomassinus, qui illustrando e Patribus theologica dogmata Petavium haud infeliciter imitatus est, Patres reapse concinere sibi ostendere aggressus est, *De Incarn.*, l. VIII, c. X, n. VII et sqq., duplici filiatione distincta: altera, adoptione mera et jejuna; altera, usurpatione substantiva nativæ ac genitivæ filiationis; quarum posterior ex incarnatione Verbi efflorescens, nostra est, prior vero protoparentum ante lapsum et angelorum ante glorificationem Christi. Illam peculiarem filiationem nec angelis arrogandam ipsis tamen impertiendam docet, ut unum nobiscum corpus sub uno capite Christo conflaturis.

Ejus argumenta vide loc. cit., et præcipue n. XIII. Legi quoque merentur duo cap. sequentia XI et XII, quæ inscribit: « Per resurrectionem cumulus et summus apex filiationis naturalis Christo obtigit ». Et: « Per resurrectionem quod spe præsumimus, tunc re erimus filii Dei ultra adoptionem provecti ».

Nos faciliorem et probabiliorem modum conciliandi Patres inter se, tum quod angelos, tum quod justos veteris et novæ Legis attinet, mox explicabimus; ubi etiam indicabimus quo sensu ac modo Thomassinus, eadem partitione duplicis filiationis adhibita et diverso aliquantulum modo applicata Judæos quoque filios adoptivos fuisse concedat, licet alio ac nos sensu et ratione.

tionis nostræ ingenuitas, proscriptis ab hac dignitate Hebræis ipsis, significetur.

« Similia quædam, teste Petavio (1), apud Œcumenium et Theophylactum leges, quæ Spiritum adoptionis Christianis solis attributum esse declarant. »

Adde *hom. 4 in Act. Apost.*, ubi in Pentecostes die ipsum ait idem Chrysostomus descendisse Spiritum in apostolos, quod hactenus in prophetis non usuvenerat, ac « fontem ipsum Spiritus sancti, quemadmodum et ipse dixerat (Jo. IV, 14), fontem aquæ salientis in vitam æternam habituros eos qui in se crederent (2). »

22. Isidorus Pelusiota *(l. 5, Ep. 197)* perargute observat Judæos nunquam nisi exprobrationis causa in Scripturis filios appellari : « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ; Deum qui te genuit, dereliquisti etc. »

Insigne vero testimonium est S. Gregorii Nazianzeni, quod integrum exhibemus :

Spiritus sanctus semper quidem erat et est et erit.∴ (3) Erat igitur semper participabilis non participans, perficiens non ab alio perfectus, replens non repletus, sanctificans non sanctificatus, deificans non deificatus, ipse semper unum et secum et cum iis quibus connumeratur.... bonitas ipsa et fons bonitatis.... gratias dividens, Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ.... Hic prius operabatur in angelicis virtuti-

---

(1) *De Trin.*, l. VIII, c. VII, n. IX.

(2) Et cf. *Hom. 1 in Act. Apost.*, et *Hom. 86 in Joan.*

(3) Quæ sequuntur : *Erat igitur.... non deificatus,* quorsum sublineet Franzelin, sicut et infra : *Spiritus adoptionis,* et : *in mente sua signati Spiritu sancto,* revera non intelligimus. Hoc ultimum incisum ab aliis merito vertitur : *impressam habentes per Spiritum principem animi partem* (τυπουμενοι τῷ πνευματι το ἡγεμονικον) et sequitur immediate : *et cum futuris tamquam cum præsentibus versantes.* An innuere vult Franzelin Spiritum sanctum, juxta mentem S. Gregorii, æque in veteri ac in nova Lege deificasse et in filios adoptasse justos? Ast, nihil aliud hic vult S. Doctor quam asserere divinitatem Spiritus sancti, enumerando divinitatis attributa, ut et alibi (*Lib. de Spir. sancto,* c. IX ; *Orat. theol.* 5, n. 29) iisdem fere verbis facit. Profecto erat et est et erit semper Spiritus adoptionis, etsi non semper adoptet, deificans licet non semper deificet, etc.

bus... non enim aliunde eis est perfectio.... quam a Spiritu sancto; deinde in patriarchis et prophetis, quorum alii Deum viderunt in imaginibus... alii et futura præscierunt in mente sua signati Spiritu sancto, et cum futuris tamquam cum præsentibus versantes. Hujusmodi quippe spiritus vis seu potentia (δυναμις) est. Postea in Christi discipulis, Christum enim prætermitto cui aderat non ut operans (οὐχ ὡς ἐνεργοῦν) sed ut æqualem concomitans; atque in his trifariam, prout ipsorum captus ferebat, tribusque temporibus, nempe antequam Christus per passionem glorificaretur; postquam resurrectione glorificatus est; post ejus in cœlum ascensum, sive restitutionem, sive quo alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicue ostendit tum prima illa morborum spirituumque depulsio, quæ scilicet non absque Spiritu fiebat; tum illa post confectum salutis nostræ negotium insufflatio, quæ divinioris proculdubio inspirationis specimen habebat; tum postremo præsens hæc ignearum linguarum divisio, quam etiam solemni festo celebramus. Verum primo quidem obscure, secundo expressius, nunc vero perfectius, ut qui non jam operatione sola præsens sit, ut antea, sed substantiali, ut sic loquar, modo adsit, ac simul versetur. Decebat enim ut, cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo modo appareret, et cum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet, et ita quidem ut et tamquam Dominus veniret et tamquam Deo nequaquam oppositus mitteretur... Idcirco post Christum quidem accedit ne Paracletus nobis desit, *alius* autem ut tu honoris æqualitatem cogites (1).

Franzelin post verba: Spiritus quoque corporeo modo appareret, cætera omittit; atque totum discrimen, quod Gregorius inter missionem antea factam Spiritus sancti et ejusdem Spiritus missionem ultimo factam in apostolos ac fideles, ad hoc extemplo reducit quod hæc fuerit visibilis missio in linguis ignitis! Ast hæc sua sibi nimis commoda est interpretatio: num ergo nihil significant verba hæc S. Gregorii: « Nunc vero perfectius, ut qui non jam operatione sola præsens sit,

(1) *Orat.* 44, alias 41, n. IX et sqq.

ut antea, sed substantiali, ut aliquis dicat, modo adsit ac simul versetur ». Et rursum : « Idcirco post Christum quidem accedit ne Paracletus *nobis* desit » videlicet ut alius Paracletus nobis substantialiter adsit, quemadmodum Christus substantialiter adfuit.

Testimonium hoc S. Gregorii Nazianzeni quoque citat Hugo Etherianus (1), et ex eodem Gregorio notat Georgius Pachymerius (2): οὐσιωδῶς post Christum infusum hominibus esse Spiritum sanctum, qui antea κατ' ἐνέργειαν duntaxat in illis hærebat.

23. Mittimus Rupertum abbatem, qui obscure loquitur, ast certo non contradicit Patribus jam citatis, de quo lege Petavium, *De Trin.*, l. VIII, c. VII, n. VII, et Franzelin, *De Deo trino*, thesi XLVIII.

Quidam opponunt Hieronymum, *Ad Hedibiam,* 9. Sed legenti patebit S. Doctorem diversam a nostra quæstionem resolvere, et nihil omnino asserere quod sententiis Patrum jam expositis repugnet, etiam ibi ubi interpretatur textum S. Joannis: Nondum erat Spiritus, etc.

« Non quo non esset Spiritus sanctus, dicente Domino Salvatore: Si autem ego in Spiritu sancto ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt, sed quia erat in Domino, necdum totus in Apostolis morabatur... Hic Spiritus non solum in Apostolis, sed etiam in Prophetis fuit (3), et verbo Domini cœli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum », etc.

24. Majorem difficultatem habere videtur locus S. Athanasii, ubi ait: « Unus idemque Spiritus est qui tum, et qui nunc sanctificat et consolatur eos, qui ipsum recipiunt, quemadmodum unum est et idem

---

(1) Lib. II, c. 13.

(2) *Paraphr. libri de cœlesti hierarchia,* c. X.

(3) Hæc præcipue objiciunt quidam. Atvero quo jure? Cum nemo neget Spiritum sanctum et in Prophetis fuisse, per operationem nempe, sicut et in Apostolis ante Christi glorificationem, sed nondum totus, ut ait Hieronymus, non substantialiter.

Verbum Filius ad adoptionem promovens etiam tunc eos, qui digni erant. Nam erant et in vetere Testamento filii, non per alium quam per Filium adoptati (1). » Attamen idem S. Doctor alio in loco (2) omnino loquitur sicuti cæteri Patres citati: Verbum Dei hominem factum accepisse Spiritum ait, quo tempore in Jordane baptizatus est, non sua utique causa, quasi antea non haberet, sed nostra potius ut ejus nos capaces faceret. « Quare ex illo tempore, *inquit*, et nos cœpimus unctionem hanc et signaculum accipere, Joanne quidem dicente: Et vos unctionem habetis a sancto; Apostolo vero: Et vos signati estis Spiritu promissionis sancto. » Tum postea: « Per quem vero et a quo oportebat Spiritum dari, nisi per Filium, cujus et est Spiritus? Quando vero nos accipere poteramus, nisi quando Verbum factum est homo? »

E quibus vides secum ipsum et cum aliis Patribus supracitatis conciliandum esse Athanasium, non quidem eo quod dicat Spiritum eumdem esse qui tum, et qui nunc sanctificat, quod nemo negabit, sed quod et in vetere Testamento erant filii, per Filium adoptati. Haud difficilis est conciliatio, si attendamus adoptionem ac filiationem alio atque alio sensu accipi posse; nec esse uniusmodi communicationem Spiritus sancti, quemadmodum Petavius exponit (3), etiamsi de substantiali communicatione loquaris; tum etiam diverso modo ac titulo filiationem seu adoptionem proprie dictam attribui alicui posse, quæ nempe jure tantum, ratione gratiæ sanctificantis seu justitiæ, tamquam debita dispositione, alicui competat, nondum tamen re et facto obtineat, aut quæ simul cum gratia rite disponente facto et re adsit eo quod ipse Spiritus sanctus in justo inhabitet ut in templo suo eumque deiformem

(1) *Orat.* 5.
(2) Lib. II c. Arianos.
(3) *De Trin.*, l. VIII, c. VII, n. IX-XI.

filiumque Dei adoptivum re efficiat. Et hæc est nostro sensu vera conciliatio, quam quidem infra latius explicabimus.

25. Suggerunt vel ipsi Patres qui sine ullo dubio adoptionem in filios justis novæ Legis reservant, ut Chrysostomus et Cyrillus Alexandrinus, unum alterumve ex his conciliandi modis (1).

Audiamus Cyrillum:

Sed quid majus, inquiet forsan aliquis, vel quid eximii præ Israëlitis nacti sunt fideles, cum et ipsi nati esse a Deo dicantur, juxta illud: Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Ad hoc respondemus primum quidem, quod cum lex umbram futurorum bonorum haberet, non autem ipsam rerum veram speciem; itaque neque illud Israëlitis vere concessum, sed typice et figurate descriptum in ipsis fuit, usque ad tempus correctionis, sicut scriptum est, quo emersuri erant qui decentius atque verius propter inhabitantem Unigeniti Spiritum Patrem Deum appellarent. Illi siquidem habebant spiritum servitutis in timore, hi vero spiritum adoptionis filiorum in libertatem, in quo clamamus: Abba, Pater. Igitur populus per fidem in Christum ad filiorum adoptionem evehendus, in illo velut in umbra præfiguratus est (2).

26. Audiamus et Chrysostomum:

Illa quidem quasi figuræ sunt, hæc quasi veritas; æquivocationem, non rei communionem servantia, quoniam in figuris sunt et umbra. Nam et homo pictus, homo appellatur, et verus homo itidem..... Unde igitur exordiemur? Vultis ab ipsa adoptione? Quænam inter hanc et illam differentia est? Illa verbo honorabatur, hæc reipsa. Et de illa quidem ait: Ego dixi: Dii estis et filii altissimi omnes; de hac autem: Ex Deo nati sunt. Quanam ratione? Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti. Et illi

(1) Modum conciliandi Thomassini, tum quod justos antiquos attinet, tum quod angelos primosque parentes ante lapsum, ne longiores simus, remittimus legendum apud Auctorem, *De Incarn. Verbi*, l. VIII, c. XI, n. VI-XIII.

(2) In evang. Joan., p. 91.

quidem postquam filii appellati sunt, adhuc spiritum servitutis habebant, erant enim servi, etsi hac appellatione honorabantur; nos liberi tunc facti, non nomine sed re honorem accepimus. Quod Paulus his verbis significavit: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum... Generati namque a Deo, et ut vere dici potest formati, ita vocati sumus filii (1).

Et in hom. XIV jam citata (2) in epist. ad Rom. ait expresse: « Apud Judæos verbi tantum honos erat adoptio, hic autem res ipsa sequitur, purgatio per baptismum, Spiritus donum, aliorum bonorum largitio. » Deinde post verba allegata eodem numero supra (3) subdit:

Aliam inducit (Paulus) demonstrationem excellentiæ adoptionis hujus (in nova Lege). Qualem illam? *Idem Spiritus,* inquit, *testimonium perhibet spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Non enim a voce solum confirmor, inquit, sed a causa a qua hæc vox nascitur. Spiritu enim dictante hæc dicimus; quod alibi clarius dicebat: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater.* Quid sibi vult illud: Spiritus una cum spiritu testatur? Paracletus, inquit, cum dono nobis dato. Non enim doni tantum vox est, sed etiam Paracleti qui donum dedit.

27. Concinit et Ambrosius:

« Postquam venit fides, jam non sub lege, hoc est, sub pædagogo sumus, quia sumus filii, et omnes sumus in Christo Jesu. » Deinde Judæum invehit causæ suæ ita patrocinantem: « Et ergo hæres sum, quoniam sub lege sum. Lex autem vetus dicitur testamentum; ubi autem testamentum, ibi hæreditas ». Quem sic refellit: « Sunt hæredes sine re, sunt et cum re; et dicuntur hæredes testatore vivente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt a servulo, quoniam sub curatoribus sunt..... Ergo dedit illis speciem hæreditatis, possessio-

(1) *Hom.* 13 in Joan.
(2) Supra, n. 21.
(3) Nempe n. 21.

nem negavit; habent nomen hæredis, usum non habent.... Pædagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem (1).

Denique nullum invenimus Patrem qui *certo* antiquis justis adoptionem filiorum, quo sensu sancti novæ legis filii Dei adoptivi, consortesque naturæ divinæ dicuntur, asserat. « Ex adverso autem, teste Thomassino (2), Judæis filiorum Dei nomen decusque excutiunt turmatim alii Patres » præter Athanasium, de quo supra. Unde saltem ut valde probabile ex traditione haberi potest justos ante Christum glorificatum, gratia quidem sanctificante cæterisque donis fuisse donatos, quibus sancti Deoque grati ac amici fuerunt constituti, et jus obtinuerunt ad adoptionem, nondum vero habuisse inhabitantem Spiritum sanctum, quocum uniti deiformes filiique adoptivi Dei fierent.

Neque hæc omnia, ut loquitur Franzelin, difficilia videri debent. Etenim, sicut non habuerunt hæreditatem, etiamque in termino constituti regnum cœlorum ante Christum glorificatum non obtinuerunt, ita nihil mirum eosdem neque adoptionem filiorum nactos fuisse; atque, si filii fuissent, cur non et hæredes? Igitur, teste Apostolo (3): « hi omnes testimonio fide probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur »; imo ne filii Dei quidem facto et re sine nobis seu ante justos novæ legis constituerentur.

Quid quod et ipsa Ecclesia, in festo Transfigurationis orat: Deus, qui... adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter præsignasti: concede propitius, ut ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, etc.

(Continuabitur).

---

(1) *Epist.* 73.
(2) *De Incarn. Verbi,* l. VIII, c. X, n. V.
(3) Ad Hebr., XI, 39 et 40.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Expone occasionem et scopum Epistolæ ad Philippenses.*

Respondetur. I. Occasio Ep. ad Philippenses *fuit reditus Epaphroditi, legati Ecclesiæ Philippensium, a Paulo Romæ captivo ad patriam suam.*

S. Paulus Philippis in Macedonia ecclesiam christianam, quæ prima fuit earum omnium quas ipse in Europa constituit, in secundo suo itinere apostolico (a. 51-54) a. 52 (1) fundavit. Cf. *Act.* **16**, 6-40. Ecclesiam Philippensem Paulus bis revisit in tertio suo itinere evangelico: primùm a. 58, quando per Macedoniam transiit, et iterum a. 59, quando Corintho Jerosolymam regressus est (*Act.* **20**, 1-6). Cum autem in Judææ metropoli pervenisset, mox in vincula conjectus, Cæsaream et deinde Romam perductus est ut coram Cæsare causam diceret. Atque hæc priora ejus fuerunt in Urbe vincula, quæ in custodia libera, in domo a se conducta transegit (*Act.* **28**, 16-31). — Itaque Philippenses cum accepissent Paulum, quem impense diligebant, Romæ captivum detineri, Epaphroditum, virum christianum valde præclarum (**2**, 29), et ipsis carissimum (**2**, 28), fidei præconem et Pauli commilitonem (**2**, 25) cum pecuniario subsidio ad eum ablegarunt (**4**, 18). Hanc Ecclesiam quum præ cæteris amaret, ab ea sola eleemosynas in suum usum recipiebat (2).

---

(1) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 89 ss.; 98.

(2) Cf. *Phil.* **2**, 25, **4**, 15-18; *I Cor.* **9**, 12-15, *II Cor.* **11**, 9. Jam in secundo itinere apostolico Philippenses Pauli inopiæ succurrerant. Cf. etiam *Act.* **18**, 3-5.

Epaphroditus autem, qui laboris Pauli particeps fuerat (2, 25), in gravem morbum inciderat; sed Dei misericordia sanitati restitutus est (2, 27). Philippenses autem magnopere videre desiderabat, et mœstus erat propterea quod audierant illum infirmatum, nec dubitabat eos illo nuntio contristatos anxiosque fuisse (2, 26).

His permotus Paulus, Epaphroditum « festinantius » ad suos remisit (2, 28), hancque occasionem opportune nactus est ut Philippensibus epistolam scriberet, cujus scopum argumentumque ipsæ circumstantiæ satis suggerebant: suos erga lectores grati animi amorisque sensus testatur, talesque exhortationes admonitionesque proponit quales status ipsorum Ecclesiæ, ipsi ab Epaphrodito manifestatus, requirere videbatur. Eum statum in genere optimum fuisse tota epistola docet: parva tamen discordia erat impugnanda, et præmuniendi videbantur Philippenses contra Judaizantium conatus (1).

II. **Scopus Ep. ad Phil.** S. Paulus in paterna ac familiari hac epistola parænetica, tota suavi gaudio (2) perfusa.

---

(1) Qui, etsi in ipsam Philippensem Ecclesiam nondum irreperant, in vicinis tamen errores suos spargere jam cœperant, ut infra dicemus.

(2) Cf. Prat, *La théologie de St Paul*, T. I, Paris, 1908, p. 436 s.: « On ne cherchera pas dans cette conversation cœur à cœur entre un père et ses fils bien-aimés, un ordre parfait ni un enchaînement rigoureux... Paul exhorte, encourage, console et surtout s'épanche librement. » Son sentiment dominant est la joie spirituelle. Il répète sans cesse: « Je me réjouis dans mes tribulations, réjouissez-vous avec moi », jusqu'à sentir le besoin d'excuser tant d'insistance. Son premier motif de joie est la tournure favorable que prend le procès au tribunal de César.... Du reste — et c'est un second motif d'allégresse — sa captivité n'entrave pas le progrès de la prédication... Mais son plus grand motif de joie — ou du moins le plus intime — est l'inaltérable affection des Philippiens, qui n'attendait qu'une occasion pour « refleurir » avec éclat.... C'est au milieu de cette effusion de tendresse paternelle, dans une lettre remplie d'abandon, de traits délicats, d'allusions aimables, que paraît, au moment où l'on s'y attendait le moins, la formule la plus précise et la plus achevée de la christologie paulinienne (2, 5-11). On est stupéfait de rencontrer cette doctrine jetée comme en passant, dans un morceau parénétique,

1/ *Philippensibus animum gratum beneficiique memorem* (4, 10-18) *atque in ipsos devotissimum* (1, 3-19; 4, 1-2) *exhibet,* etiam talia memorans quæ ad suam Evangeliique conditionem in Urbe spectant (1, 12-26).

2/ *Eos adhortatur ad studium perseverans virtutum* (4, 5-9), in specie ad concordiam animique modestiam, proposito etiam exemplo Jesu Christi (1, 27-30; 2, 1-16) et exemplo suo proprio (3, 12-21).

3/ *Eos monet contra Judaizantes*, et suo exemplo docet unice Christo esse adhærendum (3, 1-11). Optime monet PRAT (1): « La virulente sortie contre les judaïsants s'explique assez par la notoriété de leurs attaques et les préoccupations qu'elles ne cessaient de causer à l'Apôtre, sans qu'il soit nécessaire de soupçonner leur présence ou leur propagande à Philippes » (2).

4/ *Impugnat studium aliquod inanæ gloriæ et natam inde discordiam* (2, 1-4) *maxime inter duas feminas christianas* (4, 2) (3).

A. CAMERLYNCK.

---

sans arrière-pensée de controverse, comme s'il s'agissait d'un dogme vulgaire, depuis longtemps connu et cru de tous, qu'il suffit de rappeler pour en faire la base d'une exhortation morale: fait déconcertant en vérité et tout à fait inexplicable, si l'on ne suppose que la préexistence du Christ et l'union en sa personne de la divinité et de l'humanité faisaient partie de la catéchèse apostolique et appartenaient à ces articles élémentaires que nul chrétien ne devait ignorer ».

(1) *o. c.*, p. 437.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p 145, n. 1 et p. 146 ss. ubi textus *Phil.* 3, 2-7 explicatur.

(3) Conferri possunt CORNELY, *Introductio specialis in libros Novi Testamenti,* Parisiis, 1886, p. 486, ss.; CEULEMANS, *Commentarius in Epistolas S. Pauli,* Mechliniæ, 1901, t. II, p. 46 s ; JACQUIER, *Histoire des livres du Nouveau Testament,* t. I (Paris, 1903). p. 338 ss.; VIGOUROUX, BACUEZ et BRASSAC, *Manuel biblique,* t. IV (Paris, 1903), p. 438 s.; M. R. VINCENT, *The Epistles to the Philippians and to Philemon,* Edinburgh, 1902, p. XXII ss ; MOULE, *The Epistle to the Philippians,* Cambridge, 1895, p. 14 ss.; ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament,* Leipzig, 1906, t. II, p. 371 ss.; BELSER, *Einleitung in das Neue Testament,* Freiburg i. B., 1905, p. 546 ss.; GUTJAHR, *Einleitung in den h. Schriften des Neuen Testamentes,* Graz, 1905, p. 313 s.; HAUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe,* Goettingen, 1902, p. 91 ss.

II

Q. *Demonstra resurrectionem hominum (quam futuram esse ex fide cognoscimus)* non esse naturalem.

R. I. **Prænotandum.** 1. Non negamus a sola ratione naturali posse inveniri rationes cur *congruum* sit Deum operari resurrectionem; sed intendimus non dari proprie dictam *necessitatem naturalem* resurrectionis, seu non dari in anima, post ejusdem separationem a corpore, veram *exigentiam* ut iterum uniatur materiæ primæ.

2. Resurrectio hominis consistit in *iterata unione* animæ rationalis cum materia prima: ipsa *unio* secunda est omnino ejusdem rationis ac unio prima, et consequenter *in se* est naturalis; sed hoc quod anima *iterum* uniatur materiæ est omnino indebitum et consequenter est supernaturalis *quoad modum* quo producitur: « inde resurrectio, simpliciter loquendo, est *miraculosa* » (1).

II. 1. **Demonstratio.** Mors hominis est naturalis. Posita autem morte, nulla jam datur, vel in materia prima, vel in anima separata, *exigentia* ut fiat secunda unio animæ cum materia. Ergo *secunda* unio animæ cum materia est positive indebita, seu *quoad modum* supernaturalis.

Declaratur prima propositio. Homo, quia est essentialiter compositus, est essentialiter dissolubilis; præterea quia est *vivens compositum* debet connaturaliter mori: etenim operationes vitæ vegetativæ ac sensitivæ sunt operationes *compositi* et *necessariæ* ad hoc ut vivat ac permaneat in essendo compositum. Jamvero ex ipso exercitio continuo illarum operationum et ex influxu agentium extrinsecorum in humanum corpus, efficitur ut paulatim, vel quandoque subito, organa omnino

(1) S. Thomas, in IV, Dist. 43, Q. 1, a. 3, q. 3. De mente S. Thomæ, cf. Ferrariensis, in *Summam contra Gentiles*, L. IV, c. 79; Cellini, *Bibbia e filosofia nel domma catholico della risurrezione dei corpi*, in *Scuola catholica* (Milano) 1910, p. 247, 487, 498, 792.

necessaria ad operationes vitæ materialis necessarias, prorsus inepta fiant ad operandum; quum tunc in materia animæ conjuncta non jam sint dispositiones requisitæ ut hæc materia informetur ab anima, fit dissolutio compositi, seu mors.

Declaratur secunda propositio. Posita morte, *materia prima,* quæ informabatur anima rationali, remanet sub alia vel sub aliis formis substantialibus, ac sic constituit alia composita (1), sed non retinet aliquam positivam ordinationem ad animam qua fuit prius informata.

Anima rationalis, posita morte, permanet in existentia: quia est ens in se subsistens, pergit etiam in operando per intellectum et voluntatem, imo potest, in hoc statu separationis, esse perfecte beata, ut ulterius explicabimus in alia responsione. Licet anima rationalis sit essentialiter forma substantialis compositi humani, tamen, posita *naturali* dissolutione compositi, non habetur in anima humana positiva exigentia ad *secundam* unionem ad materiam: status separationis animæ a materia, post mortem, est status *simpliciter naturalis* (2).

Stat igitur conclusio: resurrectio est positive indebita humanæ naturæ.

2. *Confirmatur* hæc conclusio sequenti consideratione.

Si resurrectio esset naturalis, anima, posita morte, iterum uniretur materiæ primæ et constitueretur novum compositum *naturaliter* dissolubile et quod naturaliter, post aliquod tempus, moreretur: immortalitas enim compositi humani est absque dubio præternaturalis. Post hanc secundam mortem, iterum fieret secunda

(1) Fieri potest ut materia prima informata a tali anima humana, in varia composita transeat et etiam in aliud corpus humanum et in hoc recipiat dispositiones ad hoc ut informetur alia anima humana.

(2) Animadvertamus differentiam inter primam infusionem animæ et secundam unionem ad materiam: inordinata esset creatio animæ rationalis quin hæc infunderetur materiæ, quia ratio cur sit hæc anima est tota in hoc quod informet materiam; sed quia compositum, cujus anima est forma, est de se dissolubile et debet *naturaliter* dissolvi, ideo permanentia animæ, post mortem, in statu separationis est *naturalis*.

resurrectio, et ita porro : consequenter per totam æternitatem haberetur, pro homine omni, successive mors et resurrectio : hic status vicissitudinis ac mutationis nequit componi cum perfecta hominis beatitudine naturali (1).

3. *Confirmatur* thesis auctoritate plerorumque theologorum.

« Ad quæstionem sitne *resurrectio naturæ humanæ debita*, communius theologi respondent *negative;* verum non desunt quibus sententia opposita videtur non improbabilis » (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Da notionem pollutionis, eamque explica.*

R. Obvio, et ni fallimur, genuino intellectu, pollutio est actus illius, viri vel feminæ, qui extra concubitum, eum actum completum ponit qui ex ipsa natura sua petit esse, simul cum actu correspondente alterius sexus, elementum constitutivum copulæ carnalis perfectæ ; seu est actus illius qui extra concubitum, utitur membris genitalibus eo modo quo uti eis deberet unice in copula perfecta. — Aptissima proinde et adæquata est notio quam tradit Ill. et Rev. Waffelaert (3) : « *Usus completus membrorum genitalium extra concubitum* ».

Quæ ut magis pateant, hæc præ oculis habenda : Voluit Deus, in operibus suis mirabilis, in propagatione nobilissimæ creaturæ suæ, quæ homo est, quasi instrumenta sua sibi associare homines ipsos. Quare masculum et feminam creavit eos, voluitque eos, quasi in unam carnem unitos, actum ponere completum et per-

(1) Cf. Cellini, *o. c.*, p. 489.

(2) Hurter, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Œniponte, 1896, t. III, n. 704. Cf. Cellini, *o. c.*, p. 788 ss.

(3) *De Prud., Fortit. et Temperantia*, p. 269.

fectum, de se aptum procreandæ et educandæ proli. — Ad hunc actum, quasi ad finem suum et centrum, convergunt quotquot in re venerea exstant, omniaque, quod moralitatem spectat, ex relatione ad hunc actum perfectum sunt dijudicanda: ut hunc actum ponere possint, vel ut eumdem facilius et perfectius peragere queant, adaptavit Creator singulo sexui sua cuique organa, mutuo sibi correlativa; ut ad hunc actum deducerentur, voluit varios actus imperfectos, circumstantes quasi et prævios, esse delectabiles, voluitque in ipso actu completo, quasi plenam delectationis satietatem attingi; in hoc actu normaliter perfecto, attingit revera tum vir tum femina ultimum terminum activitatis organorum genitalium (1).

Porro, ut diximus, pollutio intelligitur actus illius, viri vel feminæ, qui extra omnem concubitum, istum usum completum membrorum, qui natura sua petit in sola copula procurari, sibi procurat, adeoque ponit actum truncatum essentiali suo et intrinseco ordine ad actum correspondentem alterius sexus.

Ex qua notione apparet, — quod indicasse hic sufficiat —, pollutionem essentialiter distingui

a/ ob omni actu non consummato, seu non perducto ad usum completum usque membrorum; — quo modo in specie distinguitur a distillatione apud virum, et, notione saltem, a sic dicta seminatione feminea (v. resp. seq.);

b/ ob omni usu completo qui habetur in copula carnali de se apta ad generationem, qualis copula legitima matrimonialis, fornicatio, adulterium, stuprum;

---

(1) Dicimus: in hoc actu normaliter perfecto: fieri enim potest feminam in ipsa copula ad ultimum terminum sui actus non pertingere, deesseque ipsi extremam commotionem, effusionem humorum, delectationemque omnem veneream; — quæ omnia ad ipsam *generationem* non requiruntur. — Normali vero cursu naturæ, in copula extremam attingit commotionem, patitur humorum effusionem, delectationemque capit completam.

c/ ob omni usu completo qui habetur in concubitu de se inepto ad generationem, qualis onanismus, sodomia stricte vel late dicta, bestialitas.

Nota. Cum hac *notione* seu definitione pollutionis, quæ, ni fallimur in se continet rationem intrinsecam suæ deordinationis, — confundi nequit id in quo dicta definitio *materialiter verificatur*. Quæri enim potest, utrum pollutio modo definita, revera possibilis sit, et in quonam consistat, tum apud virum, tum apud feminam, normaliter constitutos; item apud personarum quasdam categorias speciales, quales impuberes et senes, castrati viri mulieresque excisæ.

Quid in specie censendum videatur circa pollutionem femineam habes in responso ad qu. seq.

IV

Q. *An datur pollutio feminea, et in quonam consistit?*

R. **Ad 1m, Affirmative.**

Quod probatur (1) a/ ex *auctoritate* communi theologorum, tum veterum tum modernorum, — paucis tantum ex his exceptis. — Omnes enim de pollutione agentes qua peccato consummato luxuriæ, tum *femineam* tum virilem pollutionem subintelligunt; omnes item, actus non consummatos conjugum inter se, ut veniales tantum vel ut nullatenus peccaminosos habentes, ab his actibus non consummatis distinguunt pollutionem, tam *uxoris* quam viri, dicuntque utramque hanc mortalem.

b/ ex *ratione*. — Etenim tum ex dictis physiologiæ, tum ex testimonio feminarum, apparet ipsis possibilem esse, tum intra tum extra concubitum, usum physice completum membrorum genitalium, essentialiter distinctum ab omni usu quem incompletum tantum et inchoatum sibi procurant. De qua re ulterius ad 2m.

Ad 2m. Pollutio feminea consistit in commotione

(1) Cfr. Van Roey, *Quæstio specialis de sexto decalogi præcepto;* (excerpto e periodico *Ephemeris ecclesiastica*, 1906).

organica vehementi extrema, qua habita corpus ipsius quasi satiatur et jam conquiescit, seu in commotione et excitatione ad terminum usque perducta, ita ut plena satiatio habeatur; — quemadmodum in viro pollutio ille est usus membrorum, quo completa satiatio obtineatur ita ut jam ulterius progredi quis non valeat, isque essentialiter distinctus ab omni usu incompleto qualis in simplici excitatione tactu provocata.

Quam extremam commotionem utique comitari solet effusio humorum vulvo-vaginalium eorumque qui a glandulis in collo uteri sitis emittuntur (1), sive extra sive intra corpus muliebre effundantur; ast non videtur hæc secretio constituere ipsum actum consummatum, neque ex facto dari talem secretionem semper concludere licet ad actum consummatum. Etenim hæc effusio locum jam habet, posita vel incompleta excitatione, etsi sane, *completa* commotione habita, *abundantior* effusio occurrat (2). Revera, quod in specie humorem vulvo-vaginalem spectat, utilitatem habet tuendi et conservandi organa genitalia feminæ, nihilque mirum glandulas eum secernere, etiamsi levior tantum excitatio intervenit; unde etiam intelligitur eam effusionem crescere, exorta vehementiore commotione venerea, quum tunc maxime tuendis organis subveniendum sit, sicut, ob similem rationem, major etiam secretio deprehenditur, instante jam partu. Similiter humores qui e matrice manant, emissi a glandulis in collo uteri repertis, officium habent tuendi uterum spasmis contortum. — Ex quibus omnibus apparet secretionem humorum minime constituere *usum completum* membrorum, nec consequenter verificare necessario datam notionem pollutionis (3).

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. Antonelli, *Medicina pastoralis*, (1905), p. 71.

(2) Cfr. Antonelli, p. 61.

(3) Quod decisio ovuli feminei, aut molimina menstrua qua pollutio haberi nequeunt, nimis evidens est, quum talia sine ulla commotione, sine ullo usu aut delectatione membrorum genitalium naturaliter procedant.

V

Q. Le Pape Libère a-t-il adhéré à l'arianisme ? Motivez votre réponse.

Pour répondre à cette question et indiquer en même temps le point de la discussion, nous ne pouvons mieux faire que de répéter ce que Rufin disait à la fin du IVe siècle : « Liberius urbis Romanæ episcopus, Constantio vivente, regressus est ; sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suæ (imperatoris) ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerit exoratus (imperator) indulserit, *pro certo compertum non habeo* » (1).

Nous ne sommes en effet guère plus avancés que du temps de Rufin. Ce n'est pas que la question n'a pas été discutée. Déjà les auteurs contemporains ou quasi-contemporains de Libère étaient divisés : si Rufin hésite, Théodoret, Socrate, Sulpice Sévère mentionnent que Constance céda surtout aux instances des Romains en rendant à Libère sa liberté. D'autre part saint Athanase, saint Hilaire et saint Jérôme attestent formellement la faiblesse du pape : *tædio victus exilii,* il aurait fini par souscrire une formule du parti antinicéen et aurait acheté de la sorte son retour à Rome. Cette dernière opinion prévalut durant tout le moyen-âge ; dans plusieurs martyrologes le nom de l'antipape Félix prit la place de celui de Libère et chaque fois que la question de l'autorité doctrinale du Souverain Pontife était en jeu, la « chute » de Libère, pape hérétique, revint sur le tapis.

Au XVIIIe siècle, le chanoine Corgne de Soissons (2) et le bollandiste Stilting (3) furent les premiers à com-

---

(1) *Hist. Eccl.*, X, 27.

(2) *Dissertation critique et historique sur le pape Libère, dans laquelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé.* Paris 1726.

(3) *Acta SS*, 1757, Sept. t. VI.

battre cette tradition et à innocenter le malheureux pape de toute accusation. Leur opinion prévalut longtemps parmi les catholiques et trouva jusqu'à nos jours de brillants défenseurs; elle ne réunit pas cependant tous les suffrages: quelques-uns maintinrent la tradition de la chute; d'autres plus nombreux adoptèrent à la suite de Héfélé une opinion intermédiaire. Cette opinion en vogue depuis la seconde moitié du siècle passé restreint la faute de Libère à l'adhésion donnée à la 3me formule de Sirmium (358), formule susceptible d'un sens orthodoxe, quoique, vu les circonstances favorisant l'hérésie (1).

Dans ces dernières années, la question a été reprise: de nombreux écrivains ont pris à tâche d'examiner à nouveau les pièces du procès, et certes le problème a fait du progrès, mais il ne semble pas, loin de là, être définitivement résolu (2). Deux opinions surtout sont en présence: la première, défendue surtout par Mgr Duchesne, admet une double défaillance: adhésion en 357, à la 1re formule de Sirmium, en 358, à la troisième; l'opinion adverse, soutenue par les R. P. D. J. Chapman, F. Savio et autres, n'admet aucune concession fâcheuse. Nous indiquerons brièvement les argument invoqués de part et d'autre.

---

(1) Voir bibliographie très abondante dans U. Chevalier, *Répertoire des sources historiques*, 1905, *Bio-Bibliographie*, col. 2831; Héfélé-Leclerq, *Histoire des Conciles*, t. 1, p. 908.

(2) Nouvelle littérature: Saltet, *La formation de la légende des papes Libère et Félix* (Bull. de Littér. eccl. de Toulouse, 1905, 222-236); Turmel, *Le pape Libère* (Rev. cath. des églises, 1906, 593-615); Savio F., S. J., *La Questione di Papa Liberio*, Roma, Pustet, 1907; Saltet, *Les lettres du pape Libère de 357* (Bull. de Litt. eccl. de Toulouse, 1907, 279-289); Duchesne, *Libère et Fortunatien* (Mélanges d'Archéologie et d'Histoire, 1908, 31-78); Hurter, *Zur Liberiusfrage* (Zeitschrift für Kat. Theol., 1908, 413-16); Wilmart A., O. S. B., *La Question du Pape Libère* (Rev. Bénéd. 1908, 360-67); F Savio, *Nuovi studi sulla questione di papa Liberio*, Roma, Pustet 1909; Chapman J., O. S. B., *The contested letters of Pope Liberius* (Rev. Bénéd. 1910, p. 22, 172, 325. F. Savio, *Punti controversi nella questione di Papa Liberio* (Civ. Cat. 1910, p. 158 à suivre. V. aussi Leclerc, *Collat. Nam.* 1909, p. 22 ss.

I. **Opinion de Mgr Duchesne :**

1. La première défaillance, en 357, est attestée par Saint Hilaire (1), ainsi que par Saint Athanase dans son *Apol. c. ar.* 89 et *Hist. ar.* 41 (2). Saint Jérôme dans sa Chronique (vers 380) n'hésite pas à parler de formule souscrite : « *in hæreticam pravitatem subscribens.* » Il en est de même de l'auteur romain de la Préface au *Libellus precum :* « *manus perfidiæ dederat* » (3). Par ce document et par Saint Athanase on voit que la démarche du pape avait eu lieu au commencement de 357, deux ans environ après son départ pour l'exil. Mgr Duchesne invoque ici encore les fameuses lettres de Libère, dont il admet l'authenticité, sous quelques réserves, et qu'il date de 357. Si cette manière de voir est fondée, pas n'est besoin d'autres preuves : le pape lui-même y fait connaître les concessions faites par lui, l'entrée en communion avec les Orientaux et l'approbation donnée à leur formulaire (4).

---

(1) Saint Hilaire dans son ouvrage *Contra Const. XI* s'adressant à l'empereur dit : « Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum ; et o te miserum, qui nescio utrum majore *impietate* relegaveris, quam *remiseris* ». Les derniers mots visent les concessions fâcheuses que l'empereur obtint du pape.

(2) L'*Apologie* fut écrite en 350, mais reçut en 357 l'addition suivante : « Nam etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleravit, attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, *biennio* in exilii loco est commoratus. »

L'*Hist. Arian...* 41, écrite en 357, dit : « (Liberius) extorris factus, post *biennium* denique fractus est minisque mortis perterritus subscripsit ».

(3) Voici ce qu'il rapporte : « Post duos annos venit Romam Constantius ; pro Liberio rogatur a populo ; qui mox annuens ait : « Habetis Liberium qui, qualis a vobis profectus est, melior revertetur. » Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obviam cum gaudio populus romanus exivit. » Donc quand Constance vint à Rome, (c'est-à-dire, d'après *Ammian*, en Mai 357), il savait que Libère avait changé d'attitude.

(4) Les *Fragments historiques* (*P. L.* X, 678), où se trouvent les quatre lettres de Libère, sont les débris d'un ouvrage de Saint Hilaire, que les contemporains nomment : *Liber adversus Valentem et Ursacium, historiam Ariminensis et Seleuciensis Synodi continens.* (St Jérôme. *De Viris.* 100). Quelle que soit la façon dont ces lettres sont entrées dans l'ouvrage de

Mais quelle est la formule à laquelle le pape a souscrit d'après ces lettres et d'après les autres témoignages invoqués? La date de la défaillance ne permet pas de croire que la formule souscrite ait été la formule franchement arienne — 2de *de Sirmium* —; celle-ci ne fut adoptée par le parti arien que durant l'été de 357, alors que Constance avait déjà dès le mois de mai fait connaître à Rome les concessions de Libère. Si l'on s'en rapporte aux souscripteurs mentionnés dans la seconde lettre *(Pro deifico timore)*, il ne peut être question que de la 1re formule de Sirmium, toujours officielle pour le parti arien.

2. Pour les concessions faites en 358, Mgr Duchesne n'a guère que le témoignage de Sozomène (1). D'après cet historien les événements se présentent comme suit.

Pendant que les anoméens et les semi-ariens se chamaillaient (fin 357 — Pâques 358), Libère était resté en Bérée; il n'en fut rappelé et ne vint à Sirmium, résidence impériale, que quand la *3me formule* était déjà reçue. L'empereur avant qu'il n'autorisât le pape à rentrer à Rome, lui demanda de signer la nouvelle formule, (identique au fond à la première déjà signée par lui). Libère y consentit et donna ainsi un important appui à la réaction, de sens orthodoxe, qui se dessinait contre l'intrigue anoméenne; mais afin de confondre les rumeurs défavorables mises en circulation sur son compte, il tint à exprimer, qu'il condamnait quiconque n'admettrait pas que le Fils est semblable au Père en substance et en tout. Ce récit de Sozomène, au dire de

---

Saint Hilaire, Mgr Duchesne soutient leur authenticité; « elles ont toujours pour elles et leur exacte adaptation aux faits connus et l'impossibilité d'en expliquer l'existence, si on les considère comme apocryphes ». Il croit cependant que l'évêque Fortunatien, confident du pape, fut aussi dans la circonstance son secrétaire et que le style des quatres lettres si longtemps suspectes n'est peut-être différent des lettres sûrement authentiques du pape, qu'à cause de cette interposition d'une main étrangère.

(1) *Hist. eccl.*, IV, 15. (*P. G.*, XLVII, 1170).

Mgr Duchesne, s'accorde bien avec les événements antérieurs : Libère, en 358, en signant la formule de Basile d'Ancyre n'a fait que préciser ses concessions de 357.

Il y aurait donc, en somme, sur le compte du pape Libère deux capitulations, lamentables sans doute mais où l'orthodoxie n'est pas en jeu (1).

II. **Opinion de Dom J. Chapman.**

La thèse, que Mgr Duchesne expose avec l'adresse qu'on lui connaît, n'est pas cependant à l'abri de toute critique. La meilleure réponse nous paraît celle du P. Chapman parue dans les dernières livraisons de la *Revue Bénédictine* (2). Le sagace écrivain y examine à fond les 4 lettres attribuées à Libère ; il arrive à la conclusion qu'elles ne sont pas authentiques, et qu'elles furent insérées perfidement dans un opuscule que saint Hilaire composa après le Concile de Rimini, pour défendre Libère et sa façon d'agir envers les évêques faillis. Les faussaires sont des Luciférien, qui avaient tout intérêt à jeter le discrédit sur le nom de Libère (3).

---

(1) Dom Wilmart, qui avait soutenu jusqu'ici l'inauthenticité des 4 lettres (*Rev. Bén.* 1907, p. 149, 179, 291, 317), s'est rallié depuis à l'opinion de Mgr Duchesne (*Rev. Bén.*, 1908, p. 360). Saltet (*Bull. cité* 1909, p. 130) admet la défaillance du pape, mais non l'authenticité des lettres.

(2) Le père Savio *l. c.* soutient la même opinion, mais son étude a été défavorablement jugée. Ses conclusions reposent surtout sur des arguments a priori. Dom. Chapman s'y prend autrement ; il laisse autant que possible la question de Libère hors de la discussion et juge les témoignages invoqués contre le malheureux pape sur d'autres bases.

(3) Dom. Chapman dans les articles cités, analyse phrase par phrase les quatre lettres en tenant compte des variantes fournies par divers manuscrits et en les mettant en rapport avec les événements connus et d'autres documents. Il résulte de son examen : 1/ que ces lettres prêtent à Libère une conduite tout à fait indigne et une bassesse de sentiments que Mgr Duchesne ne semble pas soupçonner, car il s'agit bien d'une adhésion à la 2de formule ; 2/ que ces lettres ne sont heureusement nullement de Libère, mais rien que des parodies des lettres authentiques du pape ; 3° qu'elles ont été forgées et mis sous son nom par ses ennemis : la première « Studens paci » par Fortunatien voulant couvrir sa défaillance au concile de Milan, les trois autres, après le concile de Rimini, par

Ils n'ont pas cependant été les premiers à le faire : les Luciférien n'ont fait que reprendre la calomnie répandue par les ariens lors du retour de Libère en 357. C'est en effet durant l'été 357 *(post biennium)*, qu'il faut placer l'entrée triomphale de Libère à Rome, au moment même où les anoméens tenaient à Sirmium la réunion d'où devait sortir « le blasphème » (1). Or on ne pouvait manquer de faire un rapprochement entre ces deux faits : les romains, il est vrai, connaissaient la promesse faite par l'empereur à leurs instances, mais ailleurs on pouvait trouver étrange le changement de conduite de Constance. Aussi le bruit, qu'au dire de Sozomène, Aetius et ses partisans répandaient en Orient, comme quoi Libère avait adhéré à leur formule et à leur parti, parut vraisemblable et trouva vite écho (2). Saint Hilaire en exil, et Saint Athanase s'y laissèrent prendre (3), tandis que l'historien sémi-arien

---

les Luciférien en brouille avec le pape, parce qu'il voulait réadmettre dans sa communion, sous la seule condition d'abjuration, les évêques faillis à Rimini.

(1) Dom Chapman (*o. c.*, p. 178) refute brièvement ce qu'il appelle la « three years theorie » : Sozomène est un témoignage en faveur de cette théorie ; mais il ne mérite pas confiance, il imite ici, comme nous le disons plus loin, Sabinus, qui pour en faire une histoire sémi-arienne, transfère le retour du pape après la 3me formule. Le *tertio anno* du *Libellus Precum* (v. p., note) ne doit pas signifier « après trois années » ; mais dans la troisième année. Mieux vaut s'en tenir au *biennium exilii* de Saint Athanase.

(2) L'historien arien Philostorgue (*H. E.* II, 12) dit clairement que Libère a souscrit la 2de formule.

(3) D'après Dom Chapman, saint Hilaire aurait si bien reconnu son erreur, qu'il a pris la plume pour défendre le pape contre les calomnies ariennes notamment dans son ouvrage : *adversus Valentem et Ursacium*. Quant à saint Athanase, il faut remarquer ses paroles, il ne connaît aucun détail, ne parle pas d'adhésion à une doctrine mais de sa propre condamnation que le pape aurait signée ; c'est à peine qu'il en sait quelque chose et il n'ose pas trop charger son ancien ami. D'ailleurs Socrate et Theodoret, qui certainement ont fait usage des ouvrages de Saint Athanase, ne font pas mention de la chute qui y est relatée ; n'en pouvons nous pas conclure qu'Athanase dans un écrit postérieur, perdu pour nous, a corrigé son erreur ?

Sabinus (que Sozomène transcrit en ce point) adapta le récit à ses vues : d'après lui le pape n'avait pas souscrit le « blasphème » mais bien la formule de Basile d'Ancyre et il transporte toute l'histoire en 358 (1). Quant au témoignage de Saint Jérôme, il n'a pas plus d'autorité que les fausses lettres sur lequel il se base. L'auteur de la Préface du *Libellus precum* (qui écrivit vers 384-385) n'est pas mieux renseigné, il commet plusieurs erreurs et s'il admet si facilement la chute de Libère c'est qu'il est ursinien et allié au parti des pires ennemis du pape, les luciférien (2). Il ne resterait donc au fond que la calomnie arienne.

Et qu'on ne dise pas : sans admettre la « chute » de Libère, on ne s'explique pas le changement de Constance ! N'a-t-on pas bien plus de peine à expliquer le changement chez Libère, qui avait pris si courageusement la défense de l'orthodoxie ? Comprend-on, dans l'hypothèse de la chute, la conduite postérieure du pape ? Il aurait été bien mal venu d'exiger amende honorable de la part des évêques faillis à Rimini, si lui-même avait souscrit une formule identique ou pire peut-être ! Bien plus, comprend-on, toujours dans l'hypothèse de la chute, qu'il y ait eu le moindre doute à ce sujet parmi les contemporains ? Mais si Libère avait failli, Constance eût été le premier à le proclamer sur

(1) Socrate dans son *H. E.* atteste à différentes reprises cette façon d'agir de Sabinus. Quant à la dépendance de Sozomène elle est assez universellement admise. Cfr. P. Batiifol, *Sozomène et Sabinos*, Byzant. Zeitschrift, t. VII, p. 265.

(2) Après la mort de Libère en 366, les partisans de l'antipape Félix (mort en 365), opposèrent au nouveau pape Damase, le diacre Ursinus ; cet événement fut suivi d'une véritable guerre civile ; Ursinus dut être expulsé, mais il conserva longtemps encore des partisans. La *Préface*, dont il est question ici, écrite vers 384, est certainement ursinienne : tout ce qui est favorable au parti y est relaté, le reste est passé sous silence ou dénaturé. Il est encore à remarquer que ce document, dont Mgr Duchesne fait tant de cas, n'est qu'une préface à un écrit lucifèrien, dans lequel les prêtres Marcellinus et Faustus demandent la protection de l'empereur.

tous les toits, tout l'Orient aurait jubilé, tandisque d'autre part non-seulement les romains, mais toute l'Italie, tout l'Occident encore orthodoxe se serait élevé contre lui. Or rien d'un mouvement pareil, sauf quelques rumeurs d'origine plus que suspecte et quelques faux, dont l'existence prouve en faveur de Libère. Il ne manque pas non plus d'arguments positifs : Hilaire prend la défense du pape, Rufin doute, Saint Ambroise exalte sa sainteté, les papes Siricius et Anastase célèbrent sa mémoire. Au Ve siècle les historiens, tant en Orient qu'en Occident, ne reproduisent plus la version de la chute et corrigent même les écrivains à ce sujet.

Il faut avouer que l'opinion de Dom J. Chapman ne manque pas de force. A-t-elle résolu définitivement le problème? Nous n'oserions le dire; mieux vaut, à notre avis, attendre la réponse de Mgr Duchesne, avant de prendre position.

Remarquons pour finir que la question de l'infaillibilité pontificale n'est nullement en jeu dans le cas de Libère. Qu'il nous suffise à ce propos de rappeler la thèse du P. Ballerini : Liberii lapsus non certus, nec si certus voluntarius, nec in definitione fidei.

R. Deschepper.

VI

Q. *Interprétez l'article 15 du décret du 23 prairial an XII* (1).

R. Les juristes sont à peu près (2) d'accord, lorsqu'il

(1) On trouvera les arguments de doctrine et les documents de jurisprudence, relatifs à cette question dans: H. Ashman *La question des cimetières*, dans la *Revue Générale*, 1886, II, p. 801 ss.; J. Van den Heuvel. *Les évolutions de la jurisprudence dans la question des cimetières*, dans le même recueil, 1887, I, p. 481 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 819 ss., et 840; *Collat. Brug.*, I, 608 ss.; VIII, 387 ss.; *Revue cath. de droit*, 1902-1903, t. V, p. 289 ss.; 1907-1908, t. X, p. 121 ss.; 1908-1909, t. XI, p. 132-150; *Collat. Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 11 ss.; 1908-1909, t. VIII, p. 126-134; *Collat. Tornacen.* 1909, n° 465, p. 247.

(2) Voir cependant P. Errera. *Traité de droit public belge*, p. 590.

s'agit d'interpréter littéralement le texte de cette disposition : là, où il existe plusieurs cultes (1), chacun doit avoir son lieu d'inhumation particulier ou une partie distincte du cimetière commun, exclusivement destinée aux sectateurs de ce culte. Mais, l'école libérale et catholique se trouvent violemment aux prises, quand il s'agit de fixer les principes qui ont guidé le législateur dans la confection de cet article, et de déterminer les applications qu'on en peut faire aux cas, où, en dehors du ou des cultes professés, il existe dans la commune des incroyants ou des individus appartenant à des confessions numériquement trop faibles pour prétendre à un lieu d'inhumation particulier. Faut-il établir pour ces dissidents une division ultérieure du cimetière, et, concrètement, dans nos communes où seul le culte catholique est professé, peut-on distraire du cimetière bénit réservé aux catholiques, un compartiment non bénit, qui servirait de lieu de sépulture à ceux qui décèdent en dehors de la communion de l'Église ?

L'école libérale répond presque unanimement (2) par la négative. Le caractère laïque du service public des inhumations s'oppose à ce que l'exception statuée par l'article 15 soit étendue au delà des limites fixées par l'acception littérale des mots. Cette division des cimetières par cultes n'est pas une reconnaissance de la confessionnalité des cimetières, mais une simple mesure de police, destinée à prévenir le concours de cérémonies cultuelles différentes. Conséquemment on peut conclure *a contrario* que dans les communes où il

---

Paris, 1909, où il est dit que la division par cultes, même dans les cas prévus par l'art. 15, a pu être considéré comme contraire à la constitution belge, en ce qu'elle ne respecte pas la liberté de penser.

(1) Il s'agit de cultes professés d'une façon plus ou moins durable, par des groupes plus ou moins nombreux d'individus. D'autres exigent que ces religions aient leur temple et jouissent d'une organisation légale.

(2) Certains juristes libéraux font exception V. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 821, p. 148.

n'existe qu'un culte, comme dans toute hypothèse non envisagée par l'article 15, toute division du cimetière est prohibée (1).

L'école catholique soutient que cette disposition est, en ordre principal, la consécration du principe de la confessionnalité des cimetières et de la liberté des cultes. A côté du droit reconnu à tous les citoyens, sans distinction de croyances et d'opinions, d'être enterrés dans les lieux publics d'inhumation, existe le droit des religions d'avoir chacune leur cimetière particulier, régi conformément à leurs lois et à leur discipline. Conséquemment il faut, dans l'hypothèse d'un culte unique, que le cimetière soit confessionnel et qu'un endroit séparé soit réservé aux dissidents.

Cela résulte du texte de l'article 15, interprété d'après les travaux préparatoires et conformément à l'application qui en a été faite.

1. *Le texte de l'article 15* n'est certainement pas contraire à cette interprétation. Cette disposition, entièrement impérative, ordonne la division par cultes, dans les communes où l'on en professe plusieurs; mais elle ne défend pas d'établir des divisions du cimetière, là où un seul culte est professé. De même, dans les

---

(1) Voici comment M. Janssens, le procureur général à la Cour de Cassation résume le point de vue libéral, dans son discours prononcé à l'audience solennelle de rentrée, le 1er oct. 1908: « Par votre arrêt du 18 novembre 1907, vous avez eu à rappeler à nouveau le principe si nettement consacré par votre jurisprudence dans la question des cimetières: liberté de conscience, indépendance du pouvoir civil. L'application en toutes matières de la solution donnée à ces grandes questions s'impose dans l'organisation sociale moderne, et l'Église elle-même a dû le reconnaître en admettant dans toutes les grandes communes que la bénédiction peut être donnée séparément à chaque tombe. Elle a dû admettre ainsi que le cimetière soumis à la seule autorité civile ne peut plus comporter de divisions soit à raison des opinions philosophiques des citoyens, soit à raison de toutes autres circonstances, comme le suicide ou le duel, qu'elle réprouve, et avec raison, mais qu'elle n'a pas le droit de punir, ni surtout de punir de peines qui frappent d'opprobre la famille du malheureux qu'elle prétend exclure du cimetière commun ».

localités, où le cimetière est fractionné en autant de parties qu'il y a de cultes professés, la loi ne défend pas un fractionnement ultérieur pour ceux qui n'appartiennent pas à ces cultes. Bien plus, elle suppose ce fractionnement, puisqu'elle ordonne de proportionner l'espace occupé par chaque partie de cimetière au nombre d'habitants de chaque culte. Où donc, dès lors, entend-elle que soient enterrés les dissidents ou ceux qui se rattachent à des confessions numériquement trop faibles pour prétendre à un emplacement particulier (1).

2. Au reste, à défaut de solution expresse, *les travaux préparatoires* prouvent que le législateur a entendu respecter les droits des différents cultes et proscrire les cimetières promiscus.

La disposition qui forme actuellement l'article 15 du décret de prairial fut l'objet de vives discussions au sein du Conseil d'État, qui amenèrent le rejet de plusieurs propositions.

« D'après le *premier* projet ; « les lieux consacrés aux inhumations seront bénits par les ministres du culte ». C'était consacrer entièrement la législation ecclésiastique, mais c'était aussi faire abstraction des autres cultes. — De là la section de législation proposa un *second* projet, d'après lequel les cimetières ne pouvaient être attribués à l'usage exclusif d'aucun culte, ni, par conséquent, être bénits d'une façon générale ; seulement les ministres du culte étaient autorisés à bénir la fosse à chaque inhumation. Cette disposition, déclara le conseiller de Ségur, respecte également les droits des catholiques et ceux des autres cultes. — Mais le Conseil d'État se rendit immédiatement compte qu'un décret semblable portait directement atteinte à la discipline ecclésiastique qui exige un cimetière bénit. De longues discussions eurent lieu, et enfin on rédigea un *troisième* projet qui devint l'art. 15 actuel. Pour donner satisfaction aux religions

(1) Voir De Brabandere-Van Coillie, n° 819.

dissidentes, on consacra la division du cimetière commun là où existent différents cultes ; en même temps on supprima la disposition du second projet qui interdisait la bénédiction générale du cimetière. Que signifie cette suppression, sinon que l'Église a le droit d'avoir un cimetière bénit conformément à sa discipline, aussi bien dans les endroits où il y a plusieurs cultes que dans ceux ou il n'y en a qu'un » (1).

3. *L'application et l'interprétation* que reçut le décret de prairial confirment cette solution.

Le pouvoir civil, qui, après la Révolution, s'arrogeait une véritable juridiction sur le culte et la discipline ecclésiastique, intervint plusieurs fois dans différentes difficultés que soulevait l'application du décret de prairial. Or, dans la correspondance qui se fit à cette occasion, le gouvernement reconnut explicitement que la sépulture ecclésiastique peut et doit être refusée à ceux qui professent notoirement un culte dissident, ainsi qu'à ceux qui sont notoirement séparés de la communion de l'Église, en vertu d'une sentence canonique. Si cette règle souffre quelques difficultés dans son application, c'est qu'on ne s'entend pas toujours en fait sur la condition des personnes au point de vue du culte (2).

Disons encore que Bigot de Préameneu dans son rapport sur l'organisation des fabriques, adressé en 1809 à Napoléon, reconnait explicitement le caractère religieux et confessionnel attribué aux cimetières par le décret de prairial (3).

Néanmoins la jurisprudence de notre Cour suprême reste toujours acquise à la thèse libérale. Toutefois

---

(1) *Collat. Namurcen.* 1905-1906, t. V, p. 15 s., d'après l'étude remarquable de M. Ashman, *l. c.*, sur les travaux préparatoires du décret de prairial, et l'Ordonnance du tribunal de Bruges du 12 juin 1901 dans les *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 387 ss.

(2) *Collat. Namurcen.*, *l. c.*, p. 16 ss.; Ashman, *l. c.*, p. 821 ss.

(3) *Mémorial belge*, t. XV, p. 268; *Collat. Namurcen.*, 1904-1905, t. IV, p. 198 ss.; Ordonnance citée de Bruges, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 394.

depuis une dizaine d'années les Cours et Tribunaux semblent revenir aux principes plus justes de la théorie catholique (1).

A. De Meester.

(1) Voir *Collat. Brug.*, I, 609 ss., De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, p. 149. Citons les deux derniers arrêts: Cour de Liége, 3 juillet 1907 et Cassation 18 novembre 1907, *Pas.* 1908, II, 173 ss.; I, 40 ss.; *Rev. cath. de droit*, 1907-1908, t. X, p. 120 ss. et 137 s.; 1908-1909, t. XI, p. 132-150; *Collat. Namurcen.*, 1908-1909, t. VIII, p. 126-134.

PII PP. X

MOTU PROPRIO

QUO QUÆDAM STATUUNTUR LEGES AD MODERNISMI PERICULUM PROPULSANDUM.

Ob modernistarum continua studia audaciamque

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis* (1), consilia pacis in Ecclesia turbandæ non abjecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum fœdus ascire socios, cum iisque in christianæ reipublicæ venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Hæc audaciæ maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, ejus moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinæ speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Pius X opportunum duxit ex encyclica *Pascendi* quædam repetere remedia contra modernismum adhibenda.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde lætiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicæ fidei defensione laborare, summâque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cujus principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos*. Hac nempe de causa, hoc est, ut in præsenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et præscripta referre hisce verbis expressa:

« Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilan-
» tiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel

(1) Dat. d. VIII septembr. MCMVII. (Ap. *Collat. Brug.* XII, p. 598 et 661.)

» minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et ex-
» pectamus, idipsum et petimus æque et expectamus a
» ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris
» sacræ juventutis, imprimis autem a summis religiosarum
» familiarum magistris.

1/ *Studiorum sacrorum* fundamentum ponatur philosophia scholastica,

» I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus
» ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamen-
» tum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel*
» *nimia subtilitate quæsitum, vel parum considerate traditum*; *si*
» *quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens, vel*
» *denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est*
» *ætati nostræ ad imitandum proponi* (1). Quod rei caput est,
» philosophiam scholasticam quum sequendam præscribi-
» mus, eam præcipue intelligimus quæ a sancto Thoma
» Aquinate est tradita : de qua quidquid a Decessore Nostro
» sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus
» instauramus et confirmamus, stricteque ab universis ser-
» vari jubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis
» neglecta hæc fuerint, ea ut in posterum custodiantur
» urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum mo-
» deratoribus præcipimus. Magistros autem monemus ut
» rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, præsertim
» in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus*
» *error in principio*, sic verbis ipsis Aquinatis licet uti, *est*
» *magnus in fine* (2).

præcipue S. Thomæ, ut sancivit Leo XIII.

Strenue promoveatur studium theologiæ, præcipue sane scholasticæ

» Hoc ita posito philosophiæ fundamento, theologicum
» ædificium extruatur diligentissime. — Theologiæ studium,
» Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut
» clerici e seminariis egredientes præclara illius existimatione
» magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis
» habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quæ*
» *menti veritatis cupidæ objicitur, neminem latet saeram Theologiam*
» *ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit,*
» *ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac*
» *velut ancillarum more famulentur* (3). — Addimus heic, eos
» etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia

---

(1) Leo XIII, Encycl. « *Æterni Patris* ».
(2) *De Ente et Essentia*, proëm.
(3) Leo XIII, Litt. ap., X dec. MDCCCLXXXIX.

» erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium,
» sapienti judicio catholicisque usi normis (quod non æque
» omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab his-
» toria lumine, collustrare studeant. Major profecto quam
» antehac positivæ theologiæ ratio est habenda : id tamen
» sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique repre-
» hendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicum-
» que positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam
» despicere videantur.

sed et positivæ,

» De profanis vero disciplinis satis est revocare quæ De-
» cessor Noster sapientissime dixit : *In rerum etiam natu alium*
» *consideratione strenue adlaboretis : quo in genere nostrorum tem-*
» *porum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut jure admirantur*
» *æquales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt* (1).
» Id tamen nullo sacrorum studiorum damno ; quod idem
» Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit ; *Quorum*
» *causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum*
» *sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus quanto rerum*
» *naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores*
» *altioresque disciplinæ deflorueriut : quædam enim fere in oblivione*
» *hominum conticescunt ; quædam remisse leviterque tractantur, et*
» *quod indignius est, splendore pristinæ dignitatis deleto, pravitate*
» *sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur* (2). Ad
» hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris
» seminariis temperari volumus.

necnon rerum naturalium

sed sine sacrorum studiorum damno.

» II. His omnibus præceptionibus tum Nostris tum Deces-
» soris Nostri oculos adjici oportet, quum de Seminariorum
» vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris
» eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam mo-
» dernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cujusvis res-
» pectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur ;
» eo si jam funguntur, removeantur : item qui modernismo
» clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque
» culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magis-
» terium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticæ potestati,

2/ *A regendi aut docendi munere* in Seminariis vel Universitatibus arceantur qui modernismo favent.

(1) Alloc., « *Pergratus Nobis* » ad scientiar. cultores, VII martii MDCCCLXXX.

(2) Alloc., ut supra

» in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: » item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova » student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas » anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles » Fratres, præsertim in magistrorum delectu, nimia nun- » quam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim » exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii » conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

nec ipsi sacris initientur.

» Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deli- » gendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a » sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces » animos odit Deus! — Theologiæ laurea nullus in posterum » donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia » antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus » esto. — Quæ de celebrandis Universitatibus Sacrum Con- » silium Episcoporum et Religiosorum negotiis præpositum » clericis Italiæ tum sæcularibus tum regularibus præcepit » anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac perti- » nere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicæ » cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen » dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, » in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in » posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui hujusmodi » Universitatibus vel Institutis moderandis præsunt, curent » diligentissime ut quæ hactenus imperavimus, ea constanter » serventur.

Peculiaria statuta de studiis in Universitatibus.

3/ *Prohibeantur scripta* modernistarum,

nec alumnis Seminariorum aut Universitatum permittantur,

etsi a catholicis conscripta sint.

» III. Episcoporum pariter officium est modernistarum » scripta quæve modernismum olent provehuntque, si in » lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne » edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, » commentaria quævis hujus generis neve adolescentibus in » seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittan- » tur: non enim minus hæc nocitura, quam quæ contra » mores conscripta; immo etiam magis, quod christianæ » vitæ initia vitiant. — Nec secus judicandum est de quo- » rumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui » non malæ mentis, sed qui theologicæ disciplinæ expertes » ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere » nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hæ,

» quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque
» existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad moder-
» nismum quis vergat.

Hujusmodi libros prohibere debent Episcopi in sua diœcesi,

» Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi
» præcipiamus, quicumque in vestra uniuscujusque diœcesi
» prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter
» contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim
» Apostolica Sedes ad hujusmodi scripta e medio tollenda
» omnem operam impendat; adeo tamen jam numero cre-
» vere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit,
» ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores
» moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum
» Antistites, omni metu abjecto, prudentia carnis deposita,
» malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed con-
» stanter suas quisque partes suscipiant; memores quæ
» Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac mune-*
» *rum* (1) præscribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati*
» *Sedis Apostolicæ, libros aliaque scripta noxia in sua diœcesi edita*
» *vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Jus
» quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur.
» Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si
» unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene
» multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem
» vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicujus
» auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprima-*
» *tur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel
» benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta,
» quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando
» evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit
» cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes
» in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Epis-
» copus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum
» aliquem in sua diœcesi notandum censuerit, potestatem
» ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique
» decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum
» coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum
» officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi.
» — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne,

etiamsi forte donati fuerint facultate *Imprimatur!*

(1) XXV jan. MDCCCXCVII.

Curent ne librarii hæc scripta divendant, laudent.

» lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe » in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec » parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam, de- » trectent, Episcopi, monitione præmissa, bibliopolarum » catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque » jure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo » ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Uni- » versis demum in memoriam revocamus, quæ memorata » apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo XXVI: » *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et reti-* » *nendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros* » *quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi* » *eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac* » *retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

4/ Pro *edendis libris* censores ex officio institui debent in singula diœcesi,

» IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem » impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi » oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa » impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex » Constitutione *Officiorum,* quæ Ordinarii permissionem ut » edantur postulent, nec ipse per se Episcopus præcogno- » scere universa potest; in quibusdam diœcesibus ad cogni- » tionem faciendam censores ex officio sufficienti numero » destinantur. Hujusmodi censorum institutum laudamus » quam maxime; illudque ut ad omnes diœceses propagetur » non hortamur modo sed omnino præscribimus. In uni- » versis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, » qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligan- » tur, ætate, eruditione, prudentia commendati, quique in » doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere » eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quæ ex arti- » culis XLI et XLII memoratæ Constitutionis prævio sub- » sunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si » faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum » *Imprimatur,* cui tamen proponetur formula *Nihil obstat,* » adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus » ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. » Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, » tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, » Magister sacri Palatii apostolici designabit. Hujus erit ad

et in Curia Romana.

» scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis
» facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali
» Vicario Pontificis vel Antistite ejus vices gerente, præ-
» missa, prout supra diximus, approbationis formula adjec-
» toque nomine censoris. — Extraordinariis tantum in ad-
» junctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio,
» censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris
» nomen patebit nunquam, antequam hic faventem senten-
» tiam ediderit; ne quid molestiæ censori exhibeatur vel
» dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. —
» Censores e religiosorum familiis numquam eligantur, nisi
» prius moderatoris provinciæ secreto sententia audiatur: is
» autem de eligendi moribus, scientia et doctrinæ integritate
» pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum mode-
» ratores de gravissimo officio monemus numquam sinendi
» aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et
» Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus
» et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil
» valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas ejus-
» dem opiniones firmandas.

De his specialia statuuntur.

» His universe dictis, nominatim servari diligentius præ-
» cipimus, quæ articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in
» hæc verba edicuntur: *Viri e clero sæculari prohibentur quomi-*
» *nus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica*
» *moderanda suscipiant.* Qua si qui venia perniciose utantur, eâ,
» moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet,
» qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt,
» quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel com-
» mentariis scripta edere modernismi labe infacta; videant
» Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur,
» datamque potestatem, si oportet retractent. Idipsum ut
» religiosorum moderatores præstent gravissime admone-
» mus: qui si negligentius agant. Ordinarii auctoritate
» Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et com-
» mentaria, quæ a catholicis scribuntur, quoad fieri possit,
» censorem designatum habeant. Hujus officium erit folia
» singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque
» perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id in sequenti
» folio vel libello corrigendum injungat. Eadem porro Epi-
» scopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

Quid præstandum sit sacerdotibus periodicorum moderatoribus,

collaboratoribus,

et censoribus.

5/ *Congressus sacerdotum* ne permittant Episcopi, nisi rarissime et sub certis conditionibus.

» V. Congressus publicosque cœtus jam supra memora-
» vimus, utpote in quibus suas modernistæ opiniones tueri
» palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus
» Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime.
» Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum
» tractatio quæ ad Episcopos Sedemve Apostolicam perti-
» nent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacræ
» potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernis-
» mum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum,
» de eo penitus sermo conticescat. — Cœtibus ejusmodi,
» quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti
» oportet, nullus ex alia diœcesi sacerdos intersit, nisi litteris
» sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdo-
» tibus animo ne excidant, quæ Leo XIII gravissime com-
» mendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum aucto-*
» *ritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio*
» *Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque*
» *honestum futurum* (1).

6/ *Consilium vigilantiæ* in singulis diœcesibus instituatur,

» VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid juverit jussa a
» Nobis præceptionesque dari, si non hæc rite constanterque
» serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad
» universas diœceses proferre, quod Umbrorum Episcopi (2),
» ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt.
» *Ad errores*, sic illi, *jam diffusos expellendos atque ad impediendum*
» *quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri*
» *per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione*
» *manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromæi vestigiis in-*
» *hærens, institui in unaquaque diœcesi decernit probatorum utriusque*
» *cleri consilium, cujus sit pervigilare an et quibus artibus novi*
» *errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere,*
» *ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio*
» *extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffun-*
» *datur, vel quod pejus est in dies confirmetur et crescat.* — Tale
» igitur consilium, quod *a vigilantia* dici placet, in singulis
» diœcesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in

---

(1) Litt. Encycl. « *Nobilissima* », VII febr. MDCCCLXXXIV.

(2) Act. Concess. Epp. Umbriæ, novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6.

» illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra
» de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque
» die cum Episcopo convenient: quæ tractarint decreverint,
» ea arcani lege custodiunto. Officii munere hæc sibi deman-
» data habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris
» quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri
» juventæque incolumitate, prudenter sed prompte et effica-
» citer præscribant. — Vocum novitatem caveant, memine-
» rintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum*
» *scriptis eam dicendi rationem quæ, pravæ novitati studens, pietatem*
» *fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianæ vitæ ordi-*
» *nem, novas Ecclesiæ præceptiones, nova moderni animi desideria,*
» *novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem,*
» *aliaque id genus multa* (1). Hæc in libris prælectionibusque
» ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piæ
» cujusque loci traditiones aut sacræ Reliquiæ tractantur.
» Neu sinant ejusmodi quæstiones agitari in ephemeridibus
» vel in commentariis fovendæ pietati destinatis, nec verbis
» ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus
» sententiis, præsertim, ut fere accidit, si quæ affirmantur
» probabilitatis fines non excedunt vel præjudicatis nituntur
» opinionibus. — De sacris Reliquiis hæc teneantur. Si
» Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reli-
» quiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si
» Reliquiæ cujuspiam auctoritates, ob civiles forte pertur-
» bationes vel alio quovis casu, interierunt; ne publice ea
» proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Præscriptionis
» argumentum vel fundatæ præsumptionis tunc tantum
» valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro
» decreto, anno MDCCCXCVI a sacro Consilio indulgentiis
» sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur:
» *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua*
» *hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta*
» *eas falsas vel suppositiias esse.* — Quum autem de piis tradi-
» tionibus judicium fuerit, illud meminisse oportet: Eccle-
» siam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones ejusmodi
» ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita
» præmissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod

cujus munus sit: modernismi indicia pervestigare,

novitates pravas arcere,

invigilare quæstionibus de sacris Reliquiis

et de piis traditionibus,

(1) Instruct. S. C. NN. EE. EE., XXVII jan. MCMII.

» etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi » humana ad credendum argumenta desint, credi modo non » prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus » tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: *Ejusmodi appari-* » *tiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apo-* » *stolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas* » *fide solum humana, juxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam* » *testimoniis ac monumentis confirmatam* (1). Hoc qui teneat, » metu omni vacabit. Nam Apparitionis cujusvis religio, » prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem » semper habet implicitam de veritate facti: prout vero » *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in per- » personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de » Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio vigilan- » tiæ demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad » scripta quævis de re sociali assidue ac diligenter adjiciant » oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romano- » rum Pontificum præceptionibus respondeant.

attendere scriptis de re sociali.

7/ *Relatio* de his ab Episcopis Romam mittenda singulo triennio.

» VII. Hæc quæ præcepimus ne forte oblivioni dentur, » volumus et mandamus ut singularum diœcesum Episcopi, » anno exacto ab editione præsentium litterarum, postea » vero tertio quoque anno, diligenti ac jurata enarratione » referant ad Sedem Apostolicam de his quæ hac Nostra » Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quæ in clero » vigent, præsertim autem in Seminariis ceterisque catholicis » Institutis, iis non exceptis quæ Ordinarii auctoritati non » subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum » religiosorum pro suis alumnis injungimus ».

Hæc confirmantur.

His, quæ plane confirmamus omnia sub pœna temeratæ conscientiæ adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quædam adjicimus, quæ ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, ejusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utrâque re

Peculiaria adjiciuntur de institutione tironum in Seminariis et religiosis domibus.

(1) Decr. II maii MDCCCLXXVII.

institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palæstræ ad sacram Christi militiam diuturna præparatione figendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duæ res necessariæ, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum juventus iis artibus apprime erudiatur quæ cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiæque præstantiam. Videant ergo moderatores disciplinæ ac pietatis, quam de se quisque spem injiciant alumni, introspiciantque singulorum quæ sit indoles; utrum suo ingenio plus æque indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinæ retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitæ sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causâ, non conscientiæ voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticæ disciplinæ contemptorem a publicis Ecclesiæ legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque præmonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

In Seminariis institutio tota conspiret ut formetur dignus sacerdos qui nempe *doctrina* polleat simul et *virtute*.

Moderatores ergo scrutentur singulorum dotes et dispositiones

et disciplinæ domesticæ contemptores pervicaces expellant.

Duo igitur hæc ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitæ cum doctrinæ sanitate conjuncta: Neve illud prætereat, præcepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Providendum, ut cælestis sapientia, probi mores et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendet.... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis totius forma justitiæ ».

Requiruntur juxta Pontificale simul et innocentia vitæ et doctrinæ sanitas;

Ac de vitæ quidem probitate satis dictum esset, si hæc a

et hæc altera a priori disjungi non potest.

doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio sejungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir* (1); utque docet Apostolus: Qui... *non permanet in doctrina Christi, Deum non habet* (2).

Rebus multis et variis addiscendis studere exigit ætatis nostræ conditio;

Quantum operæ vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa hujus ætatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (3); si opes ingenii in Ecclesiæ utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinæ proprius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam sæpe dolis consutam adjungunt, quorum speciosæ vibrantesque sententiæ magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinæ seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

sed temperandus est discendi ardor

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (4). Quare, quum clericis multa jam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quæ pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quæ ad historiam Ecclesiæ, ad jus canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne juvenes aliis quæstionibus consectandis tempus terant et a studio præcipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quævis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

et ne a studio præcipuo distrahantur juvenes, prohibentur diaria et commentaria.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferen-

---

(1) *Prov.* XII, 8.
(2) II Joan. 9.
(3) *Tit.* I, 9.
(4) *Rom.* XII, 3.

tis modernismi, non solum omnino servari volumus quæ sub numero secundo superius præscripta sunt, sed præterea præcipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno prælectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quæstiones, sive *theses;* deinde ut per annum ipsum exploretur sua cujusque magisterii ratio; quæ si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, præter fidei professionem, jusjurandum det Antistiti suo, secundum adjectam infra formulam, et subscripto nomine.

Quomodo Episcopus certior fieri debeat de doctrina a doctoribus tradenda deque magisterii ratione.

Professores dent Episcopo subjectum jusjurandum,

Jusjurandum hoc, præmissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio VI præscriptam, cum adjectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt:

quod pariter Antistiti dabunt alii plures designati.

I. Clerici majoribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulæ edendi jurisjurandi ut eas accurate prænoscant, adjecta violati jurisjurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et judicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimæ tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Præfecto vel Secretario ejusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique jurisjurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quæque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, jusjurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

Jurisjurandi Formula.

Jurisjurandi formulæ pars prior, astruens:

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quæ ab inerranti Ecclesiæ magisterio definita, adscita ac declarata sunt, præsertim ea doctrinæ capita, quæ hujus temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortæ christianæ Religionis, eademque teneo ætatum omnium atque hominum, etiam hujus temporis, intelligentiæ esse maxime accommodata. Tertio: firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicæ hierarchiæ principem ejusque in ævum successores ædificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus rejicio hæreticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsæ tradito ab Eâque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanæ conscientiæ, hominum conatu sensim efformatæ et in posterum indefinito progressu perficiendæ. Quinto; certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse cœcum sensum religionis e latebris *subconscientiæ* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatæ, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptæ ex auditu, quo nempe, quæ a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Dei cognoscibilitatem;

apologeticam historicam;

Ecclesiæ institutionem divinam et hierarchiam;

fidei doctrinam immutatam transmissam;

veram fidei naturam.

Pars altera rejiciens er-

« Me etiam, qua par est, reverentia, subjicio totoque animo adhæreo damnationibus, declarationibus, præscriptis omnibus, quæ in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto

« *Lamentabili* » continentur, præsertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiæ repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianæ religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac rejicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem erudiliorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quæ credentis fidei contradicant, aut præmissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo hæc directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturæ Sanctæ dijudicandæ atque interpretandæ rationem, quæ, Ecclesiæ traditione, analogia Fidei, et Apostolicæ Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhæret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam præterea illorum rejicio qui tenent, doctori disciplinæ historicæ theologicæ tradendæ, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicæ traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscujusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiæ principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eâque judicii libertate, qua profana quævis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistæ* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil jam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo ejusque apostolis inchoatam per subsequentes ætates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitæ spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* (1); non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cujusque ætatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter*

rores damnatos in *Pascendi* et *Lamentabili*;
in specie de repugnantia dogmata inter et historiam;
de dualitate personæ credentis et historici;
de S. Scripturæ interpretatione rationalistica;
de methodo theologico-historica quæ contemnit principia catholica prærequisita;
de natura mere humana traditionis sacræ.

(1) Iren., 4, c. 26.

intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos prædicata (1).

« Hæc omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic juro, sic me Deus etc. ».

De Sacra Prædicatione.

Quum ex oratorum jactantia non pares prædicationi respondeant fructus, Episcopis commendatur documentum a Leone XIII editum.

Quandoquidem præterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiæ, quam oratorum jactantiæ tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, jussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis Julii anno MDCCCXCIV et ad Ordinarios Italiæ atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1/ Ne prædicandi munus committatur iis quibus desit aut pietas

1° « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium ejus Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istæ enim si in catholicæ doctrinæ præconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto præstabunt quam *æs sonans, aut cymbalum tinniens* (2): neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicæ prædicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinæ gloriæ æternæque animorum salutis. Quæ quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitæ eorumdem ratione: ne sermone celebratis præceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod ædificant verbo. Ne quid præterea profani pietas ejusmodi redoleat:

quæ in externa vitæ ratione eluceat

(1) *Præscr.* c. 28.
(2) I *Cor.* XIII, 1.

verum ea sit prædita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et prædicator malus, ipse est occasio blasphemiæ doctrinæ Dei* (2). — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, præsertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto ærem verberant, et inscii divina eloquia contemptui objiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (3) ».

et gravitatem præstet

aut scientia sacra.

2° « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinæque copia rite instructum. Idem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quæ sacræ prædicationis sunt propria. Quæ vero ejusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Prædicate evangelium...* (4) *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (5). Ad quæ verba apte S. Thomas: *Prædicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus prædicare* (6). Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et cælestem gloriam consequi valeant* (7). Quæ omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, hæc scripsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum prædicantes, sanctissimæ religionis nostræ dogmata et præcepta, juxta catholicæ Ecclesiæ et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum*

2/ In prædicando pertractentur tantum materiæ prædicationis propriæ.

(1) I *Cor.* IV, 1.
(2) Comm. in *Matth.* V.
(3) Os. IV, 6.
(4) *Marc.* XVI, 15.
(5) *Matth.* XXVIII, 20.
(6) Loc. cit.
(7) Sess. V, cap. 2, *De Reform.*

officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita æternas pœnas evadere et cælestem gloriam consequi valeant (1). Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiæ præcepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cujusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus æterna vera, hæc esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3/ Ne igitur, his propriis argumentis neglectis, captandæ popularis gratiæ causa

3° « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac pæne abjiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandæ populari gratiæ, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi* (2), eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimæ diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod CONFERENTIAM dicunt, menti cogitationique alliciendæ magis aptum quam impellendæ voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam sæpe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiæ auctoritatem, hoc ipso præjudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiæ, secundum divinam sententiam: *De corde exeunt cogitationes malæ... blasphemiæ* (3). Hinc Augustinus Psalmistæ referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (4), commentatur: *in corde suo, non in mente sua* ».

admittatur genus *conferentiæ* magis menti alliciendæ quam moribus instaurandis aptum.

4° « Hæc tamen non ita sunt accipienda quasi sermones

(1) Litt. Enc. IX nov. MDCCCXLVI.
(2) *Philip.* II, 21.
(3) *Matth.* XV, 19.
(4) *Psal.* XIII, 1.

id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quæ in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quæ civitatem spectat propius quam religionem; quæ denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiæ,* quæ propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod ejusmodi defensiones haberi non decet, nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cujus rei judicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet præterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanæ sapientiæ verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum hæreant altius impressæ falsæ opiniones quam opposita vera, neve objecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hæ inferioris ordinis essent ac minoris faciendæ præ pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendæ; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a præstantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique cœtu, saltem identidem summo cum studio essent habendæ. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus ejusmodi auditoria præ ceteris inficiuntur ».

4/ Conferentiæ tamen possunt esse utiles, imo necessariæ ad refellendos errores, modo non niteant specie magis quam fructu,

et spectetur tempus et locus et auditorum conditio,

et nitantur doctrina sacra magis quam sapientia humana

et non minuant æstimationem concionum moralium.

5° « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quæ, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi*, *tria debet habere* prædicatio

5/ Quoad dicendi speciem,

debet habere stabilitatem, claritatem, utilitatem.

At hodiernæ formæ desunt sæpe perspicuitas,

et afflatus christianæ pietatis

Scripturarum vim perfectam, ac eloquentiam

prædicatio verbi divini: primum est stabilitas, ut non lateat a veritate: secundum est claritas, ut qui doceat cum claritate: tertium est utilitas, ut gravia: Dei laudem et non suam (1). At vero forma hodierna dicendi sæpenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quæ iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quæ communem populi captum excedunt. Dicenda sane res ac prophetæ dictanda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Sed illud etiam miserius, quod sæpe his temporibus deest illa species religionis, afflatus ille christianæ pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus intrinsecus loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi, ac virtute sacris præconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (3). Idem contra iteri *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quæ sacrum prædicandi munus iterumque recludant latices, ut, diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII: haec verba gravissima: — « Illud proprium et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quæ auctori sacro auctoritatem addit apostolicam prædicandi libertatem, verisque victoriamque tribuit eloquentiam. Quisquis enim libros verbo spiritus et robur eloquendi refert, ita non loquitur a semetipso, sed ab ipso virtus et a Spiritu Sancto et in plenitudine mentis. Quamobrem ut dicendi, sunt propositum imperviolaque haerere, qui Scripturarum de religione habent et prodiderunt divina enunciant, ubi, ut fere afferunt vis humanae sapientiae et prudentiae verba, stus magis argumentis quam divinis innixa. Istorum sobolet auctoritatem, quantum a veritatem humanibus, infinitisque et longe maxime est, caputque quod quo aetatis sermonis Dei, auditoribus longe ab ea, quibus ipsis sermo poliet virtute. Vivus et sum sermo Dei, et efficax, et

1) Loc. cit.
2) Thren. IV. 4
3) I. Cor. II. 4
4) I. Thess. I. 5

penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus (1). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (2), atque res ipsa confirmat præstantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduæ Bibliorum consuetudini piæque meditationi se præcipue debere, grati Deo, affirmarunt (3) ».

« En igitur eloquentiæ sacræ fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur præcones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquæ vivæ,* sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanæ sapientiæ cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrinâ divinitus inspirata, vel Ecclesiæ Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quæ sane sententiæ sæpe interpretationibus ansam præbent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput injiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducæ hujus vitæ emolumentis commodisque metiantur, futuræ ac sempiternæ pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati præclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; justitiam silent. Inde istius prædicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore chsistianum, dum dicat: Credo in Christum Jesum (4) ». — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem injiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur;

Sed hunc fontem principem, Bibliam, deserunt sæpe præcones moderni.

Qui etiam videntur omnia metiri commodis hujus vitæ, æternæ vitæ obliti.

Non quærunt fructum referre sed auditoribus placere.

(1) *Hebr.* IV, 12.
(2) *De Doctr. christ.* IV, 6, 7.
(3) Litt. encycl. *de Studiis Script. Sacr.*, XVIII nov. MDCCCXCIII.
(4) Card. Bausa, Archiep. Florentin., *ad juniorem clerum,* 1892.

contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : auditorum lacrimæ laudes tuæ sint* (1).

Inde exhibent scenicum apparatum, sanctitatis efficacia adempta.

Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris ædibus tum extra, scenicum quemdam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quæ a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus injectæ offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, præsertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam,* postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur* (2) ».

Igitur Episcopi hos abusus extirpandos curent.

« Volens igitur hæc Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis præsunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio exstirpandos curent. Memores igitur eorum, quæ a SS. Concilio Tridentino præscripta sunt (3). — *Viros idoneos ad hujusmodi prædicationis officium assumere tenentur,* — in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suæ diœcesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* (4) hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienæ diœcesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus præsertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse præditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cujusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosæ neminem prorsus ex propriæ disciplinæ alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus

Ad prædicationem non admittant sacerdotes suæ diœceseos nisi prius de vita et scientia et moribus probatos aut extraneos nisi debito testimonio munitos.

Item superiores religiosi.

(1) *Ad Nepotian.*
(2) Ex Aug. in *Matth.* XIX, 25.
(3) Sess. V, c. 2, *De reform.*
(4) Conc. Trid., Sess. V. c. 2, *De reform.*

litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi ejusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis præsentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis pœnis, quas res videatur postulare ».

Concionator qui contra has regulas egerit, moneatur aut et prohibeatur.

Hæc præscribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim jam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium,* sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto fœdere cum Ecclesiæ capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam cælo sapientiam quotidie consurgit, cujus corrigendæ sibi jus arrogant, quasi esset corrupta; renovandæ, quasi esset senio confecta; augendæ aptandæque sæculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hæc religiose servanda sunt, quia gravius hodie est periculum.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiæ aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri hujus depositi custodia fidelis.

Quæ igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et jubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Hæc omnia mandata ab omnibus ordinariis et superioribus regularium servanda sunt.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

E S. Cong. de Sacramentis

DECRETUM

De ætate admittendorum ad Primam Communionem Eucharisticam.

Christi exemplum secuta,

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginæ plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit; ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei* (1). Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum. — Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit* (2).

Ecclesia semper sollicita fuit de parvulis,

eosque olim a prima infantia ad S. Eucharistiam admittebat;

Hæc memorans catholica Ecclesia, vel a suis primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque sæculum XIII præscriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Græcos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes præsertim panem consecratum ejicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptismate solum, sed subinde sæpius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam præbendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

postea communionis ætate protracta usque

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacræ mensæ participes fieri cœperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et augusti Sacramenti no-

(1) Marc., X, 13, 14, 16.
(2) Matth., XVIII, 3, 4, 5.

titiam quandam. Quæ nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus jam recepta, solemni sanctione firmata est œcumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam ætatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio præscribitur et Sacra Communio, hisce verbis: « Omnis utriusque sexus » fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia » sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in » anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam » studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad » minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de » consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam » ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum ». ad annos discretionis.

Concilium Tridentinum (1), nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandæ parvulis Eucharistiæ ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent: « Si quis negaverit » omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum » ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, » saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum » S. Matris Ecclesiæ, anathema sit » (2).

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta.

Verum in hac rationis, seu discretionis, ætate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Pœnitetiæ, aliam Eucharistiæ suscipiendæ discretionis ætatem assignandam esse censerent. Ad Pœnitentiam quidem eam esse ætatem discretionis judicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriorem requiri ætatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique præparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiæ receptionem, hinc decem annorum ætas vel duodecim, hinc quatordecim vel major etiam est consti- Deinceps mos invaluit nimium differendi discretionis et communionis ætatem,

(1) Sess. XXI, *De Communione*, c. 4.
(2) Sess. XIII, *De Eucharistia*, c. 8, can. 9.

tuta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adolescentibus præscripta ætate minoribus.

unde gravia mala exorta:

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis ætatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitæ succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut prævalido destituta præsidio juventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primæ Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio præmittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primæ innocentiæ jactura, quæ, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu jaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiæ suffragiis non juvantur.

qui mos originem ducit ab errore Janseniano.

Ejusmodi damna inferunt qui extraordinariis præparationibus primæ Communioni præmittendis plus æquo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelæ a Jansenianis erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam præmium esse contendunt, non humanæ fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus, quum docuit eam esse « antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur » (1); quæ doctrina nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die 20 mensis Decembris an. 1905 lato (2), quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris ætatis, patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiæ et recto voluntatis proposito.

---

(1) Sess. XIII, *de Eucharistia*, c. 2.

(2) Vide *Acta Pontificia*, Vol. IV, pag. 57.

Nec sane justa causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc præparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiæ felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot hujus temporis insidias et pericula, indigent maxime.

Hunc abusum excludit praxis primitivæ Ecclesiæ.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint quænam sit ætas discretionis, qui aliam Pœnitentiæ, aliam Eucharistiæ assignarunt. Unam tamen eandemque ætatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum conjunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem ætas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quæ rursus eadem est ætas in qua puer usum rationis est assequutus.

recta interpretatio decreti Lateranensis.

Nec rem aliter acceperunt præcipui Concilii Lateranensis interpretes et æquales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiæ constat, synodos plures et episcopalia decreta, jam inde a sæculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam Communionem admisisse. Extat præterea summæ auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cujus hæc legimus: « Quando jam pueri » *incipiunt aliqualem* usum rationis habere, ut possint devo- » tionem concipere hujus Sacramenti (Eucharistiæ), tunc » potest eis hoc Sacramentum conferri » (1). Quod sic explanat Ledesma: « Dico ex omnium consensu, quod » omnibus habentibus usum rationis danda est Eucharistia, » quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto » quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat » (2). Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: « Si puer » semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso jure » divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino » liberare » (3). Eadem docuit S. Antoninus, scribens:

(1) *Summ. Theol.*, 3 part., q. 80, a. 9, ad 3.
(2) In S. Thom., 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.
(3) In 3 P. S. Thom., disp. 214, c. 4, n. 43.

« Sed cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare » mortaliter, tum obligatur ad præceptum de Confessione, » et per consequens de Communione » (1). Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat, Sess. XXI, c. 4: « parvulos usu rationis » carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eu- » charistiæ communionem », unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: « Siquidem, inquit, adeptam » filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt ». Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiæ sumendæ incipere « postquam pueruli ac » puellæ ad annum discretionis pervenerint, ad illam vide- » licet ætatem in qua sunt apti ad discernendum hunc » sacramentalem cibum, qui alius non est quam verum Jesu » Christi corpus, a pane communi et profano, et sciunt » accedere cum debita pietate ac religione » (2). Catechismus Romanus autem, « qua ætate, inquit, pueris sacra » mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam » pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos » enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus » admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint » et gustum habeant » (3).

auctoritas Concilii Tridentini,

necnon Concilii Romani.

Conclusio: ad discretionem ets. mensæ participationem satis est ut puer panem eucharisticum a pane communi distinguere sciat.

Ex quibus omnibus colligitur ætatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum Fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio;* neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem ætatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Anto-

(1) P. III, tit. 14, c. 2, § 5.

(2) *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla Sacra Comunione.* Append. XXX, P. 11.

(3) P. II, *De Sacr. Euchar.*, n. 63.

nelli ad episcopos Galliæ datis die 12 Martii anno 1866 invalescentem in quibusdam diœcesibus morem protrahendæ primæ Communionis ad maturiores eosque præfixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die 25 mensis Martii 1851, Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum ætatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit hæc S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die 25 mensis Martii anno 1910; in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: « Pueros et puellas, cum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam admittendos esse ».

Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die 25 mensis Julii a. 1910, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Jesu Christo adhæreant, Ejus vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelæ pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam, statuere opportunum censuit.

Varia statuta.

I. Ætas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique præcepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinæ christianæ cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suæ intelligentiæ gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quæ in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se præparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert ætas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio præcepti Confessionis et Communionis, quæ puerum gravat, in eos præcipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices ejus

gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, jam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et præparationis præmittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam sæpius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert ætas. Meminerint præterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis præceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosæ institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis juris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab hujusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Hæc a PP. Cardinalibus Sacræ hujus Congregationis sancita, SS^mus^ D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis, omnia adprobavit, jussitque præsens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore præcepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris diœcesis negotiis, etiam de hujus observantia decreti ad S. Sedem referre.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romæ ex Ædibus ejusdem S. Congregationis, die 8 mensis Augusti anno 1910.

D. Card. FERRATA, *Præfectus.*

Ph. GIUSTINI, *a secretis.*

II

ROMANA ET ALIARUM (1).

De Facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum edito die 14 mensis maii anno 1909, statutum fuit: « Quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adjunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita ».

Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est dubium:

« An præfato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii dici 9 januarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis ».

Et hæc S. C., re perpensa, respondendum censuit: « Affirmative ».

Datum ex ædibus ejusdem S. C., die 29 mensis julii, anno 1910.

D. Card. Ferrata, *Præfectus*.
Ph. Giustini, *Secretarius*.

Adnotatio. Relato decreto S. C. de disciplina Sacramentorum ad *parochos* extendit facultatem dispensandi super impedimentis cum moribundis, qua facultate, vi decreti dici 14 Maii 1909, gaudent simplices sacerdotes, matrimonio assistentes in defectu parochi ejusve delegati, ad tramites articuli VIII Decreti *Ne Temere* (2).

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1910, p. 650.

(2) Lege tenorem decreti anni 1909, cum subnexa interpretatione, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 442 ss.

Hoc autem novum statutum sic intelligimus: *parochi* nempe, quotiescumque id possent simplices sacerdotes, in ipsorum defectu matrimonio assistentes, valent et ipsi 1/ dispensare infrà limites concessionis die 14 Maii anni 1909 factæ, licet facultates anni 1888 non fuerint ipsis subdelegatæ; 2/ si illas facultates anni 1888 obtinuerint, dispensare valent *ultra harum facultatum limites*, nimirum cum non ægrotis et non concubinariis, statim ac urget matrimonii celebratio ad consulendum conscientiæ vel prolis legitimationi.

Qua ratione removetur anomalia quæ videbatur existere, juxta notata apud *Collat. Brug.*, l. c., quatenus scilicet, respectu moribundi, simplici sacerdoti amplior competeret dispensandi potestas quam parocho (1).

A. De Smet.

(1) Hanc anomaliam nobiscum admittebant *Collat. Gandav.*, I, p. 177 s.; *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 75; *Canon Contemp.*, 1910, p. 263; Van den Acker, *Decreti « Ne Temere » de Sponsalibus et Matrimonio Interpretatio*, Buscoduci, 1909. p. 73. Aliter sentiebant *Il Monitore*, 1909, p. 290, et post ipsum, Vermeersch, *De Religiosis-Periodica*, t. V, p. 39.

S. C. Consistorialis

De amotione administrativa ab officio et beneficio curato.

DECRETUM (1).

Maxima cura semper Ecclesiæ fuit, ut christiano populo prævessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitæ integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quæ parœciæ utilia aut necessaria esse judicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, præscriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas hæc in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam ædificet, is debet, juxta antiquissimum et constantem Ecclesiæ morem, quantum fas est, instituto judicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici juris, criminali judicio ac pœnali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illave de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in parœcia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi præsentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quæ œconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo judiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi pœnam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum ejus cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

Verum, cum de hac amotione canonicæ leges haud plane certæ perspicuæque viderentur, cœtus Consultorum et Emorum Patrum ecclesiastico codici conficiendo præpositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1910, p. 636.

consiliis, censuit formam quandam accuratiorem esse statuendam, qua gravis hæc ecclesiasticæ disciplinæ pars regeretur. Quæ studia cum SSmus D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacræ hujus Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interjecta mora, novæ hujus disciplinæ beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi jussit, quo novæ normæ de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutæ promulgarentur, eædemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Hæ autem normæ hisce qui sequuntur canonibus continentur.

I. — *De causis ad amotionem requisitis.*

Can. 1.

Causæ ob quas parochus administrativo modo amoveri potest hæ sunt:

1° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur: aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit jacturam, ut noxium judicetur eumdem in officio retinere.

2° Imperitia et ignorantia quæ paræciæ rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3° Surditas, cæcitas et alia quælibet animæ et corporis infirmitas, quæ necessariis curæ animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadjutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4° Odium plebis, quamvis injustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter prævideatur brevi non esse cessaturum.

5° Bonæ æstimationis amissio penes probos et graves viros, sive hæc procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia ejus noxia, vel etiam ex antiquo ejusdem crimine, quod nuper detectum ob præscriptionem pœna plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et

culpa familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonæ parochi famæ sit satis provisum.

6° Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii judicio prævideatur.

7° Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiæ aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8° Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiæ observantia.

9° Inobedientia præceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Monitio de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximæ amotionis prænuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiæ legitime constet.

II. — *De modo procedendi in generali.*

Can. 2.

§ 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum: si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad præcedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulæ infra statutæ ita servandæ sunt, ut, si violentur in iis quæ substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

III. — *De personis ad motionem decernendam necessariis.*

Can. 3.

§ 1. In *invitatione* parocho facienda ut renunciet, et in *amotionis decreto ferendo,* Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus statuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur: in ceteris vero consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis,* quoties hæc necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinatoribus dictum est.

Can. 4.

Examinatoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda hæc esto:

§ 1. Si synodus habeatur, in ea, juxta receptas normas, eligendi erunt tot numero quot Ordinarius prudenti suo judicio necessarios judicaverit.

§ 2. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu Consultorum diœcesanorum.

§ 3. Quæ regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

§ 4. Examinatores et consultores sive in synodo, sive extra synodum electi, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de jure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu Capituli cathedralis, vel Consultorum diœcesanorum.

Can. 5.

§ 1. Examinatores et parochi consultores ab Ordinario in

causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione ætatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in jure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eamdem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinatoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

Can. 6.

§ 1. Quoties in canonibus qui sequuntur expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinatorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit quæ duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinatorum vel consultorum procedere potest, satis est ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

Can. 7.

§ 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato jurejurando, servare secretum officii circa omnia quæ ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptiones in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna pœna ab Ordinario pro culpæ gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac præterea obligatione tenentur sarciendi damna, si quæ fuerint inde sequuta.

IV. — *De invitatione ad renunciandum.*

Can. 8.

Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii judicio, videatur

parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1* recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a jure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causæ cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

Can. 9.

§ 1. Formalis hæc invitatio semper præmittenda est antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinatorum consensu.

Can. 10.

§ 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab ejus delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiæ servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parocho patefieri causæ seu ratio ob quam invitatio fit, argumenta quibus ratio ipsa innitur, servatis tamen debitis cautelis de quibus in *can. 11*, examinatorum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

Can. 11.

§ 1. In communicandis argumentis quibus comprobatur veritas causæ ad renunciationem obtinendam adductæ, ca-

veatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adjunctis prævideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta quæ sine periculo magnæ populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant.

Can. 12.

Fas autem parocho est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest justa de causa, cum examinatorum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

Can. 13.

§ 1. Si parochus invitationi sibi factæ assentiri et parœcia se abdicare statuat, renunciationem edere potest etiam sub conditione, dummodo hæc ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parocho renuncianti est loco causæ ab Ordinario invocatæ aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

V. — *De amotionis decreto.*

Can. 14.

§ 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parocho innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis quæ in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus

adjunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parocho invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

Can. 15.

§ 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere jura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renunciatio petitur impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes qui necessarii videantur inducere, et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

Can. 16.

§ 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parocho inductorum, ea dumtaxat serventur quæ necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet judiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17.

§ 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quæ efferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus juxta *can. 9* invitari nequeat ad jura sua deducenda, aut quando juxta *can. 11* testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat, (seu *diligentias,*

ut vulgo dicitur, peragat) ut de documentorum valore et de testium fide justum judicium fieri possit.

Can. 18.

§ 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere quæ legitimum jurisdictionis ecclesiasticæ exercitium impedire possunt: secus, juxta prudens Ordinarii judicium, pro gravitate culpæ puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benevisum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19.

§ 1. Omnibus expletis quæ ad justam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinatoribus discutiendum est, et per secreta suffragia juxta præscripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet causam parocho denuntiatam vere adesse eamque legitimam.

Can. 20.

§ 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii judicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito et obtento examinatorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21.

Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et præcepta quæ pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur: de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI. — *De actorum revisione.*

Can. 22.

§ 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eumdem Ordinarium pro revisione actorum coram novo Consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat juxta § 2 *can. 3.*

§ 2. Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto; nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet se vi majori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinatoribus, quorum consensus requiritur.

Can. 23.

Interposito recursu, dantur parocho adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis quæ superius in discussione coram examinatoribus statutæ sunt, salva dispositione § 4 *can. seq.*

Can. 24.

§ 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus præcedentibus vitia formæ in ea irrepserint quæ rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen jus non habet exigendi ut novi testes

inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua jura concedantur.

Can. 25.

§ 1. Admissio vel rejectio recursus majore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus hujus consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

VII. — *De amoti provisione.*

Can. 26.

§ 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renunciânti, aut administrativo modo a parœcia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam parœciam, aut per assignationem alicujus ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adjuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinatores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

Can. 27.

§ 1. Parœciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest parœciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout æquitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de jure servandis.

§ 3. In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

Can. 28.

§ 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renunciandum vel separatis litteris, pendente amotionis nogotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens judicaverit.

§ 3. In quolibet casu quæstio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quæstione præsenti de amotione a parœcia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat ut expediatur.

Can. 29.

§ 1. Sacerdos qui renunciavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere parœcialem domum, et omnia quæ ad parœciam pertinent ejus œconomo regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, parœcialium ædium, usque dum possit pro prudenti ejusdem Ordinarii judicio commode alio transferri. Interim vero novus parœciæ rector aliquam aliam temporariam habitationem in parœcia sibi comparari curet.

VIII. — *De iis qui huic legi subjacent.*

Can. 30.

Superius constitutis regulis, — adamussim applicandis iis omnibus qui parœciam quovis titulo, ut proprii ejus rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine, — locus non est, quoties parœcia committatur curæ alicujus sacerdotis qua œconomi temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

Can. 31.

§ 1. Si parochus in jus rapiatur ut reus criminis, pendente criminali judicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativæ illius amotioni; sed exspectandus est exitus judicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat: ea vero munia cum congrua fructuum assignatione Vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Judicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel ejus administrativæ amotioni, vel canonicæ destitutioni, prout justitia exigat et adjuncta ferant.

Can. 32.

Ordinarii nomine pro omnibus quæ in hoc titulo statuuntur non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

Iis autem cito exsequendis quæ in hoc decreto statuuntur, SSmus Dominus Noster mandat ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores, juxta præscripta *Can, 4* constituant. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in diœcesi, sive in synodo sive extra synodum electi, habeantur, statuit ut, de cathedralis capituli vel consultorum diœcesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege ut post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum electionem servata regula *Can. 4* devenire possint, prout prudentia et adjuncta suaserint. Deficientibus vero in diœcesi examinatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Præsentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romæ, die 20 Augusti 1910.

L. ✠ S.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

S. Congregatio Rituum

DUBIUM (1)

Circa Missam Parochialem.

Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequens dubium propositum fuit, nimirum:

In quibusdam Diœcesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicæ Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune ærarium diœcesanum deferatur. Quæritur: Utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter præsente cadavere?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositæ quæstioni ita respondendum esse censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 8 Julii 1910.

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1910, p. 553.

Notæ Bibliographicæ

A. Knoch. *L'Onanisme conjugal et le Tribunal de la Pénitence.* Nouvelle édition. Liége, H. Dessain. In-8, 56 p. Prix: 1 franc.

Le Dr A. Knoch a eu l'heureuse idée d'éditer en brochure séparée les articles, justement remarqués, qu'il a publiés dans la *Revue ecclésiastique de Liége.* Ce ne sont pas seulement ses confrères qui s'en réjouiront, son initiative sera accueillie avec faveur dans les rangs de tout le clergé Belge, et son ouvrage trouvera de nombreux lecteurs par delà les frontières de notre pays.

D'autre part cette nouvelle édition a fourni à l'auteur, comme il le fait observer dans la préface, le moyen d'élargir et de compléter la partie statistique, et d'accentuer quelques règles pratiques à suivre au tribinal de la Pénitence. Aussi nous recommandons chaudement à tous les confesseurs la lecture de ces pages instructives; le style est net et clair, la doctrine substantielle et précise, accusant chez l'auteur un tact théologique peu commun. Le travail du Dr Knoch offre aux prêtres dans le ministère un guide sûr dans la tache si délicate qu'ils ont à remplir vis-à-vis des pénitents engagés dans les liens du mariage; il est appelé — que M. le Professeur en ait l'assurance — à rendre des services signalés « dans la rude campagne que les coopérateurs des Evêques se voient forcés de mener contre un ennemi qui, s'il n'est arrêté à temps par une résistance ferme et unanime, précipite les pays dans les pires catastrophes ».

R. P. Robert, O. C. *Le Livre d'Or ou les Conseiller des Jeunes Mariés.* Bruges, Ryckbost-Monthaye. In-32, 170 p. Prix: 0,40 fr.; 25 fr. le cent.

L'expérience du confessional a inspiré au Père Robert une légitime pitié pour les victimes, hélas! si nombreuses, du vice néo-malthusien.

C'est pour prémunir les époux contre cette violation des lois du mariage qu'il a écrit la brochure que nous présentons à nos lecteurs. Elle ne s'adresse pas aux prêtres, qui n'ont rien à y apprendre; elle ne s'adresse pas non plus a tous les laiques indistinctement: la lecture de ces pages doit être réservée aux personnes mariées ou qui sont sur le point de contracter mariage. A côté d'une esquisse de la doctrine théologique sur le mariage — nature, fin, obligations, propriétés du mariage, divorce — elles y trouveront une notice sur les abus du mariage, notamment l'onanisme, avec un exposé détaillé des tristes conséquences qui en découlent, des prétextes invoqués par ses adeptes et des remèdes à y apporter. Dieu veuille que ceux que la chose intéresse écoutent la voix de ce bon « *Conseiller* »! « Puisse-t-il, comme le souhaite le Révérend Père, éclairer les ignorants, convertir les coupables et faire respecter par tous le saint état du mariage »!

L'A. aurait pu éviter l'emploi de certaines expressions moins délicates; leur présence cependant ne justifie guère l'émoi que la brochure a provoqué dans certains milieux.

A. Vermeersch, S. J. *De prima puerorum Communione Decreta 1910 cum interpretatione.* Bruges, Ch^s Beyaert, 1910. In-8, 16 p. Prix: fr. 0,50.

Vix editi notissimi decreti de puerorum prima communione commentarium jam vulgavit R. P. Vermeersch; propositis, post explanatam decreti œconomiam generalem, doctis animadversionibus circa varia statuta quæ novam disciplinam moderantur. Hujus novæ disciplinæ cardo in hoc est quod in posterum urgetur a S. Sede obligatio pro pueris communicandi, et consequenter pro sacerdote eos ad S. Synaxim admittendi, statim ac incipiunt pro modulo suo ratiocinari, i. e. inde a septimo ferme ætatis anno, rejecta ac reprobata distinctione hucusque plurimum facta inter discretionem quæ ad confessionem, et discretionem quæ ad S. Mensæ participationem requiratur.

Quod spectat modum in praxi servandum ut normæ a S. Sede statutæ, absque populi fidelis perturbatione ac instructionis christianæ dispendio rite applicentur, judicium de hujus vel illius procedendi rationis opportunitate reservatur Episcopis, quorum ipse A. monet exspectandas esse instructiones in respectivis diœcesibus. Ad occurrendum autem non dissimulando periculo ne informatio catechetica ex anticipata primæ communionis ætate detrimentum capiat, suggerit A. ut obligatio pueris (ac etiam parentibus) imponatur, eaque gravis, catecheses per determinatum temporis spatium sedulò frequentandi; cæterum optandum censet ut « adolescentibus quatuordecim vel sedecim annorum publica, maxime solemnis, indicetur cæremonia, pompis hodiernæ nostræ primæ communionis celebrata, quæ finem imponat catecheticæ institutioni, atque a generali quadam communione initium ducens, consummetur in optime præparata fidei professione et protestatione amoris erga Christum ducem, qua adolescentes firmiter spondeant se propter Christum vivere velle e quo a pueritia vivere edocti sunt ».

A. D. S.

A. Müller, S. J. *La querelle des fondations charitables en Belgique.* (Coll. de l'École des sciences politiques et sociales de l'Université de Louvain.) Bruxelles, Dewit, 1909, in-8, XVI-347 p. F. 5.

Il n'y a que du bien à dire de l'excellente dissertation du R. P. Müller. C'est une œuvre solide de science historico-juridique. Faite d'après toutes les règles de la critique historique, révélant une connaissance très complète des travaux d'histoire et de droit, des documents historiques et juridiques, elle retrace les vicissitudes de centralisation et de décentralisation, subies par les fondations charitables de la part du pouvoir civil, depuis le XVIe siècle jusqu'à nos jours, et montre, en les rattachant à

leurs causes, les envahissements de l'État en matière de bienfaisance, maintenant ou absorbant la liberté de fonder et de diriger des œuvres de charité privée.

Les premiers chapitres sur les origines éloignées de la controverse et les initiatives communales en matière d'assistance nous intéressent spécialement. L'ingérence des autorités civiles dans le contrôle et l'organisation de la charité se manifeste d'abord en Flandre, où, de même, se font jour les premières interventions sécularisatrices dans la distribution des secours aux indigents. La réforme des *tables des pauvres* à Ypres en 1525, et l'ordonnance de Vivès adressée en cet même année au magistrat de Bruges sont restées célèbres. Le R. P. Müller apprécie très justement ces faits et montre la part faite aux autorités ecclésiastiques dans ces réformes et les efforts tentés par elles pour maintenir les droits de l'Église et la liberté des fondateurs. Très étudiés sont les paragraphes consacrés à la centralisation de la bienfaisance sous le régime français, au retour à la politique décentralisatrice sous le gouvernement hollandais, à la discussion de la loi communale en 1836, à la jurisprudence sectaire de M. de Haussy, au projet Nothomb, à la nouvelle orientation de la controverse sur la question de la personnalité juridique, tendant vers la décentralisation.

Pour tous ces points, l'auteur ne s'attache pas seulement à rendre compte des modifications apportées à l'assistance publique, il en recherche les causes. Il met en regard les idées des physiocrates et des philosophes condamnant la fondation et le système de la Révolution érigeant la charité en délit et faisant de la bienfaisance une dette de la Nation; il insiste sur les tendances du roi Guillaume à combiner le régime de la liberté presque absolue des fondations existant dans les provinces septentrionales (1), avec l'institution dans les provinces méridionales des bureaux de bienfaisance, jouissant du monopole de la charité perpétuée; il montre comment les idées étatistes des catholiques sur la nature de la personnalité juridique et la nouvelle orientation de la controverse sur ce point influencèrent les mouvements de centralisation et de décentralisation; il signale l'action des juristes libéraux et catholiques sur l'évolution des théories. Quiconque s'occupe, soit au point de vue historique, soit au point de vue juridique et pratique, des questions relatives à l'assistance, à la liberté de la charité, aux fondations publiques ou privées, à la nature de la personnalité juridique, au droit constitutionnel d'association, aura à consulter le beau travail du R. P. Müller.

Chan. A. Standaert, J. C. L. *Manuel de l'administration des fabriques d'églises.* Gand, Huyshauwer et Scheerder, 1910, in-8, XVI-248-24 p. F. 3,50.

M. le chanoine Standaert, professeur de Droit canonique au Grand Séminaire de Gand, a entendu composer *un manuel pratique* de l'admi-

(1) L'auteur ne cite pas l'ouvrage récent de Mr J. Everts, *De verhouding van Kerk en Staat in het bijzonder ten aanzien der armverzorging*, Utrecht, Den Boer, 1908.

nistration fabricienne, à l'usage de ses élèves et du clergé paroissial. Jugeant à bon droit qu'il fallait introduire plus de méthode dans les traités existants sur la matière, et qu'il importait de les ramener à une forme plus simple, il s'est efforcé de mettre de l'ordre dans le fouillis des lois, décrets et arrêtés se rapportant au temporel du culte et d'exposer le droit actuel en propositions claires, sobrement expliquées et développées. Dans le même but, il s'est étendu sur les questions d'un intérêt actuel et pratique et a réservé à l'enseignement du maître le développement des arguments et des points controversés, tout en multipliant les citations, pour donner à ses auditeurs et lecteurs les moyens de faire la preuve d'un énoncé ou d'approfondir une question spéciale.

Deux parties divisent ce travail. La première (p. 1-57), intitulée : *Notions générales sur les fabriques d'églises et sur la propriété de leurs biens,* comprend trois chapitres : 1° Histoire des fabriques ; 2° De la propriété des biens affectés aux fabriques ; 3° Origine et caractère du décret de 1809 et de la loi de 1870. La seconde partie (p 57-213) est un commentaire méthodique du décret de 1809 combiné avec la loi de 1870, et mis au courant de la jurisprudence. A la fin du volume, sont annexés les documents les plus importants ; et, innovation heureuse, le décret de 1809 et la loi de 1870 sont tirés a part, afin qu'en étudiant le commentaire de ces dispositions, on en ait le texte sous les yeux.

et veut refondre la société, par dessus l'Église catholique, par un vague idéalisme et des vertus civiques.

Les efforts qui furent nécessaires pour édifier la civilisation chrétienne

montrent que cette action produirait une agitation stérile qui mène au socialisme,

Nous craignons qu'il n'y ait encore pire. Le résultat de cette promiscuité en travail, le bénéficiaire de cette action sociale cosmopolite, ne peut être qu'une démocratie qui ne sera ni catholique, ni protestante, ni juive ; une religion (car le Sillonisme, les chefs l'on dit, est une religion) plus universelle que l'Église catholique, réunissant tous les hommes devenus enfin frères et camarades dans « le règne de Dieu ». — « On ne travaille pas pour l'Église, on travaille pour l'humanite ».

à une démocratie, à une religion acatholique.

Et maintenant, pénétrés de la plus vive tristesse, nous nous demandons, Vénérables Frères, ce qu'est devenu le catholicisme du *Sillon*. Hélas ! Lui qui donnait autrefois de si belles espérances, ce fleuve limpide et impétueux a été

Les sillonistes se sont laissés séduire par les modernes enne-

mis de l'Église,

qui veulent une Église universelle sans dogmes ni hiérarchie,

capté dans sa marche par les ennemis modernes de l'Église et ne forme plus dorénavant qu'un misérable affluent du grand mouvement d'apostasie, organisé, dans tous les pays, pour l'établissement d'une Église universelle qui n'aura ni dogmes ni hiérarchie, ni règle pour l'esprit, ni frein pour les passions, et qui, sous prétexte de liberté et de dignité humaine, ramènerait dans le monde, si elle pouvait triompher, le règne légal de la ruse et de la force, et l'oppression des faibles, de ceux qui souffrent et qui travaillent.

qui déforment l'Évangile et le caractère du Christ:

Nous ne connaissons que trop les sombres officines où l'on élabore ces doctrines délétères, qui ne devraient pas séduire des esprits clairvoyants. Les chefs du *Sillon* n'ont pu s'en défendre; l'exaltation de leurs sentiments, l'aveugle bonté de leur cœur, leur mysticisme philosophique mêlé d'une part d'illuminisme les ont entraînés vers un nouvel évangile, dans lequel ils ont cru voir le véritable Évangile du Sauveur, au point qu'ils osent traiter Notre Seigneur Jésus-Christ avec une familiarité souverainement irrespectueuse et que, leur idéal étant apparenté à celui de la Révolution, ils ne craignent par de faire entre l'Évangile et la Révolution des rapprochements blasphématoires, qui n'ont pas l'excuse d'avoir échappé à quelque improvisation tumultueuse.

Nous voulons attirer votre attention, Vénérables Frères, sur cette déformation de l'Evangile et du caractère sacré de Notre Seigneur Jésus-Christ, Dieu et Homme, pratiquée dans le *Sillon* et ailleurs. Dès que l'on aborde la question sociale, il est de mode dans certains milieux d'écarter d'abord la Divinité de Jésus-Christ, et puis de ne parler que de sa souveraine mansuétude, de sa compassion pour toutes les misères humaines, de ses pressantes exhortations à l'amour du prochain et à la fraternité. Certes Jésus nous a aimés d'un amour immense, infini, et Il est venu sur terre souffrir et mourir pour que, réunis autour de Lui, dans la justice et l'amour, animés des mêmes sentiments de charité mutuelle, tous les hommes vivent dans la paix et le bonheur. Mais à la réalisation de ce bonheur temporel et éternel Il a mis, avec une souveraine autorité, la condition que l'on fasse partie de son troupeau, que l'ont accepte sa doctrine, que l'on pratique la vertu et qu'on se laisse enseigner et guider

on écarte la divinité du Christ, pour ne parler que de sa bonté.

Si Jésus nous a aimés,

Il nous a imposé son autorité, donné sa doctrine et ses exemples,

par Pierre et ses successeurs. Puis si Jésus a été bon pour les égarés et les pécheurs, Il n'a pas respecté leurs convictions erronées, quelque sincères qu'elles parussent; il les a tous aimés pour les instruire, les convertir et les sauver. S'il a appelé à Lui, pour les soulager, ceux qui peinent et qui souffrent, ce n'a pas été pour leur prêcher la jalousie d'une égalité chimérique. S'Il a relevé les humbles, ce n'a pas été pour leur inspirer le sentiment d'une dignité indépendante et rebelle à l'obéissance. Si son Cœur débordait de mansuétude pour les âmes de bonne volonté, Il a su également s'armer d'une sainte indignation contre les profanateurs de la maison de Dieu, contre les misérables qui scandalisent les petits, contre les autorités qui accablent le peuple sous le poids de lourds fardeaux sans y mettre le doigt pour les soulever. Il a été aussi fort que doux; il a grondé, menacé, châtié, sachant et nous enseignant que souvent la crainte est le commencement de la sagesse et qu'il convient parfois de couper un membre pour sauver le corps. Enfin Il n'a pas annoncé pour la société future le règne d'une félicité idéale, d'où la souffrance serait bannie; mais par ses leçons et par ses exemples, Il a tracé le chemin du bonheur possible sur terre et du bonheur parfait au Ciel: la voie royale de la Croix. Ce sont là des enseignements qu'on aurait tort d'appliquer seulement à la vie individuelle en vue du salut éternel; ce sont des enseignements éminemment sociaux, et ils nous montrent en Notre-Seigneur Jésus-Christ autre chose qu'un humanitarisme sans consistance et sans autorité.

exemples de douceur et de force,

enseignements qu'il faut appliquer aussi à la vie sociale.

Pour vous, Vénerables Frères, continuez activement l'œuvre du Sauveur des hommes par l'imitation de sa douceur et de sa force. Inclinez-vous vers toutes les misères, qu'aucune douleur n'échappe à votre sollicitude pastorale, qu'aucune plainte ne vous trouve indifférents. Mais aussi, prêchez hardiment leurs devoirs aux grands et aux petits; il vous appartient de former la conscience du peuple et des pouvoirs publics. La question sociale sera bien près d'être résolue, lorsque les uns et les autres, moins exigeants sur leurs droits mutuels, rempliront plus exactement leurs devoirs.

Directions pratiques. Que les *évêques* continuent l'œuvre de Jésus avec douceur et force, par la charité et la doctrine.

De plus, comme dans le conflit des intérêts, et surtout dans la lutte avec des forces malhonnêtes, la vertu d'un

Qu'ils ne négligent pas le travail social;

homme, sa sainteté même ne suffit pas toujours à lui assurer le pain quotidien, et que les rouages sociaux devraient être organisés de telle façon que par leur jeu naturel ils paralysent les efforts des méchants et rendent abordable à toute bonne volonté sa part légitime de félicité temporelle, nous désirons vivement que vous preniez une parte active à l'organisation de la société dans ce but. Et à cette fin, pendant que vos prêtres se livreront avec ardeur au travail de la sanctification des âmes, de la défense de l'Église, et aux œuvres de charité proprement dites, vous en choisirez quelques-uns, actifs et d'esprit pondéré, munis des grades de docteurs en philosophie et en théologie, et possédant parfaitement l'histoire de la civilisation antique et moderne, et vous les appliquerez aux études moins élevées et plus pratiques de la science sociale, pour les mettre, en temps opportun à la tête de vos œuvres d'action catholique. Toutefois que ces prêtres ne se laissent pas égarer, dans le dédale des opinions contemporaines, par le mirage d'une fausse démocratie; qu'ils n'empruntent pas à la rhétorique des pires ennemis de l'Église et du peuple un langage emphatique plein de promesses aussi sonores qu'irréalisables. Qu'ils soient persuadés que la question sociale et la science sociale ne sont pas nées d'hier; que, de tous temps, l'Église et l'État, heureusement concertés, ont suscité dans ce but des organisations fécondes; que l'Eglise, qui n'a jamais trahi le bonheur du peuple par des alliances compromettantes, n'a pas à se dégager du passé et qu'il lui suffit de reprendre, avec le concours des vrais ouvriers de la restauration sociale, les organismes brisés par la Révolution et de les adapter, dans le même esprit chrétien qui les a inspirés, au nouveau milieu créé par l'évolution matérielle de la société contemporaine: car les vrais amis du peuple ne sont ni révolutionnaires, ni novateurs, mais traditionnalistes.

qu'ils désignent, pour les études et les œuvres sociales, des prêtres aptes

qui ne se laissent pas égarer et n'oublient pas ce que l'Église a fait.

Que la jeunesse du *Sillon* s'associe à cette œuvre:

Cette œuvre éminemment digne de votre zèle pastoral, nous désirons que, loin d'y faire obstacle, la jeunesse du *Sillon*, dégagée de ses erreurs, y apporte dans l'ordre et la soumission convenables un concours loyal et efficace.

que les chefs laissent la di-

Nous tournant donc vers les chefs du *Sillon*, avec la confiance d'un Père qui parle à ses enfants, nous leur

demandons pour leur bien, pour le bien de l'Eglise et de la France, de vous céder leur place. Nous mesurons, certes, l'étendue du sacrifice que nous sollicitons d'eux, mais nous les savons assez généreux pour l'accomplir, et, d'avance, au nom de Notre-Seigneur Jésus-Christ, dont nous sommes l'indigne représentant, nous les en bénissons. Quant aux membres du *Sillon*, nous voulons qu'ils se rangent par diocèses pour travailler sous la direction de leurs évêques respectifs à la régénération chrétienne et catholique du peuple, en même temps qu'à l'amélioration de son sort. Ces groupes diocésains seront, pour le moment, indépendants les uns des autres; et afin de bien marquer qu'ils ont brisé avec les erreurs du passé, ils prendront le nom de *Sillons catholiques* et chacun de leurs membres ajoutera à son titre de *Silloniste* le même qualificatif *de catholique*. Il va sans dire que tout Silloniste catholique restera libre de garder par ailleurs ses préférences politiques, épurées de tout ce qui ne serait pas entièrement conforme, en cette matière, à la doctrine de l''Eglise. Que si, Vénérables Frères, des groupes refusaient de se soumettre à ces conditions, vous devriez les considérer comme refusant par le fait de se soumettre à votre direction; et, alors, il y aurait à examiner s'ils se confinent dans la politique ou l'économie pure, ou s'ils persévèrent dans leurs anciens errements. Dans le premier cas, il est clair que vous n'auriez pas plus à vous en occuper que du commun des fidèles; dans le second, vous devriez agir en conséquence, avec prudence mais avec fermeté. Les prêtres auront à se tenir totalement en dehors des groupes dissidents et se contenteront de prêter le secours du saint ministère individuellement à leurs membres, en leur appliquant au tribunal de la Pénitence les règles communes de la morale relativement à la doctrine et à la conduite. Quant aux groupes catholiques, les prêtres et les séminaristes, tout en les favorisant et en les secondant, s'abstiendront de s'y agréger comme membres; car il convient que la milice sacerdotale reste au-dessus des associations laïques, même les plus utiles et animées du meilleur esprit.

rection aux évêques;

que les membres se rangent par groupes diocésains soumis aux évêques,

lesquels groupes s'intituleront *Sillons catholiques*.

La conduite des évêques envers les récalcitrants.

Les prêtres et les séminaristes ne se feront pas membres.

Telles sont les mesures pratiques par lesquelles nous avons cru nécessaire de sanctionner cette lettre sur le *Sillon* et les Sillonistes. Que le Seigneur veuille bien, nous l'en

Appel à la soumission.

prions du fond de l'âme, faire comprendre à ces hommes et à ces jeunes gens les graves raisons qui l'ont dictée, qu'Il leur donne la docilité du cœur, avec le courage de prouver, en face de l'Eglise, la sincérité de leur ferveur catholique; et à vous, Vénérables Frères, qu'Il vous inspire pour eux, puisqu'ils sont désormais vôtres, les sentiments d'une affection toute paternelle.

C'est dans cet espoir, et pour obtenir ces résultats si désirables, que Nous vous accordons de tout cœur, ainsi qu'à votre clergé et à votre peuple, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près de St. Pierre, le 25 Août 1910, la huitième année de Notre Pontificat.

PIUS PP. X.

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XV, pag. 528).

—

QUÆSTIO V.

QUOMODO SE HABEANT AD INVICEM GRATIA CREATA, I. E. GRATIA SANCTIFICANS RELIQUAQUE DONA A DEO PRODUCTA SEU INFUSA, ET GRATIA INCREATA SEU SPIRITUS SANCTUS INHABITANS JUSTUM.

28. Ut jam diximus, apud omnes in confesso est præter gratiam creatam, ut ajunt, ipsum quoque Spiritum sanctum in justis inhabitare, sive personaliter, quemadmodum alii censent, sive per appropriationem tantum, ipsa divinitate seu Personis divinis communiter manentibus æquali modo in justis, ut aliis videtur.

Inde oritur quæstio nostra quomodo ad invicem se habeant gratia creata et Gratia increata, cui nunc respondemus quæstioni:

1° *In ratione causæ efficientis,* ipsum Deum ad extra operantem causam esse gratiæ sanctificantis omniumque reliquorum donorum a se in animam justi infusorum, actionemque producendi hæc dona sanctificantia, utpote actionem ad extra, communem esse tribus SS. Trinitatis personis, merito autem appropriari Spiritui sancto, agnoscunt ac porro agnoscere debent omnes. Quod sufficiat notasse.

Ratio causæ efficientis est ergo hac in re nostra extra

quæstionem. Imo, ipsa quoque unio justi cum Spiritu sancto active sumpta seu actio divina uniendi justum cum Spiritu sancto, eadem ratione eademque de causa, est communis Trinitatis actio, quemadmodum unio activa in incarnatione Verbi pariter communis est, quamquam in hac sicuti in unione justi cum Spiritu sancto, eadem actio communis merito appropriatur Spiritui sancto. Nullatenus vero ex his solvitur quæstio an in unione passive sumpta seu in hoc quod est unitum esse alter terminus, nempe Spiritus sanctus personaliter intelligendus sit, anvero per appropriationem tantum; quemadmodum non obstat solum Verbum seu personam secundam solam esse incarnatam, quod quidem de fide est.

29. 2° *In ratione causæ dispositivæ* (quæ proin sese habet quodammodo ex parte causæ materialis), gratia sanctificans cum annexis donis est causa dispositiva ad habendum Gratiam increatam seu Spiritum sanctum inhabitantem. « Dicendum, *ait S. Thomas* (1), quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam divinam personam. » Et rursus (2): Dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur. Et ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiæ gratum facientis, et tamen ipsa persona divina datur. » Quæ quidem amplius explicabuntur in sequentibus.

30. 3° *In ratione causæ formalis*, est quidem gratia sanctificans cum cæteris donis causa unica formalis justitiæ seu rectitudinis supernaturalis coram Deo, qua Deo gratus ac amicus constituitur homo, qua nempe consors seu particeps fit eorumdem illorum divinorum bonorum, cum sine communione boni non intelligatur amicitia; non tamen est per se sola causa proprie

(1) 1ª, q. 43. a. 3, ad 2m.
(2) Ibid., ad 1m.

formalis (nec esse potest ut vidimus) (1) consortii ipsius naturæ divinæ seu deiformitatis atque adoptionis in filium: etenim amicus nondum est filius adoptivus, et verum consortium ipsius divinæ naturæ seu adoptio in filium non fit gratia creata seu donis gratiæ productis, nisi dispositive, sed formaliter ad hoc requiritur conjunctio cum ipsa divinitate seu cum persona divina. Ne tamen inde concludas Deum seu Spiritum sanctum esse causam proprie formalem deiformitatis ac adoptionis, sed causa hujus formalis est unio passive sumpta seu unitum esse cum Spiritu sancto, aliis verbis, causa formalis adoptionis in filium seu deiformitatis est illa relatio dependentiæ realis, in ordine intentionali, personæ humanæ a persona divina Spiritus sancti, substantialiter hominem inhabitantis, qua hominem secundum se totum idem Spiritus dignificat, ita ut justus, præter dona producta et infusa, quibus supra naturam ad ordinem divinum evehitur, et in quibus principium connaturale invenit vitæ et operationum supernaturalium ac divinarum, atque dispositionem ad evectionem in filium Dei: secundum totam suam personam, animam et corpus, dignitate quadam divina extollatur, et omnis quoque vita sua et actio, nam actiones sunt suppositorum, majorem divinamque dignitatem acquirant.

Hæc omnia jam, quomodo sint intelligenda et e fontibus fidei quomodo comprobentur ac elucidentur, latius exponendum est. Sit ergo:

QUÆSTIO VI.

Cujus naturæ sit divina inhabitatio in justis, et sitne aliqua propria personæ Spiritus sancti, exquiritur e fontibus fidei.

31. Utramque quæstionem simul versamus, quoniam textus S. Scripturæ et sententiæ SS. Patrum eas simul

(1) Supra, n. 3

respiciunt, sicut porro eædem quæstiones sunt intime connexæ. Præmittendæ autem sunt quædam notiones generaliores claritatis gratia.

§ I.

Notiones præviæ.

Itaque Deus, ut creator et supremus auctor naturæ, ratione immensitatis suæ, modo communi tribus SS. Trinitatis personis (1), omnibus rebus inest secundum substantiam seu essentiam, in omnibus operatur, et omnibus providet omniaque perspicit, quod barbaris vocibus breviter dicitur Deum in omnibus esse enter, potenter, præsenter.

Cum autem rebus creatis diversa insit perfectio, intelligitur Deus, modo illo communi tribus divinis personis, diversa quoque ratione pro diversa creaturarum perfectione iisdem inesse per substantiam, operari per omnipotentiam, adesse per scientiam ac providentiam. Sic in creaturis intellectualibus Deus, qui summe intelligibilis est ac summa intelligentia infinitumque bonum, inest ut objectum summe cognoscibile et amabile; in iisdem operatur intellectualiter, longe perfectius quam in rebus intellectu expertibus; iisdemque rursum perfectius prospicit ac præsens est; idque manendo etiam intra limites ordinis naturalis (2).

Et in hac quidem perfectione qua natura intellectualis propius ad ipsum Deum, actum purum intelligendi ac volendi, accedit, consistit potentia obedientialis, quam

---

(1) Deus in operando ad extra, ut alibi vidimus (*Medit. theol.*, p. II, n. 225, ed. gallicæ n. 63, coll. part. I, n. 162), operari intelligitur sub ratione tribus personis communis et unius essentiæ, secundum tamen quod essentia comprehendit appropriata, non secundum quod in omnimoda absolutione consideratur: Deus enim est causa finitarum rerum per essentiam suam, ratione appropriatorum, quæ sunt essentialia considerata in personis, ut exponit S. Bonaventura, in I, dist. 36, p. I, q. II.

(2) Cf. *Medit. theol.*, p. II, c. I, art. V, § 5.

vocant, creaturæ rationalis ad hoc ut evehatur ultra omnem naturam creatam aut creabilem ad ordinem divinum, et ad proprie dictam *unionem* cum Deo, cujusmodi jam est inhabitatio illa mirabilis Spiritus sancti quam in præsenti ordine S. Litteræ et Patres prædicant.

32. Jam consideremus ulterius Deum, cum sit primum principium, esse pariter ultimum finem omnium rerum. Quemadmodum autem sese manifestat et exserit primum principium perfectius in creaturis intellectualibus quam in aliis producendis, perfectiusque in illis tripliciter inest, ut diximus, sic oportet easdem creaturas intellectuales, quæ a Deo processerunt, in Deum ut finem ultimum, non mere passive dirigi, ut irrationalia, sed sub providentia et concursu Dei ad Deum regredi activitate sua intellectuali, agnoscendo Deum eumque diligendo ut finem. Quod quidem in ordine naturali factum fuisset imperfecte, pro imperfectione cuivis naturæ creatæ inhærente, nempe prosequendo cognitione et amore atque demum in termino attingendo Deum, ut sese manifestat operibus estque omnium Creator et Dominus, propriis naturæ viribus intellectualibus, sicque fruendo tandem felicitate finali imperfecta, creaturæ imperfectæ proportionata. In ordine vero præsenti, quod sola revelatione divina novimus, beneficio omnino gratuito Deus nos destinavit ad finem illum excelsum, nulli creaturæ etiam possibili debitum aut obtentu possibilem, qui in ipsa visione Dei, ut in se est, consistit atque in participatione beatitudinis ipsius summæ Trinitatis. Ad quem proinde finem non tam regredi quam potius a Deo reduci, cooperantes quidem, nos oportet (1). Adeoque, respectu hujusmodi finis, non solum inest nobis Deus per substantiam, per operationem et per præsentiam, prout naturaliter et

---

(1) Cf. S. Thomas, in 1, dist. 14, q. 2, a. 2; et *De Virt. in Communi*, Q. unica inter *Disp.*, a. 10, de quo textu vid. *Médit. théol.*, vol. I, pag. 508, note, (édit. française).

necessario tamquam Creator in creatura intellectuali adest, sed voluntarie et gratuito, *providentia* supernaturali atque *operatione* donorum supernaturalium, quibus instructi capaces fiamus prosequendi finem illum divinum, Deus nobis inest, sed et *ipsa quoque substantia,* ut cognitum et amatum in cognoscente et amante supernaturaliter, modo longe diverso ; ipseque Spiritus sanctus merito dicitur nos inhabitare ut templum suum, nobisque uniri ab hac jam vita ad fruitionem inchoatam divinæ personæ, in termino vero beato ad fruitionem consummatam atque perfectam per unionem simul ineffabilem cum Verbo divino, per quam fruemur visione et beatitudine ipsius divinæ Trinitatis, ut postmodum exponemus.

33. Itaque pervenimus ad objectum princeps nostræ inquisitionis, videlicet de inhabitatione Spiritus sancti in sanctis; nam de præsentia seu providentia speciali in ordine supernaturali, imo et de operatione Dei in eodem ordine non est difficultas, ut jam advertimus supra n. 28.

Tota quæstio est quomodo concipienda sit inhabitatio divina, seu quo *speciali modo* in præsenti ordine, et nunc quidem primum loquendo de justis in hac vita, Deus eisdem secundum substantiam insit, eosque merito dicatur inhabitare.

Nullum dubium est de facto hujusmodi inhabitationis, ut jam diximus et luculenter exponit S. Bonaventura, quem omnium nomine audiamus: « Ad fruendum eo quo fruendum est, requiritur præsentia fruibilis et etiam dispositio debita fruentis; unde requiritur præsentia Spiritus sancti et ejus donum, scilicet amor quo inhæreatur ei. Verumtamen cum datur nobis Spiritus sanctus non incipit esse in novo loco, sed novo modo per productionem novi effectus et novi respectus, quo creatura se aliter habet ad Spiritum sanctum quam prius, propter quod et ipse dicitur aliter esse in creatura quam prius, quia est in ipsa ut in cognoscente et

amante [supernaturaliter] ipsum, quod non fuit prius. Ex jam dictis patet quod in justificatione duplex charitas nobis datur, scilicet creata et increata, illa qua diligimus et illa qua diligimur... Ex his colligitur quod, licet Deus sit in omnibus per essentiam, præsentiam et potentiam, non tamen *habetur* ab omnibus hominibus per gratiam (1). »

Atvero in quo proprie consistat illa unio seu inhabitatio, hic labor est, et an sit Spiritui sancto propria, qua de re dissentiunt theologi.

Hæ duæ quæstiones, ut patet, intime connexæ sunt, nec una sine altera ex integro solvi potest, adeoque et in S. Scriptura si quid deprehendi potest de inhabitatione Spiritus sancti in justis an propria sit sancto Spiritui, de natura quoque hujus inhabitationis aliquod lumen afferre poterit, præsertim adjectis Patrum sententiis, quod dein theologorum declarationibus auctum conspicere conabimur.

§ II.

Doctrina circa inhabitationem Spiritus sancti in justis e fontibus fidei, et 1° quidem præsertim ex Scriptura.

34. In sacris paginis occurrunt de inhabitatione divina justorum textus qui ad plures diversasque classes reduci possunt ac debent.

1° Sunt textus qui de operatione Spiritus sancti seu efficientia ejus in nobis agunt, ut 1 Cor., XII, 3 et sqq.: « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult » (v. 11). Item Joan., XIV, 26: « Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. » Et XVI, 13: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit

(1) *Compend. theol. verit.*, c. IX.

vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, » etc.

In his autem, quantum attinet operationem, de Spiritu sancto per appropriationem agitur. Nullatenus tamen, ut supra advertimus (1), ex his solvitur quæstio an in unione passive sumpta, seu in hoc quod est unitum esse, Spiritus sanctus, ut alter unionis terminus, per appropriationem tantum, anvero personaliter intelligendus sit.

Ex aliqua vero speciali operatione Spiritui sancto appropriata deduci eatenus posset natura ac indoles inhabitationis ejusdem Spiritus, quatenus, cum hujusmodi operatio cum caractere personali sancti Spiritus speciali modo conveniat eumque caracterem manifestet, ita quidem ut eidem nonnumquam nomen imponat, pariter ad inhabitandi modum Spiritus ita in nobis operantis declarandum manuduceret. Nequaquam autem valet generalis hæc conclusio: operatio Spiritus in nobis est communis Trinitati, ergo et inhabitatio, ut infra latius explicabitur.

2° S. Scriptura aliquando justos vocat templum Dei (2) et templum Spiritus sancti (3); e quibus ne concludas non personaliter inhabitare in justis Spiritum sanctum, cum, si ita est, nihilominus merito templum Dei dicuntur sancti: si enim Spiritus sanctus Deus est, quos inhabitat, etiam si personaliter, sunt Dei templum; quod cæterum Apostolus exprimit: « Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis » (4). Sed neque e converso templum Spiritus sancti illico personalem habitationem Spiritus sancti significat, quæ non dicatur per appropriationem.

Id unum hac opportunitate notare vellemus, quod postea usuveniet, non tantum animam justi dici tem-

(1) Num. 28.
(2) 1 Cor., III, 16; 2 Cor., VI, 16.
(3) 1 Cor., l. c , et VI, 19.
(4) 1 Cor., III, 16, et cf. *Ephes.*, II, 21 et 22.

plum Spiritus sancti sed ipsum justum, totam proin personam, ipsumque corpus, ut loquitur Apostolus: « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri... Glorificate et portate Deum in corpore vestro » (1).

3° Dicuntur in S. Litteris Pater et Filius mansionem facere apud justum (2) et Christus inhabitare per fidem in cordibus (3); evidenter non excluso sed simul cum Spiritu sancto; profecto per fidem, nisi sit charitate formata quæ appropriatur Spiritui sancto, nonnisi improprie aut nullo modo inhabitare dici posset Christus in cordibus. Pater et Filius pariter, diligentes apud dilectum in Spiritu sancto, mansionem facere dicuntur.

Sed ex his minime solvitur quæstio nostra : posito enim Spiritum sanctum, non solum per appropriationem sed personaliter inhabitare justos, semper verum manet totam Trinitatem manere apud illos propter inseparabile in unitate Trinitatis personarum distinctarum vinculum. Atvero, cum vere et realiter distinctæ sint personæ, quis demonstrabit repugnare ut unius *modus* inhabitationis distinctus ac diversus sit a modo alterius vel aliarum duarum? Quod quidem nemo demonstravit, neque proin ex his quæstionem nostram solvere potuit.

Tandem 4° sunt ut alii textus sacrorum librorum haud pauci qui multo propius ad rem nostram faciunt, adque unionis illius mirabilis Spiritus sancti cum justo naturam ac indolem explicandam et sitne propria quoque personæ Spiritus sancti dijudicandum conferunt, adhibita præsertim Patrum doctrina.

35. Inter hos textus præprimis considerandi sunt illi, in quibus de datione Spiritus sancti sermo est, quales sunt Joan., XIV, 16 et 17 : « Et ego rogabo Patrem et

(1) 1 Cor., VI, 19 et 20.
(2) Joan., XIV, 23.
(3) Ephes., III, 17.

alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit et in vobis erit ». Pariter Rom., V, 5: « Charitas Dei [qua Deus nos diligit] diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ».

His positis, dicimus: Spiritus sanctus eatenus eoque modo inhabitat ac unitur justis atque ab iis habetur, quatenus et quo modo iisdem datur. Atqui datur personaliter: datur a Patre per Filium ut persona ab his distincta; datur, dicente apud Joannem Christo, ut *alius* a Christo paraclitus; qui, recedente Christo, manebit nobiscum in æternum. Ergo similiter unitur nobis nosque inhabitat, et habetur a nobis (quem habemus a Deo, ait Apostolus) (1) ut est persona distincta a Patre et Filio. — Adde quod missio visibilis Spiritus sancti in specie columbæ et in linguis igneis fuit propria personæ Spiritus sancti, non Patris neque Filii, ut agnoscunt omnes: quo jure ergo missio invisibilis concomitans et significata per visibile signum, seu datio Spiritus sancti diceretur non propria seu non personalis? Si autem persona ipsa, prout distincta a Patre et Filio, datur: ergo et ut talis habetur.

Huic argumento nullum responsum inveni apud illos theologos qui non aliam inhabitationem Spiritus sancti asserunt quam communem cum cæteris divinæ Trinitatis personis. Nam quod illi objiciunt: Filium quoque nobis datum esse, juxta illud Joan., III, 14: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret », quid obstat? Id ultro concedimus, eo vel magis quod Filius quoque personaliter datus sit, ut homo fieret et seipsum daret seu immolaret pro nostra salute. Sed num inde concludes Filium *æquali modo* dari nosque inhabitare quo Spiritus sanctus, qui datus est ut

(1) 1 Cor., VI, 19.

alius a Christo paraclitus, et cujus caracter proprius est esse donum seu donabilem, quod nemo negare potest.

36. Opponunt igitur quoque, donum tamen dici posse in divinis, sicut et charitatem, dupliciter : essentialiter nempe et personaliter. Et hac quidem acceptione, solus Spiritus sanctus est donabilis seu donum Patris et Filii; illa vero, commune est Patri quoque et Filio esse donum, quatenus trium una est bonitas sese communicans. At hoc sensu, si Filius dici potest mitti a Patre, non tamen dari nisi sensu minus stricto, æquivalente cum *mitti* quatenus a Patre procedit : nam dari ut donabilis, ut donum, implicat procedere ut donum, quod est proprium Spiritui sancto. « Exiit, *ait Augustinus* (1), non quomodo natus sed quomodo datus : et ideo non est Filius. » Atqui et datur nobis a Patre et Filio Spiritus sanctus ut *alius* a Filio paraclitus, et mansurus in nobis in æternum, recedente Christo : ergo ut donabilis, ut donum, ut distinctus a Patre et Filio.

Neque effugium quæratur in hoc quod, si donabilitas implicat modum procedendi proprium Spiritui sancto, nullam tamen involvit relationem ad extra, ad creaturas. Qui sic loquitur, non attendit hoc quod Verbum et Spiritus sanctus procedunt cum relatione radicali, ut ita dicam, ad creaturas, quemadmodum alio in loco exposuimus (2). Quod igitur Spiritus sanctus est donum seu donabilis implicat ab una parte modum proprium procedendi, ab altera parte relationem quamdam radicalem dicit ad creaturas, præprimis in quantum sanctificandas, quibus donabilis est. Neque enim donabilis intelligitur divinis personis, Patri Filioque a quibus tamquam ab uno principio ut donum seu donabilis procedit, sed ad extra donabilis. Ideo Augustinus æternam processionem potentiali nomine *donabilis* ex-

---

(1) *De Trin.*, l. V, c. XIV, quod totum lege, simul et præclaram disputationem Petavii, *De Trin.*, l. VIII, c. III et VI, præs. n. VI.

(2) *Medit. theol.*, part. I, n. 136.

ponit, *dati* vero seu *donati* missionem in tempore, utrique porro *doni* vocabulum accommodat: « Quia, *inquit* (1), sic procedebat ut esset donabile, jam donum erat et antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur, donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo potest. » Quamquam alibi (2) *donum* sumit non sensu *donabilis* sed *dati:* « In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur; » seu, ut paulo supra dixerat: « in quantum datur eis, qui per eum diligunt Deum. »

37. Merito quoque hoc advertimus quod in textu evangelico JOAN., XIV, nuspiam dicit Christus: dabit me Pater, imo nec: mittet me Pater; sed *veniam ad vos* (v. 18); qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et *manifestabo ei meipsum* (v. 21); et Pater meus diliget eum, *et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (v. 23). De Spiritu vero sancto: Et ego rogabo Patrem, *et alium paraclitum dabit vobis* (v. 16); *quem mittet Pater in nomine meo* (v. 26); *quem ego mittam vobis a Patre* (XV, 26). In his videtur manifesto secerni donatio specifica et propria Spiritus sancti a communi divinarum personarum adventu: *veniam, veniemus,* et a specifico etiam caractere adventus Filii: *manifestabo ei meipsum;* ita ut inde confirmetur argumentum supra expositum: esse nempe aliquam inhabitationem Spiritus sancti seu unionem ejusdem cum justo specificam in ratione doni eique personalem et propriam, qua posita profecto et Pater et Filius veniunt et mansionem apud justum faciunt cum, licet realiter distinctæ, inseparabiliter indivisæ sunt S. Trinitatis personæ.

Hæc inhabitatio propria Spiritus sancti cujusmodi sit ulterius explicandum erit, cum heic fere nonnisi factum talis inhabitationis asseramus.

(Continuabitur).

---

(1) *De Trin.*, l. V, c. XV.
(2) L. XV, c. XIX ejusdem operis.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *Expone comparationem S. Paulo familiarem ex ludo currentium in stadio desumptam ejusque applicationes, in specie Phil.* 3, *12-16, coll. I Tim.* 6, *12; II Tim.* 4, *7-8; I Cor.* 9, *24 ss.*

Prænota. 1. Hoc fasciculo, infra, in Dissertatiuncula historico-exegetica elucidare conati sumus bipartitam quæstionem : « Quare et quomodo S. Paulus in variis Epistolis suis metaphoras a Ludis Olympiacis frequenter deprompserit ». Quam brevem tractationem præsenti quæstioni intelligendæ præsupponere liceat, ità tamen ut facilitatis gratiâ numeros (1, 2, 3 etc.) ibidem appositos obiter indicemus.

2. Varia certamina in dictis Ludis celebrata infra n. 10 breviter adumbramus, variis simul adductis S. Pauli textibus qui ad ea alludunt. Ne eadem tamen iterum dicere cogamur, quæ *de Cursu in stadio* speciatim (1) proponenda videntur, præsenti loco opportune tradimus, collatis vel saltem notatis singulis Epistolarum textibus huc spectantibus.

Respondetur. I. Comparatio ejusque fundamentum. Inter varias comparationes quas S. Paulus e Ludis Olympiacis desumpsit, similitudo a cursu (pedestri) petita ipsi longe magis familiaris apparet. Quod obvie explicatur ex præcellentiori loco quem cursus in dictis Ludis et probabiliter in aliis publicis certaminibus obtinebat (2) : omnes alios ludos gymnicos præcedebat ; imò antiquitus nullum aliud certamen celebrabatur quam

---

(1) Omnia singulis certaminibus *communia* infra explicantur.

(2) Cf. Bussemaker, apud Saglio et Daremberg, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, Paris, art. Cursus ; T. Nicol apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, art. Games.

στάδιον seu δρόμος. Cursus ille στάδιον vocabatur quia locum habebant in *stadio* (1) seu curriculo (infra. n. 2), hac lege ut, qui reliquos cursu antevertisset primusque juxta statutas regulas metam (σκόπος) occupasset, singulari præmio (βραβεῖον) seu corona (στέφανος) ornaretur. Quæ corona a certaminis judicibus βραβεύταις vel ἀγωνοθέταις; (cf. infra n. 4) victori decernebatur (2).

Curriculum vitæ christianæ cursui in stadio Paulus frequenter comparat. Cujus comparationis rationem recte indicat Theophylactus (3): « Nolite existimare, quod simulac credidistis et in Ecclesiæ stadium ingressi estis, istud vobis ad salutem sufficiat; quemadmodum etiam certantibus non sufficit, ut simpliciter currant, nisi hoc quoque adsit, ut inculpate et ad metam usque currant. Quare et ille solus, qui ita currit, bravium accipit ».

Curriculum apostolicum cursui gymnico pariter rite comparari poterat, et de facto ipsi assimilatur.

II. **Applicationes comparationis apud S. Paulum.**

In oratione S. Pauli Antiochiæ Pisidiæ (*Act.* **13**, 25) et in ejus oratione ad presbyteros Ephesinos (*Act.* **20**, 24) jam metaphora cursus reperitur: « Cum autem impleret Joannes (Baptista) cursum suum; — dummodo (ego Paulus) consummem cursum meum ».

In Epistolis autem comparatio valde frequens menti ejus obversatur. Ita jam *II. Thes.* **3**, 1 jubet Thessalonicenses orare pro fidei prædicatoribus « ut sermo Dei *currat* et clarificetur ». — Galatis (**2**, 2) scribit se ascendisse Jerosolymam et fidelibus Jerosolymitanis necnon

---

(1) Stadium proprie significat mensuram longitudinis 600 græcorum pedum (177 mètres 40), inde spatium ejusdem longitudinis et denique curriculum (fl. *renbaan*) quod Olympiæ et in potioribus Græcorum civitatibus eamdem longitudinem habebat.

(2) Superflue de variis cursûs speciebus diceremus; hæc apùd laudatos auctores legi possunt.

(3) Ad *I Cor.* **9**, 24 apud Cornely, *Commentarius in I ep. ad Corinthios*, Parisiis, 1890, p. 265.

primariis Apostolis se exposuisse suum Evangelium (1) ne forte in curriculo apostolico « in vacuum curreret aut cucurrisset » i. e. absque præmio seu fructu. Iisdem Galatis (5, 7) scribit : In via fidei et salutis « currebatis bene : quis vos (cursum vestrum) impedivit » ? — Sperat se « in die Christi » coronam gloriæ (cf. infra n. 4) esse adepturum « quia non in vacuum cucurrit neque in vacuum laboravit » apud Philippenses (*Philip.* 2, 16). Iisdem fidelibus scribit (3, 17-14): Omnia abjeci privilegia judaica ut Christum lucrifaciam « non quod jam acceperim (bravium) aut perfectus sim (τετελείωμαι : metam attigerim et ut victor corona ornatus sim) : sequor (continuo cursu bravium prosequor) autem, si quomodo comprehendam (illud) in quo et (propter quod bravium ego vicissim) comprehensus sum a Christo Jesu (die conversionis in via Damascena) ». Deinde statim comparationem pulchrè etiam in minimis premit (v. 13-14) : « Fratres ego non arbitror me comprehendisse (jam bravium). Unum autem (hoc ago) : quæ quidem retro sunt obliviscens, (et sicut cursor in stadio præcipite corpore ad metam præfixam et intentam ruit) ad ea vero quæ sunt priora (a fronte), extendens meipsum (2), ad destinatum (σκοπόν scopum) persequor (διωκῶ : accelero cursum), ad bravium supernæ vocationis (κλήσεως ; cf. infra, n. 2) Dei in Christo Jesu ».

In *I Cor.* 9, 24-27 peculiari modo ad conditiones et leges cursùs (v. infra, n. 3) alludit : « Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (3). Sic currite (in stadio vitæ christianæ) ut (ille unus et) comprehendatis (omnes bravium cæleste).

---

(1) *De Evangelio Pauli* cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 407 ss.

(2) Ἐπεκτεινόμενος fl. *voorwaarts uitgestrekt*.

(3) Præmium in Ludibus Olympiacis erat singulare pro singulo certamine : quod in applicatione imaginis non est urgendum, cum in spirituali certamine omnes qui « legitime » et perseveranter currunt, lauream immortalem accepturi sint, quod S. Paulus hic clare innuit (v. 25 b) et alibi explicite et dilucide docet.

Omnis autem qui in agone contendit (ὁ ἀγωνιζόμενος) ab omnibus se abstinet (quæ corpus debilitant vel minus flexibile reddunt; v. infra, n. 3): et illi quidem ut corruptibilem coronam (v. infra, n. 4); nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro (ad metam), non quasi in incertum (nescius quo cursum dirigam): sic pugno, non quasi ærem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo (v. infra, n. 10, 6): ne forte cum aliis prædicaverim (κηρύξας), ipse reprobus efficiar (*ib.* n. 2).

Quanta cum virium intensitate ac perseverantia S. Paulus curriculum suum apostolicum cucurrerit, neminem latet (1). Quando in secundis vinculis romanis ipsi « resolutio » seu mors instaret, poterat confidenter oculos in præteritum convertere atque gaudens exclamare (*II Tim.* 4, 7-8): « Bonum certamen certavi » i. e. tanquam bonus athleta præclarum certamen certavi ad religionem Christi mediis in difficultatibus propagandam; « cursum consummavi »: in stadio fidei tanquam bonus cursor (2) metam attigi, « fidem (christianam) servavi. In reliquo (ulterius, fl. *voorts*) reposita est mihi corona justitiæ (christianæ (3) scil.) quam reddet mihi Dominus (Christus) in illa die (judicii, tanquam agonotheta seu) judex justus, non solum autem mihi, sed et iis (gr. πᾶσι: omnibus) qui diligunt (ἠγαπήκοσι: dilexerunt np. vita sua sancta) adventum ejus ».

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. opusculum nostrum *De bekeering van den h. Apostel Paulus* (Geloofsonderricht, Brugge, 1910), p. 45 ss.

(2) Revera diuturnum ac continuum pro Christo certamen certaverat, et immensum vereque stupendum cursum in munere apostolico adimplendo absolverat.

(3) Ita melius retinetur metaphora certaminis et cursus, quam si explicetur « corona justa promerita ».

II

Q. *Indica tres catholicorum sententias quibus ulterius explicant dogma de resurrectione hominum, nominatim quoad idenditatem corporis resurgentis.*

R. Prædictæ quæstionis sensus optime explicatur his verbis: « Ex fidei documentis... constat credendam esse *corporum resurrectionem* (1). Quum autem, ut ait S. Gregorius: « non recte resurrectio dici possit ubi non resurgit quod cecidit » (2), patet etiam *identitatem numericam* corporum resurgentium ad fidem pertinere. Sed exinde nondum authentice constat quænam elementa hanc identitatem constituant, et in specie inquiritur, utrum ad identitatem numericam corporum resurgentium, requiratur identica illa *materia* ex qua ante mortem corpora constabant » (3).

In hac solvenda quæstione auctores etiam catholici abeunt in diversas sententias, quæ, ut videtur ad *tres* reduci possunt, quarum duæ dividunt auctores qui admittunt *hylemorphismum*, h. e. scholasticam doctrinam de essentiali constitutione compositi humani ex materia prima et forma substantiali, nempe anima rationali (4); tertia sententia est illorum qui potius *atomismum* aut *dynamismum* (5) amplectuntur.

Prima sententia dicit ad identitatem numericam corporis resurgentis requiri non solum eamdem numero animam, sed etiam eamdem numero materiam primam, quam anima ante mortem informavit, eamdem scilicet numero materiam saltem quoad essentiales partes corporis (6). — Hanc sententiam quidam scholastici, ut

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 458 ss.

(2) *Moralium* L. XIV, c. 27.

(3) Mierts, *De resurrectione corporum*, Lovanii, 1890, p. 84 s.

(4) Cf De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 310.

(5) Cf. id., *o. c.*, n. 309.

(6) Hanc sententiam tenent S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. 1, a. 1. sol. 1 et 3; *Quodlibetum* XI, a. 6; S. Bonaventura, in IV, dist. 43, a. 1,

videtur, ulterius intelligebant hoc sensu quod eadem materia prima, quam anima humana informabat *tempore mortis*, eidem animæ sit restituenda et ita quidem ut materia prima alicujus partis (v. gr. ossium) non transeat ad partem *heterogeneam* (v. gr. carnium), licet possit Deus supplere partem materiæ, quæ deficiat, v. gr. in illis qui infantili ætate mortui sint. Alii auctores, nominatim Bautz (1), censent ad identitatem corporis resurgentis requiri, sed sufficere, ut materia prima, quæ olim *unquam* h. e. *in quocumque vitæ momento* fuit informata ab anima humana eidem restituatur, vel saltem ut ex materia prima, olim unquam informata ab anima humana, eidem restituatur *quantitas illa* quæ necessaria est ad primam formationem corporis humani.

Aliam explicationem valde diversam proponit Ill^mus Lambrecht, docendo *quamlibet* materiæ primæ *partem*, etiam minimam, quæ fuerit unquam ab anima alicujus hominis informata, *sufficere* ut, si iterum eidem uniatur animæ, constituatur *in debita quantitate* idem numero corpus humanum. « Materia prima non est ex seipsa (h. e. sine forma substantiali) neque *quid*, neque *quale*, neque *quantum:* ac proinde moveri hîc non potest quæstio, quomodo una eademque numero materiæ *quantitas pluribus tota* restitui possit, cum *tota singulis* restitui deberet. Quantitas enim oritur ex forma substantiali ad hanc materiam primam accedente, hîc autem agitur de materia, separata a forma substantiali. Ergo

---

q. 4, dist. 44, p. I, a. 2, q. 1 et 2 (Edit *Ad Claras Aquas* [Quaracchi] 1882-1902, t. IV. p. 887 ss., 910 ss.); Capreolus, in IV, dist. 44, Q. 1, a. 1 (Edit. Turonibus, 1900-1908, t. VII, p. 52 ss.); Soto, in IV, dist. 44, a. 2 et 3; Suarez, *De Mysteriis vitæ Christi*, disp. 44, sect. 2, n. 5 ss.; major, ut videtur, pars theologorum, inter quos recentiores Jungmann, *De Novissimis*, n. 228 ss.; Mierts, *o. c.*, p. 87 ss.; Cellini, *Bibbia e filosofia nel dogma cattolico della risurrezione dei morti*, in *Scuola cattolica* (Milano) 1910, p. 804 ss.

(1) *Die Lehre von Auferstehungsleibe*, Paderborn, 1877, p. 125, 131, cit. apud Wetzer und Welte, *Kirchenlexikon*, Freiburg i. Br., 1882, t. I, col. 1600.

si centum vel mille corpora morientia successive ex eadem numero materia constiterint, nihil obstat quominus singula in sua eademque numero materia resurgant: sufficit ista materia ad tot corpora efformanda, modo formæ substantiales, scilicet animæ, eidem hujusmodi quantitatem subministrent » (1).

Secunda sententia tenet ad identitatem hominis resurgentis sufficere ut eadem numero anima humana iterum uniatur cuilibet sub debita quantitate existenti materiæ primæ, sive hæc olim ab eadem anima jam fuerit informata, sive non (2). — Bene notemus in hac sententia supponi animam rationalem esse *unicam* formam substantialem hominis (3): quod si negatur, jam evidens est non ex sola anima numero eadem posse iterum constitui eumdem numero hominem.

Tertia sententia tenet aliquam entitatem physicam, realiter distinctam ab ipsa anima humana, esse formale principium unitatis corporis humani et identitatis corporis resurgentis. Sed alii aliter explicant naturam hujus principii identitatis. Alii existimant animam humanam

---

(1) *Analysis tractatus de Novissimis,* Gandavi 1888, p. 163. — Hæc opinio minime admitti potest: licet enim in corpore constituto *quantitas,* sub qua actualiter corpus extenditur, proveniat a forma substantiali, tamen forma substantialis, in casu, anima humana, nequit quantitatem determinatam induere cuilibet parti materiæ primæ, sed oportet materiam primam (sub alia forma substantiali existentem) esse in *debita quantitate* et sub certis dimensionibus ut possit anima humana corpus sub debita sibi quantitate reconstituere. Ergo licet materia alicujus cadaveris sit in potentia ad *singula* corpora ex 100 hominibus reconstituenda, non est in potentia ad *omnia simul.* Cf. MIERTS, *o. c.*, p. 220 ss.

(2) Hanc sententiam propugnant DURANDUS, in IV, dist. 44, q. 1; JOANNES DE NEAPOLI, *Quodlibetum* II, q. 6 (cit. a CAPREOLO, *o. c.*); recentius HETTINGER, *Apologie du Christianisme*, Bar-le-duc, 1869, t. I, p. 367 s.; HOR. MAZZELLA, *Prælectiones scholastico-dogmaticæ,* Romæ, 1904, vol. 4 (cit. a CELLINI, *o. c.*); BILLOT, *De Novissimis*, Romæ, 1902, thes. 13, p. 152 ss. DELVAL, *Sacra Theologia dogmatica,* Matriti, 1908, t. III, p. 710, censet hanc sententiam sufficientem esse qua salvetur dogma catholicum, sed materiæ identitatem esse propugnandam ex quadam convenientia morali.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 367.

germini cuidam subtiliori et immutabili conjunctam esse quod nunquam dissolvatur et nunquam ab ea ne per mortem quidem separetur: ressurrectio, secundum hanc hypothesim, esset in hoc quod illud germen evolveretur in corpus humanum, hocque prodiret sicut papilio ex nympha (1). — Alii censent principium unitatis esse quamdam *vim*, ab anima distinctam sed ipsi adhærentem; ressurrectio in hoc esset quod hæc vis iterum fieret agens elementisque materialibus conjungeretur ac cum illis restitueret corpus humanum (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Breviter ostende quam iniqua sit in se spectata lex divortii civilis, et quam infaustæ sint ejusdem sequelæ.*

R. *Prænota.* In quæstione et responso attendimus legem divortii civilis, qualis in nostris regionibus passim est inducta, eamque in genere spectatam, abstractione facta a singularibus dispositionibus quæ in variis codicibus insertæ reperiuntur. Quo monito,

A. **Iniqua** est lex multiplici nomine:

1° *Ratione sacrilegæ usurpationis* regiminis, in matrimonium *fidelium*. Et sane causas statuere divortii importat exercitium auctoritatis et regiminis in matrimonium, cujus jurisdictio et legislatio, quod spectat conjugia christiana, soli exclusive competit Ecclesiæ.

2° Etiam hoc seposito: attento scil. solo matrimonio *infidelium*, vel posita hypothesi a Principe sæculari regi posse matrimonium quoque christianum, nihilominus iniquitatis esset arguenda lex nostra divortii, eo quod gravissimè attentare audet contra sanctissimum indissolubilitatis principium.

---

(1) Ita Bonnetus: cf. Jungmann, *o. c.*, n. 225; Mierts, *o. c.*, p. 191 ss.

(2) Laforêt, *Lss dogmes catholiques*, Bruxelles, 1859, L. XXVII, ch. 2, § 2, t. IV, p. 38 ss.

Revera *jure naturali et divino* indissolubile est vinculum conjugale. Equidem derogationes admittere potest lex divina, necnon etiam ipsa lex naturalis, matrimonii dissolubilitatem excludens, utpote quæ non nititur principiis juris naturalis primariis sed secundariis dumtaxat (1); atvero potestas derogationes hujusmodi inducendi reservatur soli Deo, vel Ecclesiæ quæ ad hoc divinitus delegetur et auctoritate divina, ministerialiter exercenda, muniatur (2). Penitus proinde excluditur princeps sæcularis, omni ipsi denegata auctoritate ad derogandum indissolubilitatis principio, etiam respectu matrimonii infidelium, quomodocumque ipsius regimini obnoxii.

Neque dicatur legem civilem divortii intactum relinquere vinculum matrimoniale, ac solam formalitatem attingere civilem: prætendit namque et, in quantum in se est, conatur, incasso licet conamine, ipsum vinculum attingere et disrumpere, adeo ut conjuges ab invicem prorsus separentur, ac cessent coram foro civili esse conjuges, ad novumque matrimonium ineundum legaliter apti existant (3).

B. **Infaustæ sequelæ.**

Licet lex civilis, ejusque per judicis sententiam applicatio, reipsa et efficaciter non disrumpat vinculum conjugale, ex eo tamen quod conjugibus facultatem

---

(1) Matrimonium esse indissolubile ex jure naturæ secundario, probatur apud De Smet, *De Sponsabilibus et Matimonio,* 2ª ed., n. 180 s., coll. n. 31.

(2) Quousque aliquid juri naturali contrarium possit permitti a Deo, et ab Ecclesia, exponitur *ibidem,* n. 31, coll. n. 183.

(3) Quod lex nostra civilis intendat ipsum vinculum matrimoniale disrumpere, et non solas formalitates civiles matrimonio accedentes, eruitur ex ipsa natura matrimonii civilis quod divortio disrumpitur: matrimonium nempe civile non est, coram lege nostra, mera declaratio a nupturientibus facta pro status civilis determinatione, sed habetur quasi verus contractus conjugalis, reddens virum et mulierem ad invicem conjuges cum omnibus juribus et obligationibus statui conjugali propriis; quod probant ipsæ dispositiones codicis civilis, necnon historia originis et institutionis matrimonii civilis.

facit legalem indissolubilitatem violandi, ipsi imputabiles sunt pessimæ sequelæ quæ ex matrimonii dissolubilitate natæ sunt sequi et de facto sequuntur. Nimirum

1° Multùm nocetur providæ *educationi prolium :* sollicitudo namque parentum pro præsenti sobole jam minuitur ex sola perspectione novæ familiæ condendæ, et sæpe sæpius evanescit postquam divortio sunt separati ac ad nova vota transgressi.

2° Infirmior redditur mutuus inter conjuges *amor* et debilior mutua fidelitas, sine quibus educatio rite institui nequit.

Et sane *per se*, quo firmius est vinculum et quo minus solutioni obnoxium, eo intimior erit unio animorum, eoque efficacior amor quo inter se devinciuntur conjuges, eo etiam libentius sufferentur mutui defectus et providius removebuntur discordiarum semina; contrà minus intimè conjungentur animi ubi prævidetur separatio, ac maxime frigescet amor in præsentem compartem ex prævisione conjunctionis cum altera persona, et facilè, vel ex leviori prætextu, dilectioni succedet tædium ac odium. Possibilitas etiam novi matrimonii minus retrahet ab illicitis fovendis amoribus et pernicisiora infidelitati incitamenta suppeditabit.

3° Relaxato indissolubilitatis principio, ac exinde excitata cupiditate et passione populari, via paratur ad *unionem liberam* necnon *ipsius matrimonii destructionem :* ad quam consequentiam, spectata hominum inconstantia et molestiarum impatientia, ac attenta potestatis civilis imbecillitate, ineluctabiliter ducet ac ducit motus popularis. Id timent indissolubilitatis vindices (1),

---

(1) « Continere divortia intra provisos terminos tam difficile factu est quam sistere in medio cursu acerrimarum flammas cupiditatum ». Ita Leo XIII, in allocutione habita die 16 Dec. 1901, apud *Collat. Brug.*, t. VII, p. 169 s.

« En opposant la liberté individuelle à l'indissolubilité du mariage, vous ne tarderez pas à aller plus loin que la loi de 1803, plus loin que la loi de 1792, vous arriverez à la doctrine de l'union libre, c. à d. à la ruine

id prosequuntur divortii fautores (1), illud jam prænuntiant mores et conceptus moderni et in specie divortiorum in immensum excrescens numerus (2).

---

de la société domestique ». Discours de *Mgr. Freppel*, 13 Juin 1882, apud RIBEROLLES, *Du Divorce par consentement mutuel et de la Répudiation en Droit Français*, Paris, 1904, p. 103. Ipse etiam *Brisson*, uti refert idem auctor, p. 96, simili modo arguebat, inquiens: « Ne vous contentez pas du divorce par consentement mutuel, mais introduisez dans la loi le divorce par volonté unilatérale; car c'est par là seulement que vous pourrez parvenir à affranchir les époux des véritables douleurs du mariage: mais alors, si vous demandez le divorce par volonté unilatérale, mieux vaudrait rendre l'union libre et abolir le mariage lui-même ». Cf. etiam LEMAIRE, *Le Mariage civil*, Paris, 1901, p. 167 s.; DIDON, *Indissolubilité et Divorce*, 5ª ed., Paris, 1880, p. 67-70.

(1) Ita *Naquet*, cujus opera divortium, anno 1884, reintroductum est in Gallia, crudè fatetur ad unionem liberam tamquam ad optatum finem esse deveniendum. Cf. RIBEROLLES, o. c., p. 152 ss.; ABRAM, *L'Evolution du Mariage*, Paris, 1908, p. 109 ss.; NYSTRÖM, *Das Geschlechtsleben und seine Gesetze*, 8e Aufl., Berlin, 1907, p. 231 ss. et 257 s. Eumdem scopum prosequuntur *socialistæ*.

Alii non pauci, si putant unionem liberam præsenti rerum ac morum conditioni nondum esse adaptatam, omni conatu adlaborant ut latissimam viam aperiant divortiis ac obviam et promptam reddant matrimonii solutionem etiam ex unius partis voluntate. In qua infausta tendentia eminent Paulus et Victor MARGUERITE, quorum videsis opellam *L'Elargissement du divorce*, ac opus *Les Deux Vies*: ipsorum formula est non *unio libera* sed *matrimonium liberum*. Cf. BÉCHAUX, *Réforme sociale* (1903), t. 45, p. 111 ss.; legas etiam HAMBURGER, *Het vrije Huwelijk*, Baarn, 1905; ABRAM, o. c., ubi, p. 208 ss., proponit propriam sententiam.

In eumdem sensum patroni scholæ germanicæ, sit dictæ « *Neue Ethik* »: matrimonium nempe, juxta ipsos, regit ac moderatur solus amor, seu intima animorum unio; quo amore perseverante sponte remanebit consortium conjugale, quo verò cessante, necessariò abrumpendum est vinculum matrimoniale, utpote quod anormalem statum ac immoralem sancit. Cf. BÖCKENHOFF, *Die Unauflöslichkeit der Ehe*, München, 1908, p. 22 s.

(2) Cf. KNOCH, *Rev. éccles. de Liége*, 1905-1906, pp 326-336; et, præ cæteris, JACQUART, *Essais de Statistique morale — Le Divorce et la Séparation de corps*, Bruxelles, 1909; ex computu ibidem instituto apparet, in Belgio, numerum divortiorum quotannis pronuntiatorum, anno 1870, fuisse 81, anno 1890, 373 et anno 1907 jam attigisse 841 (p. 14 s.); comparat etiam sub hoc respectu varias regiones, unde innotescit in Gallia passim pronuntiari, per annum, plus quam 10.000 divortia, in Statibus autem Fœderatis Americæ plus quam 66.000 (p. 73). Quantopere divortii licentia noceat dignitati mulieris latius ostendit MORIZOT-THIBAULT, *La femme et le Divorce*, apud *Réforme sociale* (1901), t. 42, p. 195 ss. Cf. etiam

4° Dissolubilitas matrimonii ac divortiorum praxis *fovent immoralitatem*, citra etiam nuptialium legum violationem, quemadmodum ostendere conatur incredulus auctor MORSELLI, *Per la polemica sul Divorcio*, notando quomodo cum multiplicatis divortiis numerus augeatur omnis generis criminum, præ cæteris suicidii, prostitutionis et ita porro (1).

Objectiones quæ solent invocari contra propositionis priorem partem, seu prætextus qui invocantur in favorem juris, ac imo obligationis, pro Statu civili indulgendi divortia, vix crisim admittunt. Nimirum

a/ frustra provocatur ad regimen *libertatis cultuum*, quasi ex hoc regimine tanquam corollarium sequi debeat divortium civile.

Et sane, etiamsi hoc regimen esset probandum, seu potius, attento præsenti rerum statu, tolerandum, nullatenus inde sequeretur a legislatore civili indulgendum esse divortium, puta in gratiam civium, quibus propria religio concedit matrimonii dissolvendi facultatem. Non debet namque Status civilis, ad salvandam cultuum libertatem ac vitandam conscientiarum coactionem, omnia indiscriminatim concedere quæ a variis religionibus indulgentur, sed nonnisi in quantum salva est altior lex naturæ, et integrum servatur bonum publicum: exigunt autem lex naturalis et bonum publicum societatis, ut indissolubilitatis principium intactum custodiatur. Ita

---

C. WILLEMS, *Philosophia Moralis*, Treviris, 1908, p. 398 s.; *Archiv. f. k. Kirchenr.*, 1909, p. 756 s.; SCHULZE, *Eherecht und Ehegesetzgebung in den Vereinigten Staaten Nord-Amerikas*. — Th. Pr. Quartalschrift, 1909, p. 769 ss.; DETREZ, *Mariage et contrat — Étude historique sur la nature sociale du droit*, Paris, 1907, ubi, p. 280, refert specimen litterarum divortium non secus ac matrimonium nuntiantium.

(1) « La statisque ascendante des divorces est le thermomètre de la moralité »: sic scripsit nuper *Vooruit*, id referente *Patriote*, 31 Dec. 1904. Cf. JACQUART, o. c., p. 55 64 et 78-84, ubi comparationem instituit inter frequentiam divortiorum ac frequentiam suicidii necnon legitimæ prolis diminutionem; ex qua comparatione eruit: « on constate que la fréquence du divorce coïncide dans l'ensemble avec un taux élevé de suicide et une faible natalité »; p. 57, coll. p. 78.

etiam proscribit Status civilis, nemine reclamante, polygamiam, licet eam admittant mahometani et mormones.

b/ æque inanis est prætextus deductus ex existentia *matrimonii civilis*, quasi ad illud necesario consequatur divortium civile.

Imprimis pessimum est regimen illud matrimonii civilis, quale apud nos viget, adeoque nihil probaret in favorem divortii civilis, si hoc logice sequeretur ex regimine matrimonii civilis: ex absurdo namque sequitur quodlibet.

Ulterius, admisso etiam in aliqua regione regimine matrimonii civilis et planè sæcularizati, nondum *coram stricta logica* postulatur divortii civilis licentia (1): matrimonium namque, etiamsi esset contractus merè profanus, maneret tamen contractus specialis generis, qui ex ipsa sua natura petit esse indissolubilis; ac princeps civilis, in moderanda legislatione matrimoniali, si ipsi esset concredita, uti de facto ipsi competit respectu infidelium, iisdem adstringeretur præceptis legis naturalis et divinæ, indissolubilitatem urgentibus, quam ipsa Ecclesia.

IV

Q. *An et quandonam permitti potest apud nos 1/ ut conjux valido matrimonio junctus a judice sollicitet divortium civile; 2/ ut advocatus ejus partes sustineat.*

R. **Ad I^m.**

Actio **conjugis** divortium sollicitantis *non* videtur *intrinsecè mala*, sed *malè sonans* tantùm; a. v. potest bene fieri.

---

(1) Hanc logicam connexionem videtur urgere Ill. Bonomelli, *Il Divorzio*, Roma, 1910, p. 59: « Posto il principio del matrimonio civile, è necessaria e naturale la conseguenza del divorzio: il matrimonio diventa un contratto come qualunque altro, e non v'ha ragione di volere que questo sia indissolubile, mentre tutti gli altri non la sono, né lo ponno essere ».

Revera **non est intrinsecè mala**

A. *ratione* **objecti**. Pronuntiatio namque divortii quam sollicitat importat, in se sumpta, meram dissolutionem formalitatum civilium, nullatenus autem dissolutionem vinculi matrimonialis, quod totum quantum intactum manet.

Equidem matrimonium coram Deo legitimum privatur effectibus civilibus et recognitione legali, ac datur conjugibus legalis facultas aliud matrimonium ineundi, et inde inducitur cooperatio ad malos effectus legis necnon ad peccata aliena; sed *proprium objectum* actionis manet dissolutio formalitatum civilium, et nihil aliud.

B. neque *ratione* **pravæ intentionis**, cum talis sollicitatio non necessariò fiat animo novum ineundi matrimonium, sed optima intentione fieri queat, quemadmodum ex dicendis liquebit.

C. neque *ratione* **cooperationis immediatæ** ad peccata aliena. Divortii quidem pronuntiatio, quam expostulat conjux, præbebit alteri parti facultatem legalem ad nova vota transeundi, spreto vinculo valido, et concubinariam vitam instaurandi; in hoc autem non datur immediata participatio in peccato alieno, sed cooperatio merè mediata et indirecta, siquidem peccatum ab altera parte forte committendum, pendet, consequenter etiam ad divortii pronuntiationem, ab ipsius propria mala voluntate.

Equidem D. natum est adesse **scandalum indirectum**, quatenus dicti conjugis exemplo possint male ædificari fideles, hujus facti conscii ac reputantes sollicitationem divortii forte fieri intuitu novi matrimonii; aderit etiam **cooperatio mediata** ad peccata a comparte forsitan committenda, ad tramites modò dictorum, necnon etiam, etsi remotius, ad pravos effectus legis respectu matrimonialis instituti ac ipsius societatis; atque adeo ex hoc duplici seu triplici capite adnectitur conjugis actioni inordinatio non levis; atvero hujusmodi est illa inordinatio quæ proportionata causa possit abstergi.

Atqui videtur nonnunquam causa adesse satis urgens et gravis ut invocatam inordinationem compenset et abstergat; eo vel magis quod minus attendendum sit scandalum indirectum, utpote quod opportuna declaratione vix non integrum removeri valeat. Et quidem

1° *in regionibus ubi lex civilis non admittit separationem corporum*, facilius aderit illa causa ad sollicitandum divortium, cum ibidem solum medium sit ut coram foro civili legitimetur separatio a toro et cohabitatione et conflictus vitetur cum jure forensi: requiritur autem ut prævie obtenta fuerit, judicio Episcopi, separatio tori et cohabitationis.

2° *In aliis regionibus:*

a/ *regulariter* non datur causa quæ satis urgens sit ad legitimandam sollicitationem divortii civilis præ separatione corporum: ratio namque vitandi incommoda quæ consequuntur separationem corporum præ divortio passim non sufficit ut compensentur malæ sequelæ ex divortii sollicitatione oriundæ.

In specie non juvat provocare *ad dispositionem art. 310,* quatenus, post tres annos inde a separatione obtenta, possit sententia separationis in divortium converti a parte rea, contra quam separatio fuit facta: in hoc enim non adeo grave datur inconveniens pro parte innocente, cum in casu non applicetur dispositio art. 299 *Cod. Civ.* in favorem partis obtinentis divortium.

Neque passim sufficit illud incommodum, quatenus uxor separata maneat *juridicè incapax*, nec adeo possit, absque viri consensu, bona acquirere et alienare: quod incommodum eo minus urget quod, vi art. 218, possit consensus maritalis defectui suppleri auctoritate judicis.

Neque *regulariter* valet incommodum exoriri natum ex eo quod, *vi art. 312*, 1° alin., marito abscribantur proles quas uxor, licet separata, parturierit: admodum quidem grave est inconveniens, sed plerumque potest removeri, etiam sub regimine legislationis Belgicæ, favore dispositionis in eodem art. 312, 2° alin., insertæ; facultatem enim habet vir hujusmodi prolem repudiandi.

b/ *Exceptionaliter* tamen talia adesse possunt, ut videtur, rerum adjuncta quæ sufficiant ad cohonestandam, speciatim in Belgio, divortii sollicitationem.

Intendimus præsertim *periculum intrusionis prolium adulterinarum*, adeo scil. imminens ut, favore etiam dispositionis art. 312, alin. 2°, removeri nequeat: vi nempe hujus clausulæ potest quidem maritus in casu repudiare paternitatem, sed ipsi incumbit, juxta nostram legem, probatio quod, « pendant le temps qui a couru depuis le 300e jusqu'au 180e jour avant la naissance de cet enfant, il était... dans l'impossibilité physique de cohabiter avec sa femme »: hæc autem probatio potest malitiosè reddi inefficax ab uxore subrepticiè domum conjugalem frequentante.

Ceterum novimus, in pluribus Cancellariis Episcopalibus Belgii, permissum fuisse recursum ad divortium, in ordine ad vitandum instans periculum aliter non removendum intrusionis prolis adulterinæ, imo etiam in gratiam uxoris honestissimæ ex prodigalitate viri ad miseriam redactæ, et cui parentes nolebant succurrere nisi sub conditione quod divortium obtinuerit, ac ita virum prorsus ab administratione fortunæ excluserit.

Quantacumque autem præsto sit ratio divortium petendi, non esset a conjugibus causa introducenda coram tribunali, nisi auctoritate ecclesiastica prævie consulta.

Quod spectat modum hanc doctrinam conciliandi cum decretis S. Sedis, primo aspectu severioribus, cf. De Smet, o. c., n. 213, coll. n. 212.

Ad IIm.

Quod spectat **advocatos**: ubi conjugibus licet divortium sollicitare, id etiam licet *advocatis*, eorum causam sustinentibus. Extra hanc hypothesim non liceret communi advocato tuendam assumere causam divortii, siquidem liberè potest causas sibi oblatas recusare.

Exceptio posset fieri in gratiam sic dictorum « *stagiaires* », quibus a cœtu, « Bureau des consultations

gratuites » nuncupato, assignatur causa divortii « pro Deo » : non forent nempe improbandi hujusmodi causam assumentes, si in talibus locis et adjunctis constituuntur in quibus non valent muneri assignato se subducere atque ex officio ad illud obeundum adiguntur (1): quo casu, frustrà adhibito conamine ut injunctum munus detrectent, mere exponant coram tribunali motiva legalia quibus nitatur divortii sollicitatio, hanc catholicis principiis oppositam declarando.

A. De Smet.

V

Q. *Quid venit nomine naturæ corruptæ, quæ est materia mortificationis christianæ?*

R. Imprimis recolatur doctrina de justitia originali (2), quam sic adumbrat divus Thomas in opusculo *Compendium theologiæ*; c. 186:

« Homo in sui conditione taliter institutus fuit a Deo, ut *corpus* esset omnino subjectum animæ. Rursumque inter partes animæ *inferiores vires* rationi absque repu-

(1) Profecto æquitas exigit a moderatoribus Consilii disciplinæ, ut vocatur, necnon cœtus consultationibus gratuitis præpositi, ut, in distributione causarum, morem gerant libertati conscientiæ et catholicis non imponant causas quas eorum conscientia reprobat, cum tot alii præsto sint advocati minus scrupulosi; passim etiam, in nostris tribunalibus, non exercetur practicè ulla coactio in hac re.

Attamen existunt decisiones Tribunalium, ab hac æquitatis norma declinantes, quæ quidem sunt reformabiles, sed quibus, in præsenti jurisprudentiæ statu, abuti possent dicti moderatores, ut cogant advocatos (stagiaires) ad divortii causam tuendam. Ita decisiones curiæ Bruxellensis (Cour d'appel) 22 Dec. 1875 (J. des Cussonnières, *Décisions du conseil de l'ordre des avocats près la cour de Bruxelles*, p. 38), et 19 Jan. 1876 (*Pandectes Belges*, V° Bureau des consultations gratuites): « Un avocat ne peut pas se prévaloir de considérations tenant à ses convictions religieuses, pour refuser de se charger de la défense d'une cause (juste d'après les lois en vigueur) qui lui a été distribuée par le bureau des consultations gratuites ».

(2) Cf. *Catechismus*, schooluitgave, bijvoeg aan de 6de les.

gnantia subjicerentur, et ipsa *ratio* hominis esset Deo subjecta. Ex hoc autem quod corpus erat animæ subjectum, contingebat quod nulla passio posset in corpore accidere, quæ dominio animæ super corpus repugnaret: unde nec mori, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex subjectione vero inferiorum virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas, quia ratio humana nullis inordinatis passionibus perturbabatur. Ex hoc vero quod voluntas hominis erat Deo subjecta, homo referebat omnia in Deum sicut in ultimum finem, in quo ejus justitia, et innocentia consistebat. Horum autem trium ultimum erat causa aliorum ».

Subducta igitur voluntate humana a subjectione divina per peccatum Adæ, consequens fuit ut « deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, et corporis ad animam: unde consecutum est, ut homo sentiret *in inferiori appetitu* sensibili, concupiscentiæ, iræ, et ceterarum passionum *inordinatos* motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerumque obnubilantes, et quasi perturbantes: et hæc est repugnantia carnis ad spiritum, de qua Scriptura loquitur... Consecutum est etiam, ut *in corpore* sentiretur corruptionis defectus... unde homo factus est passibilis et mortalis... » (Ibidem, c. 192-3).

Ex peccato originali consecuta sunt *quatuor vulnera naturæ:* « In quantum ratio destituitur suo ordine ad verum, est *vulnus ignorantiæ;* in quantum voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est *vulnus malitiæ;* in quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est *vulnus infirmitatis;* in quantum vero concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est *vulnus concupiscentiæ.* Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti naturæ humanæ ex peccato primi parentis » (1).

---

(1) S. Th., 1-2, q. 85, a. 3. — Ulterius inquirit theologia dogmatica quomodo homo peccato originali dici possit *vulneratus in naturalibus.* Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 462 ss., coll. p. 148 ss.

Hæc autem vulnera ingravescunt adhuc *per peccata actualia*, in quantum per ista peccata « et ratio hebetatur præcipue in agendis, et voluntas induratur ad bonum et major difficultas bene agendi [et mala sustinendi] accrescit, et concupiscentia magis exardescit » (1).

Porro inter ista vulnera præcipuum est *vulnus concupiscentiæ*, quod concipitur quasi origo aliorum vulnerum, et secundum hoc concupiscentia dicitur *fomes peccati*. Ut igitur compleatur notio naturæ corruptæ, ac simul præparetur notio mortificationis christianæ, adduntur nonnulla ex Angelico de *concupiscentia inordinata* (2).

Sensu generico concupiscentia intelligitur inordinatio habitualis appetitus *tum sensitivi, tum intellectivi* seu *quædam dispositio inclinans ad malum* (3); sensu autem speciali et proprio « *fomes* nihil aliud est quam inordinata concupiscentia *sensibilis appetitus*, *habitualis* tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati (4). Dicitur autem... *inordinata,* in quantum repugnat rationi; quod quidem fit in quantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit ad bonum » (5).

Proprie igitur loquendo concupiscentia est in appetitu sensitivo, et principalius in parte concupiscibili (6). Ex rebellione autem virium inferiorum ad rationem sequitur *ignorantia* in intellectu, quia pars inferior « obnubilat et trahit rationem » (7); similiter *malitia* in voluntate seu

---

(1) S. Th., *ibid.*

(2) Solet nunc concupiscentia inordinata vocari concupiscentia sine addito, et sic concupiscentia dicitur fomes peccati, quatenus « importat concupiscentiam delectabilium *præter ordinem rationis* ». S. Th., 3, q. 15, a. 2, ad 2, ubi legimus quod « caro Christi, concupiscentia appetitus sensitivi, naturaliter appetebat escam et potum et somnum, et alia quæ secundum rectam rationem appetuntur ».

(3) S. Th., 2 Sent., dist. 32, q 1, a. 1. Cf. J. Van der Meersch, *Tractatus de divina Gratia*, Brugis, Beyaert, 1910, n. 75.

(4) Et peccatum, si consensus accedat voluntatis.

(5) S. Th., 3, q. 27, a. 3, coll. q. 15, a. 2.

(6) S Th., 1-2, q. 30, a. 1; q. 82, a. 3 ad 2: « Passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis reducuntur, sicut ad principaliores ».

(7) S. Th , 1-2, q. 82, a. 3, ad 3.

spontanea, indeliberata inclinatio ad malum. Unde concupiscentia sensualitatis merito dicitur *fomes peccati*, cum ex ea originem habeat pronitas seu inclinatio ad peccatum; consequenter ista concupiscentia erit materia præcipua mortificationis christianæ (1).

Mors et aliæ pœnalitates, quamvis pertineant ad corruptionem naturæ, de se non inclinant ad peccatum; unde non pertinent ad fomitem peccati (2), neque proinde sunt materia circa quam versatur mortificatio, licet sint materia e qua sumi possit exercitium mortificationis (3).

H. Mahieu.

VI

Q. *Quid sunt et in quo differunt altare fixum et altare portatile* (4)?

R. I. Altare **fixum** liturgice est altare cujus mensa, unico lapide integro constans (5), tum materiali cœmento tum sacra unctione conjungitur cum stipite pariter lapideo, cui imposita est et qui loco suo immobiliter adhæret. Essentiale est ut mensa et basis constituant structuram unam, lapideam, constructione et consecratione sibi cohærentem.

Altare vero **portatile** stricto sensu est simplex lapis integer ad hostiam et calicem sacrificii suscipiendam consecratus independenter a quovis stipite.

II. **Conveniunt** in eo quod utrumque debet esse:

a/ lapideum, sive lapis sit pretiosus, sive ordinarius,

---

(1) Cf. nostra *Probatio charitatis*, Brugis, Beyaert, 1910, p. 375 ss.

(2) S. Th., 3, q. 27, a. 3, ad 1, et q. 15, a. 2, ad 1.

(3) De corruptione naturæ agit *Imit. Christi*, L. III, c. 55, et pulcherrime describit c. 54 diversos motus naturæ (corruptæ) et gratiæ

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 548 ss. Ill. Van der Stappen. *De celebratione Missæ*, qq. 6-40.

(5) Cf. Decr. S. R. C., nn. 2862[1]; 3725; 3750; 3884; 3907[3]; 3947; 3954.

etiam schistus (1), modo sit lapis verus et naturalis, durus et compactus, non vero puniceus sive ex gypso (plâtre) aut cœmento (v. g. ciment métallique) conflatus (2) aut lateritius ex terra coctus (3);

b/ consecratum ab Episcopo aut ab alio debita facultate a Sede Apostolica munito, juxta ritum in Pontificali Romano præscriptum;

c/ munitum reliquiis SS. martyrum (4), quæ ei, in ritu consecrationis, ab episcopo inseruntur.

Differunt autem et in pluribus.

1/ Essentiale discrimen est in *diversa relatione mensæ ad stipitem*, quæ diversa habitudo oritur tum ex ipsa constructione, tum ex consecratione.

a/ Constat altare fixum essentialiter ex mensa et stipite lapideis indivulse unitis. Non sufficit ut mensa simpliciter superponatur basi: cœmento vel alia materia ei vere adhærere debet et quidem modo permanenti, ita ut si mensa a stipite amoveatur (5) aut etiam absque fractione aut amotione sublevetur (6), eo ipso altare sit execratum.

Ara autem portatilis non est nisi solus lapis integer qui pro mensa eucharistica inserviat. Impossibile quidem esset in eo celebrare, nisi alicui basi vel sustentaculo superponatur; et ideo solet inseri in quadam structura lapidea, lateritia, aut etiam lignea (7), quæ formam altaris fixi imitetur. Verum inter aram portatilem et basim nulla habetur unio, aut permanens relatio, ita ut absque periculo inde auferri et alio « portari »

---

(1) Decr. S. R C. 29 Apr. 1887. n. 3674, ad 2; 13 Jun. 1899. n 4032, ad 1.

(2) Decr. S. R. C. n. 3674. ad 3; n. 4032, ad 2.

(3) Cf. Decr. S. R. C. 14 Dec. 1888. n. 3698, ad 1-2.

(4) Cf. decr. nn. 2777; 3155. Ad valididatem consecrationis, sufficiunt reliquiæ unius martyris tantum vel unius martyris et confessorum aut virginum (decr. *Vilnen.* 16 febr. 1906 ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 522) sed ad liceitatem requiruntur reliquiæ duorum saltem martyrum.

(5) Decr. S. R. C. nn. 2599; 3198; 3575, 10 11.

(6) Decr. S. R. C. n. 3605, 7.

(7) Decr. S. R. C. nn. 303, 1219.

possit; imo, modo habeat quis debitum privilegium, potest ea uti extra ecclesiam, puta in navi, in domo privata.

b/ Consecratio utriusque altaris differt in pluribus (1), essentialiter vero rursus in relatione mensæ ad stipitem.

In consecratione enim altaris fixi, Episcopus non tantum separatim aspergit, thurificat et inungit sive oleo catechumenorum sive etiam chrismate stipitem et mensam, verum insuper sacro chrismate « inungit in modum crucis *conjunctiones mensæ seu tabulæ* altaris *et tituli sive stipitis*, in quatuor angulis, *quasi illa conjungens* ». Ita altare totum est consecratum et ipsa conjunctio mensæ et stipitis consecratione in perpetuum stabilitur.

In consecratione autem altaris portatilis, unctiones aliæque cœremoniæ fiunt tantum in superficie lapidis, nec supponitur adesse stipes.

2/ Consequitur et aliud discrimen quoad *locum* et *modum reponendi reliquias*.

Quum in altari fixo mensa et stipes construuntur et consecrantur per modum unius, reliquiæ recondi possunt vel in ipsa mensa, nempe in medio superficiei aliquantulum versus partem anteriorem; vel in stipite, sive in medio summitatis, sive a parte anteriori aut posteriori. Et quum non deficiat spatium, debent prævie includi in decenti vasculo debite sigillato.

In ara autem portatili recondi nequeunt nisi in ipso lapide, et positive præscribitur ut sepulchrum effodiatur in superficie lapidis, in medio. Et quia deest spatium, reponuntur reliquiæ immediate absque vasculo, in sepulchri fossa, quæ ope cœmenti recluditur claustro quod ex natura rei et antiqua disciplina solidum et ex recentioribus decretis lapideum esse debet (2).

---

(1) Pontificale Romanum, *De ecclesiæ dedicatione seu consecratione* (in qua altare fixum consecrari debet); *De altaris* [fixi] *consecratione quæ fit sine ecclesiæ dedicatione; De altaris portatilis consecratione.*

(2) Cf. decr. S. R. C. nn. 3162^{2}; 3532^{1}; 3567^{1}; 3585^{1}; 3671^{1-2}; 3726^{1}; 3779^{4}; 4032^{8}.

3/ Consequitur ulterius differentia *in magnitudine lapidis*. Ara portatilis, ex natura rei et præscriptis rubricarum (Rub. gen., t. XX) potest sed non debet esse amplior quam « ut Hostiam et majorem partem calicis capiat » (1).

In altari vero fixo, quod debet totam sacrificii suppellectilem portare, debet mensa regulariter æquare totam stipitis seu inferioris structuræ superficiem; aut saltem debet esse ita ampla ut in quatuor angulis sustentari possit quatuor columellis lapideis apparentibus ut episcopus consecrans possit earum summitates unctione sacra cum mensa conjungere.

C. CALLEWAERT.

(1) Altaria portatilia quæ ab Illustr. Episcopo Brugensi consecrari solent in aula episcopali habent mensuram 0.40 m. × 0.40 m. × 0.04 m. Pro S. Visitatione anno 1904 Romæ indicta statutum fuit ut altaria portatilia haberent 0.33 × 0.26 m.

Dissertatio

HISTORICO-EXEGETICA.

De Ludis Olympiacis in Epistolis S. Pauli.

A. De Ludis Olympiacis eorumque indole religiosa.

1. Legenti libros Novi Testamenti, et in specie Epistolas Paulinas pervolventi, haud infrequentes metaphoræ a celeberrimis Græcorum ludis depromptæ occurrunt (1).

Quod non ita mirabitur qui indolem socialem et maxime characterem politico-religiosum parumper perpenderit Ludorum Olympiacorum, qui inde ab anno 776 a. Ch. apud Græcos et postea, præsertim tempore S. Pauli, per integrum fere Imperium Romanum (2), magna cum solemnitate et ingenti populorum concursu celebrabantur.

Ut autem ratio perspiciatur quare dictæ comparationes S. Paulo sint ita familiares, utque simul varii textus in quibus occurrunt, facilius intelligantur, juvat de Ludorum Olympiacorum origine, celebratione atque diffusione pauca quædam compendiose proponere (3).

2. Inde ab a. 766 *Ludi Olympiaci* singulo quadriennio celebrata fuerunt, quæ celebratio ininterrupta æræ seu chronologiæ Olympiacæ (gall. *ère des Olympiades*) fundamentum præbuit. Induciæ sacræ (ἐκεχειρία) prius tri-

---

(1) Haud excipimus Ep. ad Hebræos, quamvis stylus ejus non Paulum sed potius unum ex ejus discipulis denotet.

(2) Regimen politicum Imperii Romani tempore S. Pauli, vide descriptum apud Van Steenkiste-Camerlynck *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 67 ss. Cf. etiam opus egregium catholici J. Felten, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*, Regensburg, 1910.

(3) Cf. Saglio et Daremberg, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, Paris, art. Olympia; Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, art. Games; Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, Paris, art. Athlète.

bubus Olympiæ vicinis et deinceps integræ Græciæ concedebantur, ut omnes ad festum patrium sacrumque tendere, ipsi interesse atque ab eo domum redire securi potuissent. Induciæ illæ a sacris præconibus (σπονδόφοροι), qui simul populos ad ludos seu panegyriam invitabant, per universam Helladem solemniter proclamabantur. Solemnis hæc festivitas celebrabatur Olympiæ (Ὀλυμπία), quæ non erat civitas stricte dicta, sed septum aliquod sacrum (enceinte sacrée) prope antiquam Pisatem ædificatum. In septo illo erant plura templa atque sanctuaria diis sacra, inter quæ magnum Jovis altare templumque ipsi consecratum eminebant.

Circa lucum seu septum sacrum varia reperiebantur ædificia ludorum regimini ac sacris cæremoniis destinata; præterea ibi exstructa fuerant gymnasium ac palæstra (in quibus athletæ plurimum currendo atque luctando prævie exercebantur), hippodromos, atque stadium (στάδιον) seu curriculum (fl. *renbaan*). In stadio certamina (ἀγῶν) cursus pedestris aliaque habebantur hac lege, ut stadiodromos seu cursor qui reliquos cursu antevertisset primusque metam occupasset vel alio modo adversarium devicisset, præmio ornaretur. Erat stadium undique cinctum gradibus spectatorum usui destinatis.

Ludorum regimen atque totius loci sacri cura munus erat amplissimum atque præclare: unus erat præses, probabiliter perpetuus, jure hereditario renuntiatus (ἀγονοθέτης; βραβευς), cui plures postea judices (ἑλλανοδίκαι) pro tempore unius Olympiadis adjuncti successive fuerunt.

3. Pluribus jam hebdomadibus, imo mensibus antequam ludi celebrabantur, innumera multitudo peregrinantium atque athletarum Olympiam ex universa Græcia atque græcis coloniis confluebat. Dum autem Græci peregrinantes sacrificia super altaribus septi sacri diis offerebant, athletæ e nobilioribus familiis plerumque oriundi, per triginta dies in gymnasio sese exercebant

atque artis suæ periculum (épreuve, examen) faciebant. Deinde coram statua Jovis, mactato apro, athletæ (1) eorumque patres, fratres atque aliptæ (gall. *entraîneurs*) solemniter jurabant se nulla fraude, sed juxta regulas statutas ad victoriam esse contenturos; simulque athletæ jurejurando asserebant se per decem menses regulas statutas observasse: ad certamen se præparantes a ciborum corpus gravantium, vini ac veneris usu abstinebant.

4. Post ultimum certamen, in singulo ludo decretorium, judices sententiam ferebant, et dijudicabant cuinam ex athletis, juxta varias ludi regulas adeoque ex justitia, bravium (βραβεῖον) competeret: non enim coronabatur nisi qui « legitime » certaverat. Qui dolo, fraude usus fuerat vel quovis modo certaminum statuta transgressus fuerat, ἀδόκιμος seu a judicibus reprobatus habebatur et « corona » indignus fiebat. Victoris nomine renuntiato, princeps judicum seu agonothetes ipsi palmam dexteræ atque capiti coronam (στέφανος) imponebat. Quæ coronæ sertæ erant e ramis oleastri (κότινος, olivier sauvage) sacri, prope templum Jovis plantati.

5. De variis ludis quos agon olympiacus seu olympiorum ludicrum complectebatur plura, ad intelligendos plures S. Pauli textus utilia statim postea proponemus, postquam nempe de indole religiosa festivitatis necnon de diffusione ludorum per integrum imperium romanum quædam paucis tradiderimus.

6. *Cæremoniæ religiosæ* solemni pompa et multis sacrificiis non tantùm pridie (παρασκευή) festivitatis (πανήγυρις) et die eam proxime sequente (ἐπιτελεώματα) celebrabantur, sed præterea dies festivitatis secundus et quintus

---

(1) « Nul n'était admis à concourir s'il n'était homme libre, indemne de toute condamnation infamante, et, jusqu'à la conquête romaine, de sang grec incontesté: après que l'Hellade fut devenue sujette de Rome, les citoyens romains participèrent, par la force des choses, aux privilèges des Hellènes de race ». Cf. C. Gaspar apud Saglio et Daremberg, *o. c.*, art. Olympia.

sacra processione et sacrificiis super altare Jovis aliisque sex altaribus oblatis erant famosi : athletæ victores renuntiati diis palmas suas atque coronas, mactis simul victimis, offerebant (στεφανοφορία). Postea, quando victores in patriam reduces triumpho deducebantur, denuo diis per hostias, plerumque votivas, gratias agebant, dum statuæ ipsis in septo sacro Olympiæ erectæ atque donaria (ἀναθήματα, ex-voto) ibi in templo Jovis reposita ipsorum victorias in dies commemorabant.

7. *Ad modum ludorum Olympiacorum, certamina pariter jam ab antiquis temporibus celebrabantur in aliis locis:* ita certamina Pythia (jeux Pythiques) in honorem Apollonis habebantur Crisæ in Phocide; ludi Nemeæi seu Nemea (jeux Néméens) in Argolide in honorem Herculi et demum ludi Isthmii seu Isthmia in isthmo Corinthiaco.

Postquam Græcia in provinciam romanam subacta est, ludi Olympiaci prius minus decori, sub Imperatoribus iterum splendore fulserunt, dum certamina minora, ad instàr festivitatis Olympiacæ instituta, in omnibus partibus imperii romani, maxime autem in civitatibus Græciæ, Macedoniæ et Asiæ Minoris (etiam Tarsi, patriæ S. Pauli) magno populorum concursu celebrabantur. Imo Herodes Magnus Hierosolymæ (theatrum et) amphitheatrum pro ludibus romanis græcisque ædificaverat: eo multi spectatores ethnici confluebant, pauci tamen Judæi, quippe qui dictos ludos velut paganos mores abhorrerent (1). « Les empereurs (romains)... encouragèrent et patronnèrent les jeux (Olympiques), auxquels plusieurs d'entre eux tinrent à honneur de prendre part, et qui, grâce à eux, brillèrent pendant trois siècles encore d'un dernier éclat. Jusqu'à Constantin, malgré les innombrables jeux qui s'étaient établis un peu partout d'après le prototype éléen (Olympien)..., l'antique festival conserva le premier rang parmi les πανηγύρεις, et resta le centre unique de

(1) Cf. J. Felten, *o. c.*, t. I, p. 119. V. *Machab.*

l'Hellénisme expirant. Le triomphe du christianisme lui porta un coup mortel, comme à toutes les institutions païennes... Néanmois nous savons qu'à la veille de l'avènement au trône de l'empereur Julien, les Eléens continuèrent à le célébrer ; il fut officiellement aboli au commencement de l'Olympiade 293 (a. 393) par Théodose qui interdit les jeux pour l'avenir. Trente ans plus tard Théodose II fit mettre le feu au grand temple, sous les ruines duquel s'abîmèrent à jamais les douze siècles de gloire du festival de Zeus à Olympe » (1).

B. **Quare et quomodo S. Paulus ad varios ludos alludat.**

8. Ex dictis maxime de indole ethnico-religiosa Ludorum Olympiacorum (n. 3, 6) jam rite intelligitur ex una parte quomodo religio christiana illa certamina, quæ ad mores ethnicos (ita e. g. athletæ nudi certabant) cultusque paganos conservandos magnopere conferebant, pedetentim abolere conata fuerit. Ex alia parte liquet quare S. Paulus in prædicatione et in epistolis suis plus semel ad dicta certamina gymnica alludere haud dubitaverit (2). Apostolus enim Gentium « omnibus omnia factus... propter Evangelium » (*I Cor.* 9, 23) hujusmodi comparationibus mentem maxime ethnico-conversorum a paganis festivitatibus avertere studebat, eosque rebus materialibus immersos per sensibilia ad insensibilia manuducere conabatur. Ludos gymnicos plus æquo non æstimabat. « Corporalis exercitatio (γυμνασία) ad modicum utilis est » : sciebat profectò eam, cum debito moderamine usurpatam, ad corporis robur ac sanitatem conducere. Verùm eodem loco *I Tim.* 4, 8 ei omnino certamen spirituale christianæ vitæ anteponit : « pietas (εὐσέβεια) autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ ».

(1) Ita C. Gaspar apud Saglio et Daremberg, *o. c.*, p. 193 s.

(2) Præpostere inde concluderet hodiernus concionator se opportunè ad hodierna ludorum spectacula (sports) alludere posse. Adjuncta utrimque sub vario respectu penitus esse diversa apparet liquidò.

9. Obvia quædam generalis similitudo certamen athleticum (ἀγών, ἄθλησις, ἀγωνίζομαι) inter et certamen spirituale christianum (et apostolicum) S. Paulo *metaphoricum fundamentum* præbebat, quod invenire est *I Thes.* 2, 2; *I Cor.* 9, 25; *Col.* 1, 29; 2, 1; 4, 12; *Philip.* 1, 30; *I Tim.* 4, 10; 6, 12; *II Tim.* 2, 5; 4, 7; *Heb.* 12, 1. Ita *I Tim.* 6, 12: « Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es ».

Reliquæ comparationes huic generali fundamento nituntur. Ita, S. Paulus se comparat præconi (n. 2) qui athletas ad certamen vocat atque excitat: « ne forte cum aliis prædicaverim (κηρύξας) ipse reprobus efficiar » (*I Cor*, 9, 27; cf. *Philip.* 3, 14). Alludit haud obscure ad exercitationem atque abstinentiam quibus athletæ ad certamina se præparabant (*I Cor.* 9, 25-27; cf. supra, Resp. I) simulque ad regulas ludorum (n. 3), quas se observasse observaturosque juramento spondere tenebantur (*ibid.* et *II Tim.* 4, 7: bonum certamen τὸν καλὸν ἀγῶνα certavi). *II Tim.* 2, 15; « Sollicite cura teipsum probabilem (δόκιμον i. e. irreprehensibilem) exhibere Deo. (Cf. *I Cor.* 9: reprobus = ἀδόκιμος). « Nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime (νομίμως: convenienter legibus) certaverit (*II Tim.*, 2, 5).

Alludit pariter ad « nubem testium » seu spectatorum: *Heb.* 12, 1 et *I Cor.* 4, 9: « quia spectaculum facti sumus (nos Apostoli) mundo et angelis et hominibus », quamvis hoc ultimo loco ludos potius gladiatorum atque bestiariorum in amphitheatro romano recogitet, ad quos *I Cor.* 15, 32 iterum respicere apparet.

Recogitat etiam gloriam triumphalem victoris (n. 4 et 6): « ad gloriam (καυχήμα) meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi » (*Philip.* 2, 16), et commemorat sententiam judicialem (*II Tim.* 4, 7-8; cf. supra, Resp. I, et vide etiam *Col.* 3, 15 ubi occurrit v. βραβεύω quod proprie significat arbitrum esse certaminis, pariter *Col.* 2, 18 ubi habetur verbum καταβραβεύω: indignum declaro certaminis præmio).

Mentionem facit bravii seu certaminis pretii (n. 4; *I Cor.* 9, 24; *Philip.* 2, 13; cf. supra, Resp. I), quod erat corona (*I Cor.* 9, 25 coll. *II Tim.* 2, 5; 4, 8) (1).

10. Ludicrum Olympiacum varia complectebatur certamina. Ita celebrabantur:

1. *Cursus pedestris* (στάδιον vel δρόμος verbo τρέχω = δρέμω) quem supra descripsimus et a quo frequentes S. Paulus deprompsit comparationes.

2. *Cursus equitum* (κέλης) *et curruum* (συνωρίς = bigæ; τεθρίππον = quadrigæ), ad quem in specie S. Paulus nullibi alludere videtur.

3. *Discus* (δισκοβολία: lancement du disque) et

4. *Jaculum* (ἀκοντισμός: lancement du javelot: hæc duo certamina S. Paulus silentio premit.

5. *Lucta* (πάλη: fl. *worsteling*). — « Elle était assujettie à des règles fixes. Il fallait saisir l'adversaire par les bras, le heurter du front, lui tordre au besoin les doigts de la main ou du pied, le renverser à terre, l'empêcher de se relever, et exécuter tous ces mouvements avec une certaine grâce » (2). Victor ergo e duobus erat qui prostratum adversarium, manu collo ejus imposita, immobilem comprimebat. — S. Paulus nomen luctæ ad certamen christianorum contra dæmoniacas potestates apte transfert *Eph.* 6, 11 ss. Athletæ quidem inermes ac nudi luctabant (n. 8); Paulus verò, ne impar sit certamen, christianos ut adversus insidias diaboli *stare* possint, induere jubet « armaturam (πανοπλίαν) Dei »: « quoniam non est nobis colluctatio (ἡ πάλη) adversus carnem et sanguinem (i. e. homines mortales et debiles): sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut

---

(1) Cf. etiam *I Thes.* 2, 19; *Philip.* 4, 1, *Apoc.* 2, 10; 3, 11; *Jac.* 1, 12; *I Pet.* 5, 4.

(2) Ita Lesêtre apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible, l. c.*

possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti (1) *stare* » (2).

6. *Pugilatus* (πύγμη, boxe, fl. *vuistkamp*) (3). « C'était un terrible exercice. Les poignets et les mains du pugiliste étaient enveloppées dans un réseau de courroies de peau de bœuf, garnies de bandes en cuir durci, de clous et de boules de plomb (et quelquefois d'haltères). Il s'agissait d'atteindre l'antagoniste avec adresse et vigueur, tout en parant ses coups. On cherchait à le frapper sur les tempes, les oreilles, les joues, le nez (les yeux) et le menton. Si celui-ci (l'antagoniste) se dérobait habilement, le poing battait l'air inutilement (ærem verberabat) avec fatigue et danger pour le pugiliste maladroit. — Pour augmenter leurs forces et le poids de leurs corps, les pugilistes exagéraient leur alimentation ; parfois ils se soumettaient à la flagellation, pour s'endurcir ainsi contre les coups et la douleur » (4).

Alludit ad hoc certamen Apostolus *I Cor.* 9, 26 s. « Ego igitur (qui coronam immortalem mihi repositam esse scio, si legitime certaverim)... sic pugno (πυκτεύω) : pugilem ago, sicut pugilem decet, qui adversarium vincere coronamque adipisci vult) non quasi ærem verberans (ictibus inanis, sed contundo meum in ista lucta adversarium, sc. corpus meum seu concupiscen-

---

(1) In omnibus perfecti : πάντα κατεργασμένοι i. e. peracto omni pugnæ labore.

(2) Figurâ dein a milite romano desumptâ, arma christiani militis pulcherrime per partes describuntur v. 14 ss.

(3) « Le pancrace (παγκράτιον), qui tient à la fois de la lutte et du pugilat, ne diffère de ce dernier que par l'usage exclusif des poings nus ». A. DE RIDDER apud SAGLIO ET DAREMBERG, *o. c.*, art. Pugilatus, p. 755.

(4) Cf. LESÈTRE, apud VIGOUROUX, *o. c.*, art. athlète, p. 1226 ; DE RIDDER, *l. c.*, qui addit opportune p. 760 : « Le spectacle de la douleur physique n'avait donc rien qui répugnât à la très grande majorité des Grecs et ce serait se faire une idée très fausse des anciens que de leur prêter les délicatesses d'une âme sensible et moderne ». Eheu ! moderni ipsi ad ludos istos paganos et homine indignos nonnumquam redire, satis notum est.

tiam carnalem), sed corpus meum castigo (ὑπωπιάζω: sub oculis usque ad livorem ferio) et in servitutem redigo (δουλαγωγέω: ut servum duriter tracto, severæ ac rigidæ disciplinæ subjicio), ne forte cum aliis prædicaverim (κηρύξας: ad salutis bravium excitaverim) ipse (etiam stadium certaminis ingressus) reprobus (ἀδόκιμος: ab arbitro reprobatus seu corona indignus) fiam ».

*
* *

Ex paucis quæ de Ludis Olympiacis proposuimus, non solummodo ratio intelligitur quare S. Paulus metaphoras ab illis certaminibus politico-sacris tam frequenter et opportune deduxerit; sed præterea, quod adhuc præstantius apparet, multi Epistolarum textus *obvie* et simul *accurate* explicantur.

A. Camerlynck.

Sacra Congregatio Consistorialis

Declarationes circa Motum proprium « Sacrorum Antistitum » (1).

Propositis ad hanc Sacram Congregationem quæ sequuntur dubiis circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum*, datum die prima mensis hujus:

I. An præceptum quod nemo theologiæ laurea sit donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis lauream obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum præbuerit testimonium, stricte sit observandum?

II. An præscriptio *Consilium vigilantiæ* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda?

III. An tamen ii, qui *Consilium vigilantiæ* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti, scripto transmittere relationem suam?

IV. An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quævis et commentaria quantumvis optima etiam ad juvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studiis operam dantes extendatur?

V. An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quæstiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno jusjurandum dare?

VI. An idem quotannis præstare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus religiosis ante auspicandas prælectiones?

VII. An ad jusjurandum præstandum teneantur confessarii et sacri concionatores jamdudum adprobati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalibus et romanis congregationibus vel tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in præsenti sunt in officio?

VIII. An in casibus particularibus, data justa causa,

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1910, p. 740.

Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad recipiendum juramentum sacerdotem aliquem sive sæcularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum?

IX. An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui jusjurandum violaverint, sed etiam qui jurisjurandi formulam subscribere renuerint?

X. An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a prædicatione fuerint prohibiti?

XI. An invitari possint sacri oratores, qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbati?

SS^mus^ Dominus Noster in audientia die 24 hujus mensis E^mo^ Cardinali Secretario Sacræ Congregationis Consistorialis concessa respondendum mandavit:

Ad I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII et IX affirmative; — ad X et XI negative.

Jussit porro omnes vocatos jurijurando obligari infra diem 31 decembris hujus anni.

Quoad VII vero dubium SS^mus^ benigne indulsit, ut in locis a residentia Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam jurisjurandi ad eosdem missam et præcognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorumdem Superioribus.

Datum Romæ, ex ædibus Sacræ Congregationis Consistorialis, die 25 septembris 1910.

L. ✠ S.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

E S. Congregatione S. Officii.

I

DECRETUM (1).

Super doctrina Renovationis, quam vocant, Eschatologicæ.

Feria IV, die 2 Martii 1910.

Cum renuntiatum esset Supremæ huic Sacræ Congregationi Sancti Officii doctrinam Renovationis, ut aiunt, Eschatologicæ, etiam jam alias per Sacram Indicis Congregationem proscriptam, libris ac diariis, inter quæ nominanda cum primis ephemeris « Jésus-Roi » quæ Pictavii in lucem prodiit, adhuc inter fideles evulgari; Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales in plenario conventu habito supradicta feria IV, omnibus mature perpensis, decernendum censuerunt: « Doctrinam de Renovasione Eschatologica esse reprobandam ».

Quam Emorum Patrum resolutionem sequenti feria V, die 3 ejusdem mensis et anni SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita benigne adprobare et confirmare dignatus est.

L. ✠ S.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I., *Notarius.*

II

DECRETUM (2).

Proscribuntur varia commentaria et opera.

Feria IV, die 7 Septembris 1910.

In generali consessu Supremæ hujus Congregationis Sancti Officii Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardi-

---

(1) *Acta Apost. Sedis,* t. II, p. 635.
(2) *Ibid.,* p. 728.

nales in rebus fidei ac morum Inquisitores Generales damnarunt ac proscripserunt et in Indicem librorum prohibitorum referri mandarunt sequentia commentaria et opera:

A — *Rivista Storico-critica delle Scienze Teologiche.* — Pubblicazione mensile. Roma.

B — Libros Collectionis « *Manuali di Scienze Religiose* » hucusque editos, scilicet:

1. *Alfonso Manaresi.* L'impero Romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli. — Vol. I. Da Nerone a Commodo. Roma, 1910.

2. *Ernesto Buonajuti.* Saggi di Filologia e Storia del Nuovo Testamento. Roma, 1910.

3. *Francesco Mari.* Il Quarto Vangelo. Roma, 1910.

Et insequenti fer. V, die 8 ejusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Pius Div. Prov. Papa X in audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, habita de re plena relatione, decretum Eminentissimorum Patrum approbavit ac confirmavit.

Datum Romæ, in Ædibus Sancti Officii, die 10 Septembris 1910.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Ostende quomodo contra incredulos (1) demonstrare possimus textum S. Scripturæ Novi Testamenti esse substantialiter *genuinum* seu *incorruptum*, quamvis antiquissima manuscripta sæculo IV et V anteriora non sint.

II

Solvatur hæc difficultas: idem non erit homo (in resurrectione) nisi sit idem animal; sed in resurrectione homo non erit idem animal: quia per mortem sensus penitus exstinguuntur et consequenter nequeunt iidem numero restaurari; ergo non erit idem homo qui resurget.

III

Determina ex quonam matrimonio oriatur, et quousque extendatur impedimentum publicæ honestatis.

IV

Titius, divortio civili instituto, civile matrimonium init cum Bertha, vivente Anna uxore legitima. Hac defuncta, cum dicta Bertha coram Ecclesia nubere intendit.

Indica 1/ utrum et cuinam impedimento dirimenti matrimonii, et 2/ cuinam casui reservato obnoxius existat Titius, legis nuptias irritantis prorsus ignarus.

V

Qu'est ce que le Moyen Age? Indiquez les caractères distinctifs de cette époque de l'histoire de l'Église.

VI

Répondez à l'objection suivante:

Le service public des inhumations est un service laïque qui rentre dans les attributions des communes;

Or, en vertu du principe de la spécialisation des services, les biens affectés à ce service, spécialement les cimetières, sont la propriété de l'établissement qui en est chargé.

Donc les cimetières sont la propriété des communes.

(1) Cf. e. g. impium libellum ubique sparsum « La Bible devant l'Église », p. 121.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Modo prodierunt:

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

*
* *

Om binnen kort te verschijnen:

Kerkzangboekje *ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk* bevattende de Misgebeden en Misgezangen, de Mis voor de Overledenen, de meest gebruikelijke Lofzangen en Psalmen, met een vlaamsche vertaling; 48 bl. druk, muziek en tekst, in linnen band.

Prijsvoorwaarden.

van 1 tot 10 ex.	0.15 fr.
van 10 » 25 »	0,12 »
25 ex. en meer	0,10 »

Enkel verkrijgbaar bij M. L. LESCRAUWAET, Boekhandelaar, Oudenburgstraat, 29, Brugge.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XV, pag. 636).

—

§ III.

Doctrina SS. Patrum de inhabitatione Spiritus sancti.

38. Ut autem quid in illa ratione *doni*, de Spiritu sancto dicti, peculiare sit intimius intelligatur, audiamus ex Petavio (1) quædam dicta Patrum; hoc attento, quod notat ille, scilicet personarum divinarum proprietates interdum ab iis vocabula sortiri, non quæ ex æterno sunt, et a divinis veluti affectionibus, sed ab iis quæ in tempore producta sunt, et in rebus creatis administrantur. Quæ quidem animadversio egregie confirmat quæ supra (2) notabamus, scilicet quomodo ex operatione aliqua Spiritui sancto appropriata nonnumquam indoles inhabitationis ejusdem Spiritus aliqua ratione deduci possit. — Addamus rursum in his quæ nunc exponimus nullatenus agi et ne cogitari quidem de operatione ad extra quavis habenda ut non communi toti Trinitati.

Igitur græci aliquot Patres personalem Spiritus sancti

(1) *De Trin.*, l. VII, c. XIII, n. XXI et sqq.
(2) Num. 34.

proprietatem *vi sanctificante* definiunt, ut Basilius qui Spiritus adventu angelos perfici, *ait,* « Porro angelorum perfectio sanctificatio est, in eaque permansio (1). » Alibi (2) eumdem Spiritum vocat *originem sanctificationis*. Item *substantiam vivam, sanctificationis dominam seu arbitram* (3). Addamus locum ejusdem Patris insignem, ubi palam indicat se de Spiritu sancto non ut causa efficiente donorum sanctificantium, per appropriationem, agere, sed de eodem Spiritu personaliter ut causa quodammodo formali fastigii perfectionis, hac in vita, creaturæ rationalis. « Quot enim, *ait* (4), modis dicitur *in,* totidem modis invenimus eam syllabam conceptibus Spiritus subservire. Nam forma dicitur esse in materia, et potentia in eo quod ejus capax est, et habitus in eo qui secundum illum affectus est, aliaque hujus generis multa. Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, formæ rationem obtinet. Nam qui jam non vivit secundum carnem, sed Spiritu Dei agitur, ac filius Dei nominatur, et conformis imagini Filii Dei factus est, spiritualis dicitur. » Quod autem *vim sanctificandi* non de efficientia Spiritui sancto appropriata intelligat, ex eo præterea evidens est quod alio in loco (5) eam proprietatem personalem dicit cujusmodi in Patre paternitas est, in Filio filietas ; etenim disputans de usia et hypostasi, illius quidem rationem « commune quiddam » esse ait « ut est bonitas, divinitas, et si quid aliud intelligitur ; hypostasim vero in proprietate spectari paternitatis, vel filietatis, vel virtutis sanctificantis. » Quem Basilii locum citat Theorianus in legatione ad Armenos (6), ut etiam et alterum ex epist. ad Amphi-

(1) *Lib. de Spiritu s.*, c. XVI.
(2) Eod. lib., c. IX.
(3) Ibid., c. XVIII.
(4) *Lib. de Spir. s.*, c. XXVI.
(5) *Epist.*, 349, *ad Terentium comitem*, p. 1130.
(6) Pag. 21.

loquium (1). Similiter loquitur et Eulogius Alexandrinus episcopus (2), necnon Joannes Damascenus (3), quos relatos legere est apud Petavium, l. cit.

39. E quibus vides reipsa personalium proprietatum nomina interdum duci non ab æternis ac internis veluti affectionibus divinis, sed et ab efficientia ad extra, ut heic nomen doni seu donabilis, atque vis sanctificandi ac perficiendi in Spiritu sancto personaliter consideratorum. Et hæc quidem perficiendi vis apud Patres citatos, ut ex eorum verbis liquet, est eadem ac vis sanctificandi, quatenus creaturæ perfectio sanctitas est. Quod quidem ex eo quoque elucet quod iidem Patres in conditione primi hominis imaginem Dei distinguunt atque similitudinem, hancque illi fuisse tributam per Spiritum sanctum, quo Deus eam afflavit. Hoc enim esse spiraculum vitæ, quod Deus inspirasse homini de terra formato legitur. Spiritus ille, quem Dei halitum esse dicunt, cum ex homine per peccatum aufugisset, a Christo glorificato restitutus est. Et hic status perfectio seu « perfectum » ab iis appellari solet, quod sanctitas, imo potius ultima sanctitatis hac in vita perfectio est. Qua de re supra (4) verbulum diximus, et citavimus quoque verba S. Cyrilli Alexandrini (5). Qui plura hac de re documenta desiderat, adeat Petavium (6).

40. Hic vero maximi momenti argumentum occurrit, de quo supra (7) jam egimus, quodque nunc absolvendum est.

Scilicet sanctitas, ut modo dicebamus, creaturæ rationalis perfectio est et talis quidem quali supra omnem

---

(1) Ep. 391, p. 1171.
(2) Apud Phot., cod. 230.
(3) *Lib. I de Fide*, c. XVIII.
(4) Num. 18.
(5) Num. supra 14. Et cf. ejusdem Cyrilli *Thesauri*, l. XIII, p. 135 (edit. Jo. Auberti).
(6) Hoc loc. cit. et præsertim lib. VIII, c. V, n. IV-VII.
(7) Num. 28-30.

naturam ad ordinem divinum provehitur. Porro sicut gratiam creatam et increatam distinguere oportet, ita alia est sanctitas ac perfectio quam gratia creata efficit, alia sanctitas ac perfectio seu potius perfectionis in hac vita fastigium et vera τελείωσις, quam dat Gratia increata, seu τὸ τελειωτικὸν quod Spiritui sancto tamquam proprium assignant præfati Patres græci. Adeoque huc pertinent quæ fusius disputavimus supra (1) de justis seu sanctis antiqui fœderis qui, testantibus plurimis Patribus, utut sancti per gratiam creatam, non tamen ante Christi glorificationem habuerunt Gratiam increatam seu inhabitantem Spiritum sanctum, neque adeo hanc ulteriorem perfectionem seu τελείωσιν quæ in « esse unitum » cum Spiritu sancto consistit.

41. Ubi vide quam optime sibi constant conveniuntque secum ipsi iidem Patres : etenim, cum justis veteris legis, non quidem gratiam creatam qua amici Dei constituti sunt, Spiritum vero sanctum inhabitantem a quo est perfectio sanctitatis, quæ deiformitate ac filiorum adoptione continetur, abjudicaverint : idem consortium divinæ naturæ filiationemque adoptivam in justis novi fœderis repetunt ex vi sanctificatrice seu perfectrice Spiritui sancto propria, eaque proin non efficienter sed qualem explicavimus in modum causæ formalis sumpta, ut palam declarat Basilius numero præcedente recitatus. Itaque dicto sensu loquuntur Cyrillus Alexandrinus multique alii. Sic ille : « Ipsam, *inquit* (2), illam ex Patre naturaliter procedentem vim sanctificandi, quæ imperfectis quod perfectum est tribuit, dicimus esse Spiritum sanctum. » Et rursum : « Perfectam divinæ substantiæ imaginis expressionem, Spiritus sancti participatio largitur homini (3). » Similiter Zacharias Mitylenus scribit : « Spiritus vero san-

(1) Quæst. IV per totam.
(2) *Thesauri*, l. 34, p. 352.
(3) Ibid., l. 13, p. 135.

ctus est ille qui aspirat rationabilibus et intelligentia præditis omnibus creaturis, et quod illorum hypostasim complet ac perficit (1). » Quæ quidem verba ultima notatu præprimis digna sunt, ut inferius patebit clarius.

42. Antequam doctrinam hac de re Patrum quoniam valde copiosa est, exponere pergamus, opportunum erit quasdam jam inserere considerationes summopere attendendas.

Et 1° quidem, cum gratia creata, id est gratia sanctificans cum habitibus cæterisque donis infusis inhæret animæ ejusque facultatibus, atque spectat magis ad vitam operationemque supernaturales : filiatio divina ex unione cum Spiritu sancto inhabitante totam respicit personam humanam, animam et corpus (2), totumque hominem dignificat; quemadmodum in Christo, exemplari perfecto in ordine supernaturali, ad quod semper respiciendum est, simile quiddam advertimus. Re quidem vera, gratia creata in Christi anima ad operationes potius pertinet sacræ humanitatis, filiatio vero divina seu ipsa personalitas Verbi efficit ut eædem operationes sint summæ, id est, divinæ dignitatis ac meriti infiniti, neque animam tantummodo sed et corpus, totam videlicet humanitatem Christi dignificat, sicut hæc assumpta fuit tota in unitatem personæ Verbi.

Audiamus S. Thomam declarantem cur necesse sit ponere in Christo gratiam creatam. « Cujus ratio, *ait* (3), necessitatis hinc sumi potest quod animæ ad Deum duplex esse potest conjunctio : una secundum esse in una persona, quæ singulariter est animæ Christi; alia secundum operationem, quæ est communis omnibus cognoscentibus et amantibus Deum. Prima quidem conjunctio sine secunda ad beatitudinem non sufficit :

---

(1) *Lib. de opif. mundi*, t. I bibl. PP. græcol., p. 537.
(2) Cf. supra nostrum num. 34, 2° in fine.
(3) QQ. disp., *De Verit.*, q. XXIX, a. 1.

quia nec ipse Deus beatus esset, si se non cognosceret et amaret: non enim in seipso delectaretur, quod ad beatitudinem requiritur. Ad hoc ergo quod anima Christi sit beata, præter unionem ipsius ad Verbum in persona, requiritur unio per operationem, ut scilicet videat Deum per essentiam et videndo fruatur. Hoc autem excedit naturalem potentiam cujuslibet creaturæ, soli autem Deo secundum naturam suam conveniens est. Oportet igitur supra naturam animæ Christi aliquid sibi addi, per quod ordinetur ad prædictam beatitudinem; et hoc dicimus gratiam. »

Quæ quidem facile transferimus in rem nostram, dicendo: in justo, saltem sub nova lege, duplex est conjunctio ad Deum: una *personæ* justi ad personam Spiritus sancti, qua homo secundum se totus divinitus dignificatur, ut supra diximus; et hæc unio nullatenus est hypostatica, quæ Christo omnino singularis est, qua Verbum assumpsit non *personam* sed *naturam* humanam in unitatem suæ personæ. Quod quidem discrimen infra explicabimus. Alia est conjunctio animæ justi ad Deum secundum operationem, ut scilicet per cognitionem et amorem prosequi possit Deum ut finem suum eumque ut talem finaliter attingere. Hoc autem, in præsenti ordine ubi de visione Dei in se et fruitione beatitudinis divinæ Trinitatis attingendis agitur, excedit naturalem potentiam cujuslibet creaturæ, etc. Oportet igitur supra naturam animæ aliquid sibi addi, per quod ordinetur ad prædictam beatitudinem prosequendam et attingendam, et hoc dicimus gratiam, nempe creatam. Addamus et verba S. Doctoris (3, q. II, art. X) quæ rursum optime transferre possumus ad rem nostram, et ubi inter alia ad 2^{m} hæc habentur: « Gratia habitualis est solum in anima. Sed gratia, id est gratuitum Dei donum quod est uniri divinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam (dicamus: totam personam) quæ componitur ex anima et corpore. »

43. 2°. Gratiam increatam in homine seu Spiritum

sanctum inhabitantem ne concipiamus ut ad extra operantem, sub qua ratione intelligi non potest nisi per appropriationem, cum necessario communis sit tribus personis actio ad extra, sed, ut audivimus a Patribus vim sanctificandi seu perficiendi tamquam propriam Spiritui sancto explicantibus, Spiritus sancti applicationem personæ justi intelligamus in modum causæ formalis deiformitatis seu filiationis adoptivæ. Non quasi Spiritus sanctus rationem veræ causæ formalis habere queat, sed quod, cum effective uniatur actione communi Trinitatis cum persona justi, hoc ipsum in justo unitum esse sit causa formalis consortii divinæ naturæ seu adoptionis, sicuti gratia creata est causa formalis amicitiæ, simul et principium vitæ et operationis supernaturalium atque dispositio requisita ad unionem cum Spiritu sancto. Et sub antiquo quidem fœdere solam gratiam creatam infundebat Deus ut causam formalem justitiæ ac amicitiæ cum Deo, simul et tamquam dispositionem ad habendum *aliquando* Spiritum sanctum, quasi jus ad rem; novo vero sub fœdere, simul eodem instanti physico infundit Deus gratiam creatam, causam formalem amicitiæ ac dispositionem ad habendam personam divinam, simulque et unit personam humanam cum Spiritu sancto, ita ut ex parte recipientis vel materiæ prius sit secundum naturam habere gratiam, causam formalem amicitiæ, ut dispositionem, quam habere Spiritum sanctum; ex parte vero agentis Dei et finis qui in fruitione personæ divinæ consistit, prius sit natura Spiritum sanctum unire homini, quam infundere ejus dona. Sic autem fit ut gratia creata simul sit dispositio ad habendum Spiritum sanctum, veluti jus in re, et simul sit effectus actionis unitivæ Dei, nempe vinculum quo Spiritui sancto unitur homo eumque retinet, nam in ista unione tota mutatio, ut patet, nonnisi in hoc altero termino, persona nempe humana, est ac esse potest.

44. 3°. Neque igitur objiciatur doctrina Concilii Tri-

dentini, qua statuitur unicam causam formalem justificationis esse justitiam Dei qua nos justos facit, aliis verbis, gratiam sanctificantem cum habitibus et donis annexis; hoc enim intendit Concilium, scilicet 1° excludere tamquam causam formalem justificationis justitiam ipsam Christi, ut definit in can. 10: « Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse. A. S.; » et 2° hoc assertum damnare: « homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate... aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei »; quod facit in can. 11.

Nequaquam vero ignorabat Concilium, etsi explicite de re non agat, præter gratiam creatam dari et increatam, atque justum uniri cum Spiritu sancto inhabitante, saltem sub lege nova. Porro, quod Spiritus sanctus non sit causa formalis justificationis, nec unionis secum, sed communi actione Trinitatis, ipsi appropriata, causa efficiens, plus semel diximus, et omnino conforme est doctrinæ Concilii. Quod vero unitum esse cum Spiritu sancto sit in justo causa formalis citima deiformitatis et filiationis adoptivæ non contradicit eidem doctrinæ, eoque vel minus ei opponitur quod istud unitum esse in justo est præcise ratione gratiæ seu causæ formalis justificationis, tamquam dispositionis ad habendam personam divinam, et tamquam effectus in se producti ex unione activa Spiritus sancti.

45. Verum ad exponendam doctrinam Patrum eo regrediamur unde eam abrupimus.

Itaque S. Cyrillus Alexandrinus, jam pluries citatus, plurimis in locis substantialem inhabitationem Spiritus sancti, ad modum causæ cujusdam formalis nos consortes reddentis divinæ naturæ atque filios adoptionis, aperte declarat. Sic vocat Spiritum sanctum αὐτοῦργον in nobis, qui vere sanctificat et unit nos sibi per cohærentiam seu contactum secum, divinæque naturæ reddit

nos participes (1). Alio in loco (2) Spiritum sanctum per sese habitare dicit in sanctis ac velut qualitatem ipsis inesse; ex quo et divinitatem illius adstruit: « Quomodo, inquit, divinæ naturæ participes secundum dicta Sanctorum erunt ii quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit; non ita ut per ipsam in nos, tamquam alienus, transeat, sed, ut sic loquar, uti velut qualitas quædam divinitatis in nobis insit et in sanctis habitet. » Egregius quoque ejusdem locus est qui sic habet: « Quod igitur nos in terra filiorum gloria veluti deaurat, hoc est Spiritus sanctus, quandoquidem Filii est, in aliis quidem efficiet adoptionem, in eo vero nihil efficiet, cujus est non adscititius, neque extrinsecus prodiens, sed substantialiter ipsius existens, et per ipsum profusus in eos qui ad accipiendum digni sunt, cum Patris beneplacito (3). » Recte proin Faustus, epist. ad Ruricium 5ª scribit: « Verbotenus homo deauratus est; Deus aurum est; quod in homine gratia est, in Deo natura est. »

Nihil quoque frequentius apud eumdem Cyrillum quam assertio hæc: nos per ipsum Spiritum consortes

---

(1) *Thesauri*, l. 34, p 352. Et cf. *Dial* 7, p 638, infra cit. n. 46. Ex hoc ultimo textu sensum αὐτοῦσγος apud Cyrillum talem esse, qualem in textu definivimus, omnino patet, quidquid dicat Franzelin, *De Deo trino*, th. XLV, p. 578, sub *a*/ et *b*/. Cf. etiam *Dial.* 7, p. 639 et 640, et *Thesauri*, p. 352.

(2) *9 in Joan.*, p. 810. — Ad hæc reponit Franzelin, *De Deo trino*, l. c. verum non esse Cyrillum asserere: « Spiritum sanctum veluti qualitatem nobis inesse », sed sæpius a Cyrillo vocari Spiritum sanctum « veluti qualitatem Dei. » Ast in ipso textu citato aperte dicit Cyrillus: « Spiritum sanctum veluti qualitatem quamdam divinitatis nobis inesse. » Quod, puto, nemo negabit esse verum.

(3) *Dial. de Trin.*, 7, p. 641, cit. a Petavio. — Hic advertit Franzelin, se l. c. non reperisse illa verba Cyrilli; neque nos ibid. invenimus. Nullum tamen dubium esse debet eadem alio loco legi apud Cyrillum, cum ei familiaris sit ejusmodi locutio. Vid v. g. *De adorat. in spir. et verit.*, l. IX, p. 293, p. 299, et præclare p. 303, ubi ait: « Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus..... Nondum enim revixerat Christus, tum enim hominis natura Spiritu et ejus communicatione propemodum inaurata est. »

fieri naturæ divinæ et adoptivos filios, quod per creaturam id fieri nequit: « Non enim, *ait* (1), per creaturam participari potest, quod creaturam superat. » Sed præprimis, antequam S. Cyrillum relinquamus, memorandi sunt duo loci insignes ejusdem, videlicet 7 *Dial. de Trin.*, p. 639, ubi hæc habet: « Templa Dei et dii vocati sumus, et sumus. Quare autem, interroga adversarios: quandoquidem sumus vere participes gratiæ nudæ et subsistentiæ carentis. Sed non sic habet, absit. Templa enim sumus Spiritus existentis et subsistentis, vocatique propter hoc dii, utpote divinæ et ineffabilis naturæ cum illo copula participes facti. At si alienæ naturæ est, et a divina substantialiter separatus, qui nos deos facit Spiritus per se, excidimus a spe, gloriationibusque frustra nescio quomodo cohonestati. Ubi enim adhuc dii et templa Dei secundum Scripturas, propter Spiritum qui est in nobis? Quod enim privatur eo, ut sit Deus, quomodo idipsum poneret in aliis? » Alius locus sic sonat: « Quomodo igitur factus est Spiritus, si Patris et Filii per illum participes efficimur? Non enim per creaturam erit in nobis participatio Dei. Vel dicant: si factus unus sanctorum angelorum esset in nobis, essemusne participes divinæ naturæ? Sed hoc non est verum. Unde Deus in nobis per Deum Spiritum (2). » Hæc tam luculenta sunt ut nullum dubium de mente S. Cyrilli relinquant. « Ac totus, *inquit Petavius* (3), ille liber hujus generis argumentis refertus est, et alii plerique. »

---

(1) *Dial. de Trin.* 7, p. 658, et cf. p. 644 ibid., necnon *Capita argumentorum*, ibid. p. 660.

(2) Lib. *Quod Deus sit Spiritus sanctus*, p. 666.

(3) *De Trin.*, l. VIII, c. IV, n. XIII. — Opponunt tamen quidam ex S. Cyrillo textum *in Joan.* IX, 23; et *Dial.* 7, p. 642, ubi ait S. Doctor nos agnoscere « quid sit Pater, quid Filius, quid Spiritus, distinctione hypostatica, verumtamen unitatis naturalis copula omnia utique sunt omnium, adventus, sermones, participatio, operatio et gloria et quæcumque ornant divinam naturam. » Ast hæc minime contradicunt doctrinæ S. Cyrilli supra expositæ: profecto communes sunt tribus personis ser-

Alios quoque Patres in eamdem sententiam adducit idem Petavius ad quem remittimus (1), quod omnes recitare longum nimis esset, videlicet Paschasium diaconum (2); Didymum (3) præcipue et Originem (4), qui apertissime demonstrant Spiritum sanctum non efficienter duntaxat, et extrinsecus infusa qualitate vel actione communicari sanctis, sed suametipsa communicata et applicata substantia.

46. Jam properamus ad aliam rationem, qua Patres demonstrant indolem inhabitationis Spiritus sancti, dum interpretantur novam seriem textuum S. Scripturæ, in quibus dicimur « signati Spiritu sancto », et habere « pignus Spiritus in cordibus nostris. » Sic 2 *ad Cor.*, I, 22: « qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » Item V, 5: « Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. » Et *ad Ephes.*, I, 13 et 14: « In quo (Christo) et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. Qui est pignus hæreditatis nostræ. » Itemque IV, 30: « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. »

Ad verba S. Pauli ultimo citata hæc annotat S. Hie-

---

mones, operatio (ad extra) et gloria; adventus quoque, ut mox dicemus agendo de priore textu quem objiciunt; participatio tandem, ut modo supra vidimus: « divinæ naturæ *cum illo (Spiritu) copula* participes facti. » In priore textu agit S. Doctor de adventu et mansione Patris et Filii, et, sicut nos, affirmat propter indivisam Trinitatem, tres personas inhabitare, sed de Spiritus sancto insinuat quod fusius alibi probat: Christum in nobis habitare *per Spiritum sanctum*. Vid. v. g. *Dial.* 7, p. 641, necnon *in Joan*, l. XI, p. 688 et l. I, p. 94, ubi priori loco ait: « Spiritus enim est qui nos conjungit, atque ut ita dicam unit cum Deo, quo suscepto participes et consortes divinæ naturæ reddimur. » In posteriore vero locó: « Cum Spiritus sit qui habitat in nobis, et per ipsum habere nos Patrem et Filium credamus. »

(1) Loc. cit., n. XIII-XV. — Plurima quoque adducit Patrum testimonia huc spectantia Thomassinus, *De incarnat. Verbi*, lib. VI.

(2) *De Spir. s.*, II, cap. 8.

(3) *De Spir. s.*, passim.

(4) *Periarch.*, c. 1.

ronymus: « Signàti autem sumus Spiritu Dei sancto, ut et spiritus noster et anima imprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitudinem ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti Spiritus juxta eloquium Salvatoris Deo imprimente signatur. »

S. Basilius luculenter rem declarat dicens: « Quod si homines ad similitudinem informare materias nequeunt aliter nisi ideas ipsorum participent; quomodo ad Dei similitudinem ascendet creatura, nisi divini characteris sit particeps? Divinus porro character non talis est cujusmodi est humanus, sed vivens et vere existens imago imaginis effectrix (1), qua omnia quæ participant imagines Dei constituuntur (2). »

Præclare rursum S. Cyrillus in Dialogo septimo cum Hermia, p. 638: Hoc igitur quod divinam nobis imaginem insculpit et instar sigilli præstantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est? Hermias: Verum non tamquam Deus id facit, inquiunt, sed tamquam divinæ administer gratiæ. Cyrillus: Non igitur ipse nobis sed quæ per illum præstatur gratia nobis insculpitur. Herm.: Ita videtur. Cyril.: Oportebat ergo imaginem gratiæ, et non potius Dei appellari hominem. » Ac subinde Christum ait, cum in apostolos insufflasset, dixisse: *Accipite Spiritum sanctum:* « Quippe non gratiæ, sed ipsius unius sancti Spiritus per illam Salvatoris insufflationem participes fuerunt Apostoli Domini. »

Haud minus diserte Didymus, supra (3) jam indicatus, idem affirmat atque probat ex verbis Apostoli citatis *ad Eph.*, I. Deinde hæc subjicit: « Si enim signantur quidam Spiritu sancto, formam et speciem

---

(1) Imago, imaginis effectrix intelligitur Spiritus sanctus, ut statim addit Basilius et sæpe apud Patres Spiritus imago Filii (vid. supra num. 16) dicitur. — Cf. Cyrillum, *Dial., cap. arg.*, p. 676.

(2) *5 contra Eunomium*, p. 116, alias p. 361, edit. Garnier.

(3) Num. 46.

ejus assumentes, ex his est Spiritus sanctus quæ habentur et non habent; habentibus eum signaculo ejus impressis. Ad eosdem quoque idem scribens: *Nolite,* inquit, *contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis;* signatos esse contestans eos, qui susceperant communionem Spiritus sancti. Quomodo enim disciplinæ et virtutis assumptor signaculum et figuram (ut ita dicam) in suum sensum recipit ejus scientiæ quam assumpsit; sic et is qui Spiritus sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter et sanctus. »

Audiamus et S. Athanasium : « Spiritus, *inquit,* unguentum et sigillum est, quo ungit omnia signatque Verbum..... Hunc vero in modum signati, merito et divinæ naturæ participes efficimur, ut dixit Petrus, atque ita particeps fit Verbi creatura omnis in Spiritu, et per Spiritum dicimur omnes participes Dei. Nescitis enim, inquit, quoniam templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?..... Porro si creatura esset Spiritus sanctus, nulla nobis in ipso esset Dei participatio... Nunc autem, quandocumque dicimur participes Christi et participes Dei, demonstratur unctio illa, quæ est in nobis, et sigillum non esse naturæ conditarum rerum, sed Filii, qui per Spiritum, qui in ipso est, nos Patri conjungit. Hoc enim Joannes... docens ita scripsit: In hoc cognoscimus quoniam in Deo manemus et Deus in nobis quia de Spiritu suo dedit nobis (1) ».

47. Merito igitur adnotat Petavius (2) hæc argumenta Athanasii, Cyrilli aliorumque duci ex vi et proprietate

---

(1) *Ep I ad Serapionem* n. 23-24. Heic nobis objicit Oberdoerffer, *De inhab. Spir. s.,* p. 36, ejusdem Athanasii locum ex ead. epist. n. 30-31, qui nullatenus pugnat cum supra a nobis citatis ex eodem S. Patre. Atvero addit Oberdoerffer hæc verba, quasi essent Athanasii; « Profecto, quum Dominus ait: Veniemus ego et Pater, simul venit Spiritus *non alio modo quam ut Filius* in nobis habitaturus. » Tota autem hæc phrasis non Athanasii est, sed forte auctoris cujusdam e quo Athanasium exscripsit Oberdoerffer, putans citationem S. Doctoris ad hæc quoque verba se extendere.

(2) *De Trin.,* l. VIII, c. V, n. III.

formalis quodammodo causæ, non *efficientis* et extrinsecus tantum quod fit attingentis. « Ut enim, *ait,* sigillum nemo ideo figuram et effigiem in se regis habere probet, quod utcumque hanc efficiat in alio, sed quod applicatione sui ac velut informatione subjectæ materiæ illam exprimat. Alioqui cælum aut ferramentum aliud, quo in ære incisa insculptaque forma est qua sigillum constat, eamdem illam in sese formam principis habere dicatur, cujus est efficiens causa, quod absurdissimum est. Ita non recte ex eo colligi posset Spiritum sanctum formam ac figuram esse Filii vel Dei, quod hanc in nobis figuram simplici et externa quadam actione producat, nisi id per semetipsum applicataque substantia, hoc est, eadem quæ inest ipsi specie figuraque perficiat. »

48. Huc rursum spectant quæ supra (1) a Patribus asseri notavimus, eodem nempe modo ac ratione refici instaurarique Dei in nobis effigiem infusione sancti Spiritus, quo in creatione Deus illam effinxit, quando inspiravit in faciem Adami spiraculum vitæ. Sed de his satis.

Multa adhuc congerere possemus testimonia SS. Patrum, quæ inhabitationem substantialem, eamque personalem Spiritus sancti in justis comprobant. Sed quæ attulimus, rite ea perpendenti rem ad sufficientiam demonstrare jure merito autumamus. Finem imponimus argumento e doctrina Patrum desumpta, addendo adhuc duo brevia eorumdem dicta insignia.

Basilius: « Si ergo in nobis Deus habitare dicitur per Spiritum, quomodo manifesta non est impietas expertem deitatis ipsum Spiritum dicere? Et si deos nominamus eos qui virtute perfecti sunt, perfectio vero per Spiritum obtinetur, quomodo qui deos alios facit, divinitate ipse caret? (2). »

Cyrillus Alex.: « Aut enim dicturi sumus mentiri

---

(1) Num. 39.
(2) *C. Eunom.*, l. III, p. 83.

prorsus Evangelistam, aut si vera loquatur, non falsa, Deus erit et ex Deo secundum naturam Spiritus, cujus nos participatione per fidem in Christum dignamur, ac divinæ naturæ communionem accipimus, atque ex Deo nati dicimur, ideoque dii nominamur, non gratia tantum ad eam provecti gloriam quæ captum nostrum superat, sed tamquam Deum habentes in nobismetipsis habitantem et commorantem (1). » Nonne hæc compendium vere exhibent thesis nostræ ut supra (2)? Idem S. Pater: « Deus ergo, *ait* (3), est Spiritus, qui ad Deum efformat, non tamquam per ministerialem gratiam (οὐχ ὡς διὰ χάριτος ὑπουργικῆς), sed tamquam divinæ naturæ participationem seipsum dignis largiens. »

Et interpretans textum Pauli: « Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrha hæreditatis nostræ, » hæc habet: « Non enim Spiritus in nobis pictoris instar divinam essentiam depingit, ipse aliud existens ab ipsa, neque nos hoc modo ad Dei similitudinem adducit, sed ipse Deus existens et ex Deo procedens velut cera invisibiliter instar sigilli imprimitur, et naturam nostram per communicationem similitudinemque sui, ad archetypam pulchritudinem depingit, Deique imaginem homini restituit (4). »

(Continuabitur).

---

(1) Lib. I *in Joan.*, p. 93. — Et cf. *Dial.* 7, p. 644; et *Thes.*, l. 33 et 34 passim.

(2) Num. 42 et 43.

(3) *De Trin. dial.* 7, p. 639.

(4) Tom. V, p. 1, *Thes.*, p. 360; et cf. *Dial. 5 de Trinit.*, p. 675.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. Expone, juxta epistolii argumentum, occasionem et scopum Ep. ad Philemonem.

Respondetur. I. *Occasio epistolæ ad Philemonem fuit Onesimi servi fugitivi, a Paulo Romæ conversi, reditus ad dominum suum Philemonem Colossensem, quem fuga et probabiliter furto injuriâ affecerat.*

Philemon ad quem primarie (1) scripta est epistola, vir erat insignis, qui Colossis habitabat (v. 1 et *Col.* 4, 17). Erat amicus Pauli carissimus (v. 1 et 22), probabilius per Paulum ipsum ad fidem conversus (v. 19) dum hic Ephesi morabatur (*Act.* 19, 26 coll. 16, 6). Philemon autem dives erat, fide viva et charitate efficaci præditus, utpote qui christianis eleemosynas (2) et hospitalitatem (vv. 2, 5, 7, 22) elargiretur, et in cujus domum christiani Colossenses convenire solerent (v. 2). Vocatur Apostoli adjutor (συνεργός), vel quod munere quodam ecclesiastico fungeretur, vel ideo simpliciter quod opibus et zelo Evangelium inter concives propagaret.

Onesimus servus erat Philemonis, qui, postquam dominum damno, furto ut videtur (v. 18), affecerat ex timore pœnæ (3) Colossis aufugit; et, cum Romam

---

(1) In epistolii inscriptione pariter nominantur *Appia* probabiliter Philemonis uxor, et *Archippus* qui secundum quorumdam conjecturam vere fundatam, fuerit ipsorum filius (v. 2).

(2) Inde apparet jus proprietatis privatæ in primitiva Ecclesia non fuisse abolitum.

(3) Servus fugitivus jure ad dominum redire debebat, a quo pœnis gravissimis, imo morte ipsa, plecti poterat. Dominus ad ejus reditum obtinendum omnium, penes quos erat auctoritas, auxilium invocare poterat. Imo viri erant, *fugitivarii* dicti, qui munere servos fugitivos

venisset (sive casu, sive ut Paulum, quem noverit esse Philemonis amicum, facti jam pœnitens, quæreret), ab Apostolo, qui tunc ibi in prioribus vinculis erat, ad Christum conversus est (v. 10). Paulus in custodia libera (*Act.* 29, 16, 30-31) captivus, ejus ministerio aliquamdiu usus est (vv. 11-13), et cum impense eum diligeret (vv. 10-13, 16-17; *Col.* 4, 9), eum apud se retinere voluisset. Verumtamen, quum ab una parte jus domini (1) lædere timeret, vel saltem ne obsequium videretur extortum (v. 14), et cum ab alia parte Onesimum jam satis in fide confirmatum videret, ut hic sine periculo in Asiam reverti posset, ipsum ad Philemonem remisit (v. 12), simul cum Tychico qui epistolas ad Ephesios et ad Colossenses deferebat (*Eph.* 6, 21; *Col.* 4, 7). Onesimo autem hanc epistolam commendatitiam, stricte privatam, admirabili eloquentia et ingeniosissima charitate exaratam (2) dedit, in finem quem statim indicabimus.

II. *Scopus epistolæ ad Philemonem: S. Paulus Philemonem inducere intendit,* directe *quidem ut Onesimo culpam ignoscat, ei debitum condonet adeoque eum benigne suscipiat;* indirecte *verò ut libertatem ei concedat.*

Scopus ille ex argumento seu analysi (3) epistolæ clare patet.

Post epistolii exordium in quo egregie benevolentiam captat (v. 1-7),

---

requirebant et ad dominos reducebant. Fugitivi autem reducti variis pœnis afficiebantur, et ne unquam deinceps libertatem recuperare possent, ferro candente in fronte littera F urebantur.

(1) De modo sentiendi atque agendi S. Pauli erga servitutem, deque servitute in S. Scriptura, cf. *Collat. Brug.*, t. XII (1907) p. 688 ss., et opusculum nostrum: *De Bijbel, de katholieke Kerk en de slavernij* (Geloofsonderricht, Brugge); Prat, *La théologie de S. Paul,* t. I (Paris, 1908), p. 386 ss.

(2) Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in Epistolas S. Pauli,* Brugis, 1899, t. II, p. 448 ss.; Moule, *The epistles to the Colossians and to Philemon,* Cambridge, 1902, p. 148 ss.; M. R Vincent, *The epistles to the Philippians and to Philemon,* Edinburgh, 1902, p. 168 s.

(3) Cf. Van Steenkiste, *o. c.*, p. 450.

a/ *Directe petit ut Philemon culpam ignoscat et debitum remittat.*

Possem, ait, illud tibi imperare; nam vere æquum est (v. 8), sed ut charitas tua spontanea maneat, humiliter potius obsecro per senectutem meam et vincula mea (v. 9). Ipse est nunc filius meus, in vinculis Christo genitus (v. 10), adeoque charissimus (v. 12), olim inutilis, nunc vere utilis (1) tibi et mihi (v. 11), adeo quidem ut voluissem eum retinere « ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii » (v. 13). Sed eum remisi ut magis sponte culpam condonares (v. 14). Forsitan res accidit, ut ille ad Christum converteretur, et tu æternum eo fruereris jam non ut servo sed tanquam fratre charissimo (v. 15-16). Meipsum recipies in ejus persona (v. 17). Si quid nocuit tibi aut debet, trado tibi chirographum meum, quo me ad debiti solutionem obstringo (v. 18, 19). Sed tu majora mihi debes: imo te totum debes (v. 19[b], 20[a]). « Ego te fruar (2) in Domino »: recrea cor meum pro Onesimo sollicitum (v. 20[b]), ei veniam largiendo.

b/ *Indirecte rogat ut libertatem ei concedat.* Quod jam innuerat v. 15-16 (3), nunc magis clare suadet, quin tamen explicite dicat, v. 21: « Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam super id, quod dico, facies », sc. concedes completam e statu servitutis liberationem seu manumissionem (4).

Salutationes et altera gratiarum actio epistolium claudunt (v. 23-25).

A. Camerlynck.

---

(1) Hic elegans habetur paronomasia ad nomen græcum Ὀνήσιμος quod significat: *utilis*.

(2) Gr. ὀναίμην = tanquam *Onesimo* meo. Iterum elegans et solers occurrit paronomasia.

(3) Inspiciendus est textus græcus v. 16: ὑπὲρ δοῦλον etc.

(4) Nullum dubium quin Philemon culpam condonaverit; imò summe probabile est ipsum Onesimo manumissionem concessisse. — Cf. Lightfoot, *Colossians and Philemon*, London, 1876; Bernard, apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburg. art. Philemon, and Philemon (epistle to).

II

Q. *Quid requiritur et sufficit ut* idem *homo resurgat.*

R. Ut *idem* resurgat homo, censemus requiri et sufficere ut eadem numero anima iterum uniatur materiæ primæ sub debitis dimensionibus existenti, sive fuerit sive non fuerit olim informata hæc materia ab eadem anima.

Hæc sententia, ut videtur, logice sequitur ex doctrina scholastica de essentiali compositione hominis ex materia prima et forma substantiali unica, et est explicatio in qua plene salvatur dogma catholicum de identitate hominum resurgentium.

1. Etenim si admittitur materiam primam esse puram potentiam, seu principium mere *determinabile*, et ex semetipsa nec quid esse, nec quale, nec quantum (1); formam vero substantialem esse illud principium *determinans* quod, sub omni respectu, determinat materiam primam et a quo proinde homo est non solum homo sed animal et vivum et corpus et substantia et ens (2), et etiam *hic* homo et *hoc* animal etc. (3), sequitur quod si eadem numero anima iterum unitur materiæ primæ, sub debitis dimensionibus, hæc anima illi materiæ tribuet *omnes determinationes* quas indidit materiæ primæ cui olim fuerit unita; consequenter compositum quod ex illa unione surgit, non solum quoad speciem, sed etiam quoad *omnes notas individuantes* est *idem* quod olim fuit. — Quod ut melius intelligas, considera: 1/ quod *esse* hominis est idem ac esse animæ rationalis, proinde illud esse remanet dissoluto corpore, et, in resurrectione, ipsum idem esse, ex unione animæ cum materia, facit existere *idem* compositum (4); 2/ quod in

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 317.

(2) Cf. S. Thomas, *De spiritualibus creaturis*, a. 3.

(3) Cf. Terrien, *S. Thomæ Aq. doctrina sincera de unione hypostatica*, Parisiis, 1894, p. 77 ss.

(4) Cf. S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 81.

cadavere vel cineribus hominis defuncti nullus remanet appetitus naturalis, nec relatio realis ulla, ad animam a qua fuit prius informata; sed materia prima, separata per mortem ab anima, transit tota quanta est sub aliis formis substantialibus, tum specie, tum numero omninò ab anima distinctis, quibuscum constituit nova individua. « Corpora mortuorum... (sunt) vere *individua nova, perfecte condistincta et condivisa ab individuis quæ erant prius,...* nec possunt efficere ut ad identitatem resurgentium in novissimo die quidquam conferat assumptio materiæ nunc signatæ in hoc potius quam in alio quocumque individuo sive individuorum aggregato. Quippe materia nude et secundum se accepta nullam differentiam habet, nec genericam, nec specificam, nec individualem, quia nec quid, nec quale, nec quantum. Est quidem principium individuationis (1) quatenus ex ea oritur divisibilitas, et consequenter multiplicabilitas individuorum in eadem specie. Verumtamen formalis divisio, ac per hoc formalis individualitas non est nisi compositi, in quo materia pura potentia est, forma vero actus est a quo omnis determinatio generica, specifica, necnon et individualis » (2).

Hæc sententia *confirmari* videtur ex hoc quod auctores qui exigunt eamdem numero materiam primam, quæ fuit olim informata ab anima, iterum assumi ab hac anima ut idem sit homo resurgens, admittunt tamen

---

(1) De hoc asserto cf. S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. II, c. 83 versus finem; Remer, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, p. 303 ss.

(2) Billot, *De Novissimis*, Romæ, 1992, p. 155 s. — Quando anima creatur a Deo et infunditur materiæ primæ, ita creatur ut sit proportionata materiæ primæ hujusque dispositionibus, proinde individualis animæ perfectio dependet a dispositione corporis cui infunditur; hanc vero individualem perfectionem anima semper servat; quando porro in resurrectione corpora, ex qualibet materia, iterum formantur, animæ quæ iis uniuntur, constituunt *idem* compositum quod fuit antea. Cf. Id., *o. c.*, p. 156 ss.; cf. S. Thomas, 1, q. 85, a 7; Ferrariensis, in *Summam contra Gentiles*, L. I, c. 3.

posse ex alia materia prima (nunquam informata ab hac anima) suppleri id quod deficeret ad debitam quantitatem : v. gr. ad corpus infantis mortui reconstituendum supplebitur id quod requiritur ut hic infans resurgat in quantitate debita homini adulto ac perfecto ; in hoc vero casu, identitatem hominis resurgentis repetunt illi auctores, præcipue saltem, si non unice, ex identitate ipsius animæ informantis totam materiam (1). Si igitur identitati numericæ hominis resurgentis non obstat quod major etiam pars materiæ primæ nunquam fuerit per vitam terrestrem informata ab anima resurgentis, cur identitas resurgentis periret si nulla pars materiæ primæ fuerit olim informata ab anima, quum ab anima proveniat omnis determinatio materiæ primæ?

Nota. Non negamus possibile esse ut eadem numero materia prima, saltem quoad partem ejus, iterum assumatur ab anima humana quæ illam prius informavit : quibuscumque enim modis dispersæ fuerint cineres hominis mortui et in quæcumque transierint corpora etiam humana, potest Deus scientia sua ac providentia res ita regere ut homines singuli resurgentes habeant, saltem partialiter, eamdem numero materiam primam quæ ab ipsorum anima fuit informata (2).

2. In sententia exposita plene salvatur, ut videtur,

---

(1) Ad rem Ferrariensis, *o. c.*, L. IV, c. 81 : « Licet dicatur manere idem numero individuum a principio vitæ usque ad finem, non est tamen intelligendum hoc secundum omnimodam identitatem, quasi nulla sit variatio : implicat enim contradictionem quod aliquid sit omnibus modis idem, et tamen aliquid ejus sit variatum : sed potest dici quod manet *unus et idem homo simpliciter* a principio usque ad finem vitæ. propter unitatem numeralem formæ et propter aliquam identitatem materiæ.. ; est tamen *alius secundum quid*, propter continuam variationem partium materialium. Eodem modo dicendum est de homine resurgente : quia si per divinam potentiam corpori resurgentis suppleatur de aliquo quod sibi ad complementum perfectæ quantitatis deficiebat, est idem numero homo simpliciter et absolute, sed secundum quid est alius, quia aliquam partem materiæ habet quam prius non habebat ».

(2) Varias de hac re hypotheses v. apud S. Thomam, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 81, versus finem.

dogma catholicum de resurrectione corporum. Et sane illud dogma, quoad identitatem hominis resurgentis, nihil aliud importat quam *veram identitatem individui* resurgentis, et quoad corpus et quoad animam (1): jamvero hoc omnino contendimus quod ex unione ejusdem numero animæ humanæ ad materiam primam sub debita quantitate existentem, resurgat *idem homo* et *quoad corpus* et *quoad animam*. Quoad *animam*, nulla occurrit difficultas. Quoad *corpus*, dicimus *idem* omnino corpus *reconstitui* præcise quia eadem numero anima tribuit materiæ primæ *easdem determinationes et specificas et individuales* quas olim tribuit: ita ut homo resurgens habeat eadem ossa, easdem carnes, eamdem pellem, quam olim habuit. Etiam in sententia, quam propugnamus, homo dicere potest: « rursum circumdabor pelle *mea*, — et in carne *mea* videbo Deum meum, quem visurus sum *ego ipse*... et non alius » (2).

Adnotatio. Licet S. Thomas censeat in resurrectione hominum eamdem numero materiam primam, saltem quoad partem, iterum esse uniendam eidem numero animæ, tamen admittit principium ex quo deduximus sententiam propugnatam.

Dicit nempe: « Si *una anima* diversis corporibus generatis unitur successive, redibit, *idem numero homo* per generationem: quod secundum Platonem de necessitate sequitur, qui dixit hominem esse animam corpore indutam. Sequitur etiam et in aliis quibuscumque: quia cum unitas rei sequatur formam sicut et esse, *oportet* quod *illa* sint *idem numero*, quorum est *forma* numero una » (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 459, 641.
(2) *Job.*, **19**, 26-27.
(3) *Summa contra Gentiles*, L. II, c. 83.

III

Q. *Da notionem impotentiæ.*

R. I. **Notio.**

Impotentia est **defectus aptitudinis per se ad generandum.**

Dupliciter autem concipi potest hujus aptitudinis defectus, prout deficit generandi aptitudo *perfecta*, seu aptitudo *simpliciter*, vel aptitudo *minus perfecta* seu *secundum quid*.

Nimirum persona potest esse ad generandum apta **perfecte** seu *simpliciter*, quatenus scil. ipsi præsto sunt omnia elementa et organa expedita, ad fœcundationem quomodocumque a natura per se requisita. Potest autem esse ad generandum apta, non quidem perfecte et *simpliciter,* sed **minus perfecte** et *secundum quid* dumtaxat, i. e. **ex parte copulæ** tantum, quatenus nempe capax existit peragendi copulam *natura sua* et *ex parte actus* ad fœcundationem proportionatam : *ex parte actus*, abstractione nempe facta a reliquis organis, præter copulæ actum, ad fœcundationem requisitis ; *natura sua*, i. e. quin attendantur illa quæ possent in ipsis copulæ elementis procreationem impedire *per accidens*, prout scil. sunt in tali vel tali individuo (1).

Sub altera acceptione, impotentia non datur quotiescumque præsto sunt organa expedita ad penetrationem vasis debiti, cum emissione seminis virilis : virga scil. erectibilis, ex parte viri, cum testiculis ad semen elaborandum necessariis, ac canali pervio ad urethrum, et, ex parte fœminæ, vagina pervia. Unde impotentiam importaret, apud *virum,* absentia virgæ, anaphrodi-

---

(1) « Rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quæ per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quæ totam speciem consequuntur ». S. Thomas, *C. Gent.*, l. III, n. 122.

sia (1), ac aphrodisia (2), disproportio virgæ, defectus testiculorum (3), resectio canalis deferentis per vasectomiam (4), aut quævis infirmitas quæ penetrationem physice impediat aut seminationem intra vas (5); non autem impotens redderetur vir ex eo quod semen per

---

(1) Consistit in absentia erectibilitatis ad perficiendam copulam, quæ frigiditas passim provenit ex infirmitate aliqua nervosa, vel etiam oriri potest ex indifferentia erga uxorem, vel ex timore incusso aut per autosuggestionem suscepto; olim plerumque adscribebatur *maleficiis*. Cf. ESCHBACH, *Disputationes physiologico-theologicæ*, Romæ, 1901, p. 148 s.; BROUARDEL, *Le Mariage*, Paris, 1900, p. 118 s.; BOUVIER, *Dissert. in VI Decalogi præceptum*, p. 135 et 139; ANTONELLI, *Medecina Pastoralis*, Romæ, 1905, II, p. 117 ss.; FRANZ, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, Herder, 1909, p. 178 ss et ESMEIN, *Le Mariage en droit canonique*, Paris, 1891, I, p. 242 ss., ubi fusè de hoc disseritur.

(2) *Aphrodisia* consistit in excessiva excitatione venerea, qua fit ut seminis secretio penetrationem prævertat. Cf. SURBLED, *La Morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène*, 10e éd., Paris, 1905, t. II, p. 142 ss.

(3) *Spadones* generatim dicuntur virilitate et in specie testiculis carentes, sive a natura sive ope chirurgicæ operationis, dum *castrati* sunt illi quibus testiculi operatione sunt ablati. Cf. FORCELLINI, *Totius Latinitatis Lexicon*, Vo *Spado*. Castrati autem possunt esse veræ seminationis capaces in prima vel altera copulatione post castrationem inde a pubertate peracta, usquedum scil. evacuatæ fuerint vesiculæ seminales. Cf. BROUARDEL, o. c., p. 121 s. Absentiam testiculorum ne confundas cum cryptorchidia, quæ supponit testiculos in interiori corpore occultatos. Circa spadones notissima habetur Constitutio Sixti V, *Cum frequenter*, 22 Junii 1587, ubi inhabiles declarantur ad matrimonium.

(4) *Vasectomia* consistit, pro *viro*, in hoc quod, facta incisione per scrotum, vas deferens, seu canale semen a testiculis elaboratum ad vesiculas seminales deferens, resecetur, et sic semini via abrumpatur ad ejaculationem; pro *fœmina*, consistit in resectione oviducti, seu canalis ab ovariis ad matricem ducentis et ovula matura deferentis, et vocatur *oophorectomia*. Unde *viri* vasectomiam passi, non secus ac castrati, incapaces sunt, post evacuationem vesicularum seminalium, ad emittendum verum semen virile. Possunt quidem hi sicut et illi servare erectibilitatem virgæ et vaginam penetrare, ac imo liquidum quoddam ejaculare, sed hoc liquidum non est verum semen, sed humor aliquis aquosus a glandula *prostrata* secretum. Cf. FERRERES, apud *Razon y Fé*, t. XXVII (1910), p. 374 ss., et XXVIII, p. 224 ss.

(5) Hujusmodi infirmitas occurrere potest in casu hypospadiæ vel epispadiæ, quando nempe orificium virgæ sistitur in radice penis, sive ex parte inferiori sive ex parte superiori. Cf. BROUARDEL, o. c., p. 125 s. coll. p. 103.

accidens non sit prolificum seu spermatozoidis expers existat, uti solet contingere in senibus; in *muliere* impotentiam constituit defectus vaginæ, nimia arctitudo aut etiam vaginismus (1), non autem ovariotomia nec oophorectomia.

Contrà, *in priori acceptione, impotentes* essent *etiam* illæ personæ, quæ quidem valent descriptam copulam perficere, sed carent organo seu elemento, extra copulæ actum, ad fœcundationem physiologicè et insupplebiliter necessario. Tales essent præ cæteris fœminæ utroque ovario carentes, necnon mulieres *oophorectomiam* passæ (2).

---

(1) Vaginismus est in hyperesthesia vulvæ omnem coitum impediente. Cf. Brouardel, o. c., p. 143. Hujusmodi infirmitas constituit mulierem impotentem; ad potentiam namque non est satis quod vir possit applicare virgam ad exteriorem partem vulvæ et ibidem deponere semen: potest quidem exinde fœcundatio obtineri, favore motus vitalis quo gaudent spermatozoida ut sponte sua vaginam pervadant; atvero id non sufficit, sed requiritur ut fœcundatio fieri queat via normali et naturali, per copulam scil. Ad hoc autem requiritur penetratio corporis fœminei, non quidem perfecta, ita ut vagina in tota longitudine penetretur, sed aliqualis saltem requiritur corporis penetratio. De hoc tantùm dubitari posset, utrum satis sit quod vir valeat penetrare vulvam, usque ad vaginæ orificium, in hoc deposito semine. Cf. Van de Burgt-Schaepman, *Tractatus de Matrimonio*, Ultrajecti, 1908, I, n. 204; Wernz, *Jus Decretalium*, n. 342, sub nota 4.

(2) Ad hæc melius intelligenda juvat notare, in procreationis œconomia hæc *duo* esse distinguenda. *Primo* habetur *coitus* seu *copula*, qua nempe vir penetrat corpus mulieris et semen in eo infundit: ad hoc *in viro* datur *penis* seu *virga* erectibilis, ad corpus fœmineum penetrandum, et dantur *testiculi*, ad elaborandum semen, seu liquidum fœcundantibus spermatozoidis refertum, quod sperma per canale deferens (canal déférent) deducitur ad vesiculas seminales et, sub influxu venereæ excitationis, ejaculatur per virgam; *in muliere* correspondet organum penetrabile, *vagina* dictum, i. e. canale flaccidum ab exteriori parte ad interiora ducens, et seminis ejaculandi receptivum.

Præterea habetur *ipsa fœcundatio*, per conjunctionem scil. spermatozoidum cum ovulo fœmineo: ex una scil. parte spermatozoida, copula peracta, spontaneo vitali motu intimius penetrant corpus muliebre, et e vagina ingrediuntur uterum seu matricem, ad quam vagina aditum præbet; ex alia autem parte descendit e penetralibus mulieris ovulum seu elementum fœcundandum, procedens ab ovariis, i. e. a binis organis, ovula conficientibus et ex utroque latere uteri existentibus, ad uterumque

Nota. Defectus aptitudinis perfectæ, seu impotentia, in priori acceptione, a pluribus dicitur ineptitudo *ad generandum,* dum defectus aptitudinis minus perfectæ, sub altera acceptione, dicitur ineptitudo *ad coeundum.* Ex dicendis autem sub sequenti responso liquebit præferendam esse terminologiam adhibitam.

II. **Species.**

Impotentia, in utraque acceptione, est *antecedens* vel *consequens*, prouti matrimonio est anterior aut posterior.

Est *absoluta,* si existit respectu cujuscumque personæ; *relativa,* si restringitur ad unam alteramve personam, ita ut vir v. gr., ratione frigiditatis vel disproportionis virgæ, impotens sit cum una muliere et non cum alia (1).

Est *perpetua*, si est incurabilis vel sanabilis dumtaxat per miraculum vel per media planè extraordinaria (2) ac valde periculosa aut illicita (3), dum impotentia *temporanea*, quæ propriè non est impotentia, auferri potest absque ope remedii illiciti aut extraordinarii (4).

Posset etiam distingui impotentia *organica* seu ana-

---

religatis ope duplicis conducti (tubæ Fallopianæ); fœcundationem autem producit utriusque elementi conjunctio, elementi nempe activi (spermatozoidis) et elementi passivi (ovuli fœminei).

(1) Maleficium plerumque habebatur uti causa impotentiæ relativæ, sed nonnunquam etiam uti causa impotentiæ absolutæ. Cf. *Conférences écclesiastiques de Paris sur le Mariage,* III, p. 111 s.

(2) Ita censetur vir vasectomiam passus *perpetuo* impotens. Physica quidem adest possibilitas hanc impotentiam curandi, extremitates resuendo exsecti canalis deferentis; ast ad hoc opus est delicata operatione chirurgica, quæ non potest inter media ordinaria recenseri; insuper, nisi vasectomia recenter sit peracta, dubius valde erit illius operationis exitus.

(3) Illicitum meritò censebatur maleficium maleficio expellere. Cf. *Conférences de Paris,* III, p. 112 s.

(4) Ita impotentia ex hypospadia nonnunquam curatur sola mutatione situs in cœundo. Cf. Stöhr, *Handbuch der Pastoralmedezin* (ed. Kannamüller), Freiburg i. B., 1909, p. 502. Quodsi impotentia removeri nequit nisi per operationem chirurgicam; si hæc non est periculosa, licet valde dolorosa, puta in casu arctitudinis incisione curandæ, nec tunc censetur adesse impotentia perpetua, et matrimonium cum tali impotentia initum non posset declarari nullum. Non esset tamen uxor ad hujusmodi operationem subeundam cogenda, sed posset matrimonii non consummati dissolutio obtineri.

tomica et impotentia *functionalis*, ut aiunt, prouti oritur ex defectu anatomico vel ex defectu functionali, maximè ex parte systematis nervosi, quod solet contingere in anaphrodisia, aphrodisia aut in vaginismo: sed hæc distinctio ad nostrum scopum minus refert.

IV

Q. *Determina quænam impotentia constituat impedimentum dirimens matrimonii.*

R. *Supponitur* admissum quod impotentia, seu defectus aptitudinis per se ad generandum, ipso jure naturæ inducat impedimentum dirimens matrimonii. Et sanè id sequitur ex ipsa notione matrimonii ejusque fine operis proprio. Est namque matrimonium contractus quo vir et mulier se mutuo consociant et conjunguntur in unum ac individuum prolis generandæ et informandæ principium, et consequenter ejusdem matrimonii finis proprius est generatio et educatio prolis: ad hunc proinde finem, speciatim ad finem generationis, necessario servanda est in matrimonio debita ordinatio, adeoque quædam in contrahentibus aptitudo ad generandum.

Quo supposito, ad quæsitum **respondetur**:

Sola impotentia perpetua et antecedens constituit impedimentum dirimens; est autem speculative probabilis et practicè tuta sententia quæ docet impotentiam, in quantum est matrimonii irritativa, restringi ad solum defectum aptitudinis generandi ex parte copulæ, adeo ut non dirimatur matrimonium nisi inter personas ineptas ad exercendam copulam natura sua et ex parte actus generationi idoneam.

Probatio et Explicatio.

I. Quod sola attendenda sit impotentia *perpetua*, sponte liquet, cum hæc sola simpliciter impediat ordinationem matrimonii ad finem operis.

II. Supponitur etiam impotentia *antecedens*; impo-

tentia autem matrimonio *superveniens* reperit conjugium valide initum ac firmum existens, nec ullatenus illud dirimit, sed ejus tantùm usum excludit. Non refert utrum impotentia sit *absoluta*, vel *relativa*, hoc scil. attento quod impotentia absoluta impedimentum inducit respectu cujuscumque personæ, dum impotentia *relativa* irritat matrimonium cum sola persona respectu cujus existit impotentia.

III. Quod spectat tertiam partem propositionis: solum nempe defectum aptitudinis ad generandum *ex parte copulæ* constituere impedimentum:

A. Est sententia *speculative probabilis*.

Revera 1° *Contractus* matrimonialis habet *tanquam objectum* translationem juris et obligationis susceptionem mutuam, non ad fœcundandum, sed ad actum præstandum qui natura sua et qua talis ad fœcundationem ordinetur. Ad hoc igitur ut consistat contractus, sufficit quod nupturientes possint invicem copulam præstare corporis ad ponendum actum per se generationi idoneum.

Pariter si *finis* spectatur matrimonii, finis operis proprius et unicus est quidem generatio ac educatio prolis, et ideo matrimonium non datur legitimum nisi servata ordinatione objectiva ad generationem; atqui servatur illa ordinatio in contrahentium aptitudine ad generandum *ex parte copulæ,* in eorum habilitate scil. exercendi copulam per se generationi proportionatam.

Sufficit etiam hæc aptitudo ut *legitimus* evadat *usus matrimonii* ac legitimetur copula conjugalis: supposita namque illa aptitudine, eo ipso poni potest actus tali modo ut, *in quantum actus est,* dirigatur et sponte sua ordinetur in suum finem operis proprium, unde præcisè legitimitatem accipit; nimirum, ut actus aliquis sit legitimus, non debet posse obtineri ejus finis operis absolutè et ex omni parte, sed satis est ut actus *qua talis* sit *natura sua* ad finem operis proportionatus.

Confirmatur 2° ex eo quod contractus matrimonialis

est contractus *socialis, regimini obnoxius Principis societatis*, etiam Principis civilis, pro infidelibus. Oportet nempe ut a Principe moderari queat ille contractus, utque passim dijudicari possit ejus existentia, validitas vel invaliditas. Unde natura conjugalis contractus exigit ut nonnisi talia impedimenta constituantur, de quorum præsentia constare valeat regulariter et de communiter contingentibus, quæ nitantur scil. in facto obvio et regulariter perceptibili.

Quo pacto liquet impotentiam, *in quantum est impedimentum matrimonii*, non posse consistere in defectu *aptitudinis perfectæ* ad generandum, seu in absentia vel vitio cujuscumque organi ad fœcundationem undecumque necessarii: excludendus est defectus aptitudinis oriens ex absentia vel vitio organi de cujus absentia vel vitio de via ordinaria constare nequit (1), et solus attendendus est defectus aptutidinis ex parte *copulæ*, quatenus hæc non possit exerceri modo natura sua et ex parte actus generationi idoneo.

Confirmatur 3° ex *gravi incommodo* ex altera sententia consecuturo. Urgendo nempe tanquam impedimentum defectum aptitudinis simpliciter ad generandum, ad matrimonium ejusque legitimum usum inhabiles essent non tantùm mulieres ovariis orbatæ, aut oophorectomiam passæ, sed etiam mulieres, numero admodum multæ, ovaria habentes irremediabiliter inertia, quemadmodum solet contingere post tempus « ménopause » dictum, necnon viri quorum semen per accidens est vitiatum aut spermatozoidis carens.

Esto quod de singulis individuis personis determinate dici nequiret eas esse hac ratione impotentes, quodque adeo non possent a matrimonio ejusque usu arceri;

---

(1) Non refert quod hinc inde de absentia vel præsentia constare possit exceptionaliter et accidentaliter: sufficit ut defectus impervius sit de via ordinaria, siquidem respicienda non sunt nisi quæ sunt per se et communiter contingentia.

maneret tamen quod *a parte rei* forent inhabiles et invalidè junctæ, quodque materialiter peccarent matrimonio utendo: in quo sanè ingens videtur adesse inconveniens.

Quibus omnibus attentis, non est negandum gravissimum dari rationis momentum in favorem sententiæ in propositione inductæ; ex capite nempe impotentiæ non constitui impedimentum dirimens matrimonii nisi per defectum *aptitudinis secundum quid* ad generandum, per ineptitudinem scil. *ad copulam ex parte actus generationi idoneam:* unde potentes essent et habiles ad matrimonium *mulieres* excisæ, vel oophorectomiam passæ, vel ovaria habentes irremediabiliter inertia, necnon *viri* senes, erectionis et veræ seminationis capaces, quorum semen est per accidens non prolificum.

B. Sententia est *practice tuta.*

Nimirum potest practice permitti matrimonium ejusque usus, quotiescumque constat nupturientes *aptos esse ad copulam ex parte actus generationi idoneam,* etiam ubi innotuerit, apud alterutrum, absentia aut vitium organi seu elementi, extra copulæ actum, ad fœcundationem requisiti; in specie non esset matrimonium ejusque usus interdicendum mulieri, oophorectomiam passæ, vel cui ablatum est utrumque ovarium, *quantumvis de perfecta excisione certò constiterit.*

Revera 1° Eo ipso quod *speculative probabilis* est sententia quæ tenet dictam aptitudinem sufficere ad habilitatem nubendi, non possunt hujusmodi nupturientes in praxi a matrimonio removeri: non possunt namque, ob impedimentum indispensabile, *omne matrimonium excludens absolutè,* nuptiæ prohiberi, *nisi* de illius præsentia *certò constet.*

2° Hanc normam practicam sequi videtur S. Sedes, quatenus mulieri excisæ matrimonium inire permittit, quemadmodum innotescit ex variis solutionibus datis, signanter ex solutione novissimè lata coram S. C. de Sacram., die 2 Aprilis 1909.

Referuntur imprimis decisiones S. C. O. 3 Febr. 1887,

23 Julii 1890, 31 Julii 1895 (1), et ea quam refert WERNZ, o. c., n. 345, nota 34, anni 1902 (2); sed in hisce minus insistimus quia non sine aliquo fundamento reponi posset normam, in propositis casibus a S. Officio adoptatam, non valere nisi pro casu quo *facto dubia fuerit excisio perfecta*, quasi hoc dubium facti præ oculis habuerit S. Congregatio et in hoc dubio facti sententiam fundaverit (3).

Majoris autem momenti est responsum S. C. de Sacr. anni 1909. Spectat nempe casum in quo, juxta exposita et juxta expressam chirurgi attestationem, *certò perfecta ac completa erat ovariorum exsectio* (4); remittit autem

---

(1) Anno 1887: Qu. « Num mulier N N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? ». R. « Matrimonium non esse impediendum ». Anno 1890: Qu. « Une personne à laquelle le chirurgien a enlevé les deux ovaires et l'uterus, peut-elle validement contracter mariage? ». R. « Matrimonium non esse impediendum ». Anno 1895: Qu. « Utrum puella N., cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt, quæque proinde, licet cæteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium valide et licitè contrahere possit? ». R. « Detur responsum ut in Reghinen., scil. juxta exposita matrimonium in casu non esse impediendum ».

(2) Juxta GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, Parisiis, 1892, n. 578, « sunt etiam *plures* aliæ similes responsiones pro matrimoniis contrahendis; et pro matrimonio contracto S. C. cohærenter respondit: conjuges non esse inquietandos; et sive de contrahendo sive de contracto, S. C. nunquam reposuit contra matrimonium ».

(3) Quod spectat responsum anni 1902, refert WERNZ, l. c.: « Cum novus iste casus excisionis ovariorum in S. C. Inqu. propositus fuisset, antequam responsum daretur, a medico expetitum est quanam ratione illa excisio facta esset. Qui cum respondisset de *perfecta* carentia organorum *non certo* constare, tum demum prodiit responsum: matrimonium in casu non esse impediendum ».

Circa responsa autem anteriora notat ANTONELLI, *Pro Conceptu Impotentiæ et impotentiæ relate ad matrimonium*, Pustet, 1901, n. 78, Secretarium S. Officii declarasse Patri Bucceroni, in illis responsis supponi quod « non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia ».

(4) En, juxta FERRERES, *Razon y Fé*, t. XXVII, p. 101, et versionem factam in N. R. th., 1910, p. 199, tenorem supplicæ et responsi:

Eminentissime Seigneur Cardinal-Préfet de la Congrégation de Sacramentis.

N. N. curé de Saint-Pierre de N., évêché de O., en Espagne, expose respectueusement à V. É. que, il y a quelques années, une de ses parois-

S. Congr. ad responsum S. O., anni 1890, scil. « matrimonium non esse impediendum », idque absque præmissa aut præscripta ulteriori inquisitione circa facti exposita. Porro negotium fuit tractatum non coram plenario cœtu, sed coram congressu tantùm, coram quo, juxta Normas Reformatæ Curiæ, aguntur negotia ac resolvuntur dubia, « ubi res perspicua sit, obvia nullique objecta controversiæ » (1): quod innuere videtur hanc normam analogis casibus deinceps applicatum iri regulariter.

Conclusio practica. Si unquam obviam habeatur mulier, capax quidem copulam exercendi generationi de se idoneam, sed organo destituta ad fœcundationem aliunde requisito, puta ex ovariotomia vel oophorectomia: hujusmodi personæ prudenter *dissuaderi* possent nuptiæ, non autem *interdici;* præstat autem, attento

---

siennes, nommée M. M., vivait en concubinage. Comme il s'informait pour la tirer de ce triste état, elle lui manifesta que dans une récente opération chirurgicale on lui avait enlevé la matrice et les ovaires. Le médecin qui lui avait fait l'opération consulté, dit que l'ablation de la matrice et des deux ovaires était certaine. Puis-je en l'état procéder au mariage, ou dois-je considérer cette personne comme inhabile pour cause d'empêchement d'impuissance? Et, vu l'ablation totale de la matrice et des deux ovaires, puis-je solliciter de Sa Sainteté dispense de l'empêchement d'impuissance (?) pour que l'intéressée vive chrétiennement?

3 mars 1909.

N. N.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, relatis precibus hisce litteris adnexis, omnibus mature perpensis, Amplitudini Tuæ respondendum censuit prout sequitur: *Quatenus vera sint exposita, detur responsum S. Congr. S. Officii diei 23 julii 1890 in causa Quebecen.*, scilicet: « *Matrimonium non esse impediendum* ». Datum Romæ die 2 Aprilis 1909.

D. Jorio *Subsecr.*

Arth. Mazzoni, *Off.*

Porro erat facta operatio per *laparatomiam*, uti ex testimonio medici, apud N. R. th., l. c., p. 201 relato, liquet: fatetur autem Antonelli, *Medecina Past.*, ed. 3ia, II, n. 546 et 548, quod, si dubium esse potest de partialis ovarii remanentia in casu exsectionis per viam vaginalem aut sacralem, « in casu ablationis uteri et ovariorum simul per laparotomiam, nullum amplius dubium facti esse potest ».

(1) *Normæ Peculiares* Curiæ reformatæ, cap. II, n. 2.

dubio speculativo circa sententiam propositam, ut parochus vel confessarius, si res moram patiatur, antequam negotium dirimant, consilium exquirant Ordinarii.

A. De Smet.

V

Q. *Expone quid sit mortificatio christiana.*

R. Docet Concilium Tridentinum, Sess. V, *Decr. de pecc. originali*, n. 5, per baptismum « tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet... *Manere autem in baptizatis concupiscentiam*, vel fomitem...: quæ cum *ad agonem relicta* sit, nocere non consentientibus; sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quin immo qui legitime certaverit, coronabitur (2 Tim. II, 5). Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus *peccatum* appellat (Rom. VI, 12 ss.).... quia *ex peccato est et ad peccatum inclinat* » (1).

Repugnantia isti concupiscentiæ in baptizatis relictæ vocatur *mortificatio*. Concupiscentia autem est triplex (2), et vocatur in Scriptura vel *vetus homo*, oppositus novo homini, qui est Christus vivens in nobis et nos viventes in Christo, vel *caro* seu natura corrupta, opposita spiritui seu naturæ regeneratæ per gratiam supernaturalem (3). Hanc carnem seu veterem hominem oportet *mortificare*, id est, non quidem destruere, occidere, quod est impossibile, sed *quasi mortuum facere,* impedire ne noceat vitæ spirituali: scilicet ne producat peccatum, quod parit concupiscentia, ut dicit S. Jacobus (I, 15), vel saltem ne impediat perfectionem (4).

---

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 792.

(2) *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum* et *superbia vitæ* (1 Jo. II, 16). Cf. nostrum opusculum *Het Brood des Levens,* derde uitgave, Brugge, Beyaert, 1910, bl. 82.

(3) Cf. Rom. VI, VII; Gal. V, 16 ss.; Col. III.

(4) Cf. Card. Mercier, *A mes Séminaristes*, Bruxelles, De Wit, 6e con-

Homo igitur christianus, adjutus gratia Dei (1), intendit per mortificationem removere impedimenta vitæ spiritualis oriunda ex corruptione naturæ seu intendit restaurare, quantum possibile est, harmoniam turbatam per peccatum originale (2).

Unde, si velimus pressius determinare *quid sit mortificatio christiana*, sensu generico accepta (3), videtur dici posse quod sit *virtus generalis* (4), *qua removentur impedimenta vitæ spiritualis, sive communis* seu justitiæ christianæ, *sive perfectæ* (5), *oriunda ex corruptione inducta per peccatum originale et relicta etiam in regeneratis.*

Ex hac notione intelligitur a/ *campus* mortificationis :

---

férence, et folium : *De la mortification chrétienne,* Louvain, Ch. Peeters. Bene advertit ALVAREZ DE PAZ, *De mortificatione virium animæ et abnegatione veteris hominis,* in procemio, « mortificationem nequaquam motus humanorum affectuum exscindere, sed comprimere, et moderari. Tonsor enim capillos barbamque præscindit, aut radit, radicem autem pilorum non excutit; immo nec attentat, quoniam id quod fieri non potest, et ad pulchritudinem hominis necessarium non est, attentare putat inutile. Sic homo bene mortificatus quasi tonsor est, qui superflua virium animæ resecat, initia vero motuum superfluorum non evellit, quia talis evulsio possibilis non est, et dignitati naturæ humanæ non parum officeret ».

(1) « Non ego autem, ait Apostolus (1 Cor. XV, 10), sed *gratia Dei mecum* ». « Licet gratia gratum faciens, h. e. gratia sanctificans et dona ei annexa, per se non destruat, nec imminuat concupiscentiam, tamen exigit gratias actuales, quibus homo adjuvatur ad vincendam concupiscentiam ». J. VAN DER MEERSCH, *Tractatus de divina Gratia,* Brugis, Beyaert, 1910, n. 351. Attendantur etiam gratiæ sacramentales, notatim Eucharistiæ et Pœnitentiæ. Cf. nostra *Probatio charitatis,* Brugis, Beyaert, 1910, p. 335 ss.

(2) Cf. *supra* hoc t. XV, p. 653 ss.

(3) Sensu speciali mortificatio dicitur de mortificatione sensuum. In Scriptura occurrunt varia nomina : Mortificatio (pluries apud S. Paulum : v. g. Col. III, 5; Rom. VIII, 13; 2 Cor. IV, 10), abnegatio (Mt XVI, 24), renuntiatio (Luc. XIV, 33), spiritualis circumcisio (v. g. Col. II, 11), odium sui (Jo. XII, 25), violentia (Mt XI, 12), crux (Mt X, 38). Cf. ALVAREZ DE PAZ, *o. c.,* P. I, c. 4.

(4) Est nimirum exercitium virtutum præcipue moralium, quibus excluduntur sive contraria sive impedimenta charitatis. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 592 ; MAHIEU, *Probatio charitatis,* p. 68 ss., 266 ss.

(5) De charitate communi et non communi vide *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 589 ss.

tota np. natura corrupta, id est corpus et sensus externi (mortificatio *externa*) ; phantasia, appetitus sensitivus, intellectus, voluntas (mortificatio *interna*).

b/ *Finis* mortificationis, qui est *vita spiritualis*. Nimirum intenditur libertas mentis et voluntatis, ut possit homo, quantum possibile est, « semper actu cogitare de Deo et movere dilectione ad ipsum », vel saltem ut « studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis » (1). Mortificatio igitur est *medium* justitiæ vel perfectionis christianæ, non vero in ea consistit justitia vel perfectio (2).

c/ *Necessitas* mortificationis tum ad charitatem communem tum ad non communem seu perfectionem proprie dictam.

Ipse Christus posuit hanc legem fundamentalem christianismi : « Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, *abneget semetipsum*, *et tollat crucem suam quotidie*, et sequatur me » (Luc. IX, 23). Omnibus igitur necessaria est mortificatio, sed non est ab omnibus eodem gradu exercenda : majori videlicet gradu exerceri debet ab illis qui vocatione vel statu ad majorem tenentur perfectionem sectandam. De facto longe majorem exigit Christus mortificationis spiritum a religiosis et viris apostolicis (3).

---

(1) S. Thom., 2-2, q. 24, a. 8. Dicit 2-2, q. 44, a. 1 : « Finis autem spiritualis vitæ est ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem ».

(2) Hinc intelliguntur dicta *Imit. Christi :* « Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis Deo vivere incipit » (L. II, c. 12, n. 14). — « Ideo enim tam pauci illuminati et liberi intus efficiuntur, quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt » (IV, 8). Cf. L. III, c. 32. — « Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris » (I, 25 in fine). — Eodem modo loquitur S. Ignatius in titulo libri sui : « *Exercitia* quædam *spiritualia*, per quæ homo dirigitur ut *vincere seipsum* possit, et vitæ suæ rationem, determinatione a noxiis affectibus *libera*, instituere ».

(3) Cf. v. g. Mt XIX, 29; Lc X, 4 ; XIV, 25 ss.; Mt XIX, 21 ; Lc IX, 58 ss. — *Imit. Christi*, L. I, c. 6, 11, 13, 25; L. II, c. 11, 12; L. III passim, et præcipue c. 31, 32, 37, 53, 54 (ubi, sicut et L. IV, c. 7, bona materia examinis circa spiritum mortificationis), 56 ; L. IV, c. 8, 15.

Nota. Purificatio corruptionis est vel *activa*, per mortificationem propria industria et voluntate susceptam, vel *passiva*, patiendo et acceptando actionem Dei purgantis nos vel immediate vel mediantibus causis secundis (1).

H. MAHIEU.

VI

Q. *A qui incombent les réparations d'entretien du cimetière?*

R. Par application des dispositions législatives sur la matière, l'obligation d'entretenir les cimetières, quels que soient leurs propriétaires, incombe principalement aux fabriques d'églises (2).

L'article 23 du décret de prairial an XII statue comme suit: « l'emploi des sommes provenant de l'exercice ou de l'affermage de ce droit (du monopole des pompes funèbres) sera consacré *à l'entretien* des églises, *des lieux d'inhumation...* » (3). L'article 37, 4° du décret de 1809 est formel: il charge les fabriques de veiller *à l'entretien* des églises, presbytères et *cimetières*.

---

(1) De mortificatione in genere spectata utiliter consuli possunt ALVAREZ DE PAZ, *o. c.*; PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa theologiæ mysticæ*, P. I, Tract. II, Disc. IV; SAINT-JURE, *De la connaissance et de l'amour de J.-C.*, L. III, ch. XX, Sect. 6 ss.; DE PONTE, *Dux spiritualis*, Tract. IV; LE GAUDIER, *De perfectione vitæ spiritualis*, P. V, Sect. XIII (Ed. Micheletti 1904, t. III, p. 33); THOMAS A VALLGORNERA, *Mystica theologia divi Thomæ*, Append. 3; GAY, *De la vie et des vertus chrétiennes considérées dans l'état religieux*, VII; TISSOT, *La vie intérieure simplifiée et ramenée à son fondement*, P. III, L. I; WEISZ, *Apologie des Christentums*, t. V (4 Auflage, Herder, 1905); MESCHLER, *Gesammelte kleinere Schriften*. Erstes Heft: *Zum Charakterbild Jesu*, Herder, 1908, p. 15 ss.; MUTZ, *Christliche Aszetik*, 2 Auflage, Paderborn, Schöningh, 1909, p. 292.

(2) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 829, t. II, p. 156 s.

(3) La mention de l'entretien des cimetières figure seulement dans le dernier projet du décret de prairial, présenté par la Section de l'Intérieur. Voir les *Pandectes*, v° cimetière, col. 377, note.

Ces prescriptions n'ont jamais été abrogées.

Aussi cette opinion est généralement suivie par la doctrine et la jurisprudence (1).

Mais l'accord des auteurs est loin d'être unanime quand il s'agit de déterminer le motif de cette obligation.

D'aucuns affirment que la charge des fabriques est corrélative au droit que lui accorde le décret de 1809 de jouir des produits spontanés des cimetières (2); d'autres sont plutôt d'avis que l'entretien des lieux d'inhumation incombe aux fabriques à raison du monopole des pompes funèbres que leur attribuent les lois (3).

Ces opinions ne nous semblent point fondées en droit. La législation civile a mis l'entretien des cimetières à charge des fabriques et leur a concédé les produits des inhumations et des lieux de sépulture parce que, conformément aux prescriptions canoniques et à l'ancien droit, les cimetières avaient récupéré leur caractère religieux, qu'ils étaient considérés comme des annexes des églises et affectés, comme celles-ci, à l'usage du culte catholique (4). S'il en est ainsi, il y eut simple application des règles du droit civil : l'usufruitier a droit aux fruits de l'objet dont il a l'usufruit et est tenu aux réparations d'entretien (5).

---

(1) Voir la circulaire ministérielle du 15 mai 1885 dans STANDAERT, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 233. Gand, 1910.

(2) V. STANDAERT, *o. c.*, p. 117 et 133. D'autres autorités sont citées par DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. et l. c.*

(3) V. DI BRAGA ET TISSIER, *Manuel de la comptabilité des fabriques*, p. 141 s. Paris, 1894.

(4) Voir le rapport de Bigot de Préameneu à l'empereur sur le décret de 1809, *le Mémorial belge*, 1870. t. XIV, col. 522 s., 530 s.; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 126 s. Ce fut ce ministre qui fit inscrire les produits spontanés et l'entretien des cimetières aux articles 36 et 37 du décret, dans l'énumération respective des revenus et des charges des fabriques. V. VOURIOT, *Manuel des conseils de fabriques. Code des fabriques paroissiales*, p. 5, note (9). 3 éd., Bar-le-Duc, 1873; TIELEMANS ET DE BROUCKERE, *Répertoire de l'administration*, t. V, v° cimetière, p. 35 *Pandectes belges*, v° cimetière. n° 273 s.

(5) *Code civ.* art. 582, 605.

Si la raison de l'obligation des administrations fabriciennes se trouve dans l'affectation du cimetière à la sépulture des fidèles, il est rationnel de limiter cette charge aux seuls cimetières catholiques. Conséquemment, là où l'on a soustrait le cimetière au culte, pour en faire un lieu purement civil et laïque, il n'est plus possible de trouver une base juridique à l'obligation de la fabrique de pouvoir aux réparations des cimetières (1).

Cependant, il semble difficile de justifier l'opinion émise par la *Revue catholique de droit* (2), d'après laquelle la fabrique serait déchargée de l'entretien des lieux d'inhumation, lorsqu'il s'agit de nouveaux cimetières, établis exclusivement aux frais des communes, séparés des églises, même s'ils ont reçu la bénédiction liturgique. Dans ce cas, en effet, le fondement de l'obligation imposée aux fabriques par le décret de 1809 reste entier, puisque il s'agit de véritables cimetières confessionnels; et de plus, le législateur de prairial, ordonnant le transfert des cimetières hors de l'enceinte des villes et des bourgs, a évidemment eu en vue ce genre cimetières séparés des églises, créés par la commune, mais affectés à la sépulture des fidèles.

Nous sommes toutefois parfaitement d'accord avec ce périodique (3), lorqu'il estime que, si le cimetière est désaffecté et ne sert plus aux inhumations, cette circonstance ne change rien aux obligations de la fabrique, aussi longtemps que le champ mortuaire reste intact et ne reçoit pas une autre destination. Il conserve, en effet, son caractère de cimetière religieux et par conséquent doit être compris dans les termes généraux de la loi.

A. De Meester.

---

(1) Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9 éd., p. 495, Louvain, 1899.
(2) T. I, 1898-1899, p. 251.
(3) *ibidem.*, p. 252.

Sacra Congregatio Consistorialis

I

Dubia circa Decretum « Maxima Cura » (1).

Cum nonnulli Ordinarii quædam dubia circa vim et interpretationem decreti « *Maxima cura* » (2) proposuerint, Sacra Congregatio Consistorialis, mandante SSmo Domino Nostro Pio PP. X, eisdem dubiis die 3 octobris 1910, respondit prout infra:

1. Utrum examinatores eligendi juxta præscriptum *can. 4* adhiberi possint in examinibus pro collatione beneficiorum atque sint unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synod. *cap 18 sess. 24 de reform.;* an potius sint distincti et adhibendi dumtaxat pro amotione decernenda.

R. Affirmative ad Iam partem, negative ad IIam.

2. An examinatores sive synodales sive prosynodales nunc existentes, per idem decretum a munere cessent.

R. Servetur dispositio finalis decreti.

3. Utrum Ordinarii, quando Synodus non celebratur, adhuc indigeant indulto S. Sedis pro eligendis examinatoribus.

R. Negative.

4. Utrum Ordinarii possint eligere aliquem sacerdotem regularem in examinatorem vel consultorem.

R. Affirmative, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur.

5. Utrum eligere possint extradiœcesanum.

R. Affirmative in parvis diœcesibus, aut quoties justa aliqua causa intercedat.

6. Utrum Ordinarius inter examinatores accensere possit Vicarium suum generalem.

R. Non expedire.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1910, t. II, p. 854 s.
(2) *Collat. Brug.*, t, XV. p. 583 ss.

7. Utrum inter examinatores aliquot parochi accenseri possint.

R. Affirmative.

8. Utrum una eademque persona esse possit simul examinator et consultor.

R. Affirmative, sed non in eadem causa. Generatim tamen expedit ne plura officia in una eademque persona cumulentur.

9. Utrum consultores diœcesani de quibus in § 2, *can.* 4 quorum consensus (quoties deficiat capitulum cathedrale) requiritur in electione examinatorum et parochorum consultorum, iidem sint ac collegium præfatum parochorum consultorum.

R. Negative; sed consultores diœcesani stant loco capituli in aliquibus diœcesibus ubi cathedrale capitulum erigi adhuc non potuit.

10. Utrum in computanda antiquitate electionis ratio habenda sit electionum præcedentium; an dumtaxat electionis præsentis, ita nempe ut qui bis vel ter electus jam fuerit, antiquior non habeatur illo qui prima vice electus sit, dummodo pari die electio evenerit.

R. Negative ad I^{am} partem, affirmative ad II^{am}.

11. Utrum error in computanda antiquitate et admissio alicujus examinatoris seu consultoris, hac de causa illegitima, inducat nullitatem actorum.

R. Negative.

12. Utrum jusjurandum in *can.* 7 præscriptum debeat singulis vicibus in singulis causis renovari, an sufficiat illud semel emittere post electionem aut in primo conventu.

R. Sufficit semel emissum, durante munere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen Ordinarius exigere ab examinatoribus et consultoribus ut illud renovent in casibus particularibus, si id expediens judicaverit.

L. ✠ S.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II

Ad Em. virum Claudium S. R. E. Presb. Cardinalem Vaszary, Archiepiscopum Strigoniensem (Esztergom) et Primatem Hungariæ (1).

E^me^ ac R^me^ Domine mi Obs^me^,

Eminentiæ Vestræ litteræ, nomine etiam omnium Hungariæ Antistitum datæ sub die 27 transacti septembris, ad SS^mum^ Dominum Nostrum pervenerunt. Quas quidem Ipse assueta benignitate excepit, nec dissimili cura, prout rei gravitas postulabat, expendit; mihique hæc Eminentiæ Vestræ cœterisque Antistitibus communicanda mandavit.

Porro SS^mi^ Domini Nostri mens est ut firma sit lex (2) qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quæ tamen de politicis rebus agunt quæ in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quæstionibus quæ pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, hæc, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus superiores seminarii aut magistri, si agatur de quæstionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua præsentia tradant eorumdem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quæ quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, hæc, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, præ manibus alumnorum relinqui tempore a studio et ab aliis præscriptis officiis libero.

Hæc dum Tibi pro meo munere significo, manus Tuas humillime deosculor meque impenso animi obsequio profiteor

Eminentiæ Vestræ

Romæ, die 20 octobris 1910.

addictissimum famulum
CAJETANUM CARD. DE LAI,
S. Congr. Consistorialis Secretarium.

---

(1) *Acta Apostol. Sedis,* 1910, p. 855.
(2) Cf. Motu proprio *Sacrorum antistitum,* 1 sept. 1910, suprà p. 562.

III

DECLARATIONES

Circa jusjurandum a Motu Proprio « Sacrorum Antistitum » præscriptum (1).

Ad hanc sacram Congregationem proposita sunt quæ sequuntur dubia circa Motum Proprium *Sacrorum Antistitum,* die 1 Septembris proxime lapsi editum, nimirum

I. utrum qui, in præsenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat jusjurandum præstare possint, an tot juramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia;

II. coram quo Moderatores generales Ordinum aut congregationum religiosarum præstare debeant ejusmodi jusjurandum;

III. an Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad jusjurandum excipiendum;

IV. utrum juramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur;

V. an quotannis teneantur renovare jusjurandum vicarii parochiales, confessarii et sacri concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur;

VI. utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere juramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant jurisjurandi formulam ab ipsis subsignatam;

VII. an novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei tum jurisjurandi.

SS^mus^ Dominus Noster Pius PP. X, in audientia die 21 Octobris 1910 E^mo^ Cardinali Secretario sacræ Congregationis Consistorialis concessa, mandavit ut respondetur:

ad I. sufficere unum jusjurandum, sed de eodem prius præstito fides exhibenda est ei, qui jus habet aliud exigendi juramentum;

ad II. Moderatores generales, qui actu Ordini vel Con-

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1910, p. 856.

gregationi vel Instituto præsunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistentibus sive Consiliariis generalibus; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Præside capituli generalis;

ad III. affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi jusjurandum præstiterit;

ad IV. sufficere, ut, formulâ juramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, jurejurando emisso, formula ipsa subscribatur;

ad V. negative;

ad VI. pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent juramenti formulam juxta indultum diei 25 Septembris elapsi; in posterum vero parochos teneri ad juramentum præstandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt;

ad VII. quoad professionem fidei, nihil innovandum; quoad juramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum*.

Datum Romæ, ex ædibus sacræ Congregationis Consistorialis, die 25 Octobris 1910.

L. ✠ S.

C. Card. De Lai, *Secretarius*.
Scipio Tecchi, *Adsessor*.

E S. Congregatione de Religiosis

I

Declarationes circa Decretum « Ecclesia Christi » 7 Sept. 1909 de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis (1).

Ex aud. SS^mi 5 aprilis 1910.

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7. Septembris 1909 *De quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis* (2), ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium præposita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicæ Sedis.

II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide anmitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

III. An valide et licite ad novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *æquivalenter*, id-est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: a/ opportunas, secretas juratasque informationes

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, II, 1910, p. 231 s.
(2) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 612.

exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo,* circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; b) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidæ vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub juramento secretas hujusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex hujusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide juramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque æquivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

Ad IV. Affirmative, præhabitis tamen juratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

L. ✠ S. Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus.*
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

II

Declaratio et extensio decreti « Quum minoris » d. d. 15 jun. 1909, quo clausulæ restrictivæ rescriptis sæcularizationis religiosis concedendis adnectuntur (1).

Ex aud. SS^{mi} 5 aprilis 1910.

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum juramentum perseverantiæ, aut peculiares quædam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi

(1) *Acta Apost. Sedis,* t. II, 1910, p. 232 s.

ligantur; et quum decretum Sacræ Congregationis de Religiosis d. d. 15. Junii 1909 (1), quo nonnullæ præscribuntur clausulæ, Rescriptis sæcularizationis perpetuæ vel temporaneæ ac dispensationis votorum inserendæ, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris consitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel juramentum perseverantiæ, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel juramento perseverantiæ vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. S. Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus.*
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

III

Dubia circa interpretationem Decreti « In articulo » 7 sept. 1909 quoad articulum VI Decreti « Auctis Admodum » (2).

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum hujus Sacræ Congregationis de Religiosis, d. d. 7 Septembris 1909 (3), quoad articulum VI, Decreti *Auctis Admodum,* eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum:

1. Utrum prædictæ Declarationes respiciant tantum Domus Religiosas studiorum solius Italiæ, an etiam, eas ubique terrarum constitutas.

2. Utrum eisdem Declarationibus sese confirmare debeant

(1) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 611.
(2) *Acta Apost. Sedis,* 1910, t. II, p. 449.
(3) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 172 ss.

eæ tantum Congregationes Religiosæ, in quibus emittuntur vota, an etiam illæ, quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiæ, ut apud Eudistas.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiæ cursus tribus tantum annis comprehendi possit; an potius per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ, die 31 Maii 1910.

Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus.*
F. Cherubini, *Subsecretarius.*

IV

Decretum de aliqua in noviciatu studiis opera danda (1).

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Noviciatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur. Noviciatus ratio.

Cum autem experientia constet, assiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adulescentium præsertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et cum in ipso Noviciatu moderata aliqua studiis assignatio possit Noviciis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quæ didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, indoneitate et diligentia; Utilitas tamen cujuspiam studii litterarum.

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1910, t. II, p. 730. Cf. *De religiosis supplementa et documenta periodica,* 1910, t. V, p. 195 s., e quibus summarium transcribitur.

Hinc decretum generale.

Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium præposita, in Plenario Cœtu Emorum Patrum, die 26 augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda:

Studium privatum quotidianum.

1. Novicii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

Studiis quinam et quomodo præsint.

2. Studiis præerunt Magister Noviciorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, præter aliam, cotidie a Noviciis studiis privatim addicendam, Novicios in unum collectos, veluti in schola, instruere aut saltem progressus in studiis exquirere.

Diligenter his studiis incumbendum est.

3. Quamvis hæc ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novicii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscujusque tyronis talento ac sedulitate judicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cujusvis Ordinis vel Congregationis naturæ respondeat. Linguæ patriæ, et pro Noviciis Ordini sacro destinatis, linguæ latinæ quoque ac græcæ studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quæ jampridem Novicii didicerunt, præsertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiæ auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Joannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item Evangelii S. Lucæ et Actuum Apostolorum, græce conscriptorum.

Alia exercitia commendantur.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quæ quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novicii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quandam publice dicendi dexteritatem acquirendam. Item opportunum erit, ut Novicii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4. Qui scholæ præest annotet, in scriptis, cujusvis Novicii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novicii, expleto Noviciatu, ad professionem votorum admittantur. Ratio de studiis reddenda.

Quæ omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 augusti 1910. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Approbatio SS^{i}; derogatio contrariorum.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem Sacræ Congregationis, die 27 augusti 1910. Dies (27 aug. 1910).

Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
Franciscus Cherubini, *Subsecretarius.*

Notæ Bibliographicæ

Don Félix Sarda y Salvany. *Le libéralisme est un péché*, suivi de la *Lettre pastorale des Évêques de l'Équateur sur le libéralisme (1885)*, traduit de l'espagnol par la marquise DE TRISTANY. Paris, P. Téqui, 1910, in-12, XXIII-316 p. F. 2,50.

Je conseille aux lecteurs de ce volume de commencer par la seconde partie de l'ouvrage : « Lettre des Évêques de l'Équateur ». On y trouvera un bon exposé doctrinal du libéralisme, une appréciation exacte de sa malice et de ses conséquences pernicieuses, des indications pratiques sur les moyens, les remèdes et les reconstituants à lui opposer. La première partie du volume n'est pas dénuée de tout mérite. Fougueusement écrite, elle vise surtout à entraîner les catholiques à une guerre sans merci contre les idées et l'action libérales. Notons qu'elle est écrite pour l'Espagne, en 1884. Conséquemment, elle n'est pas, dans tous ses points, applicable à d'autres pays et elle ne tient pas compte de faits et de déclarations survenues depuis cette époque. Un peu moins de phraséologie aurait diminué considérablement le volume de ce livre.

Mgr L.-A. Paquet. *Droit public de l'Église. Principes généraux.* Québec, Imprimerie de l'Action sociale, 1908, in-8°, XII-379 p. F. 5.

Dans une série de quatorze leçons, Mgr Paquet, professeur de théologie à l'Université Laval, expose méthodiquement et lumineusement la nature et les conditions organiques de l'Église et de l'État et établit les rapports qui doivent unir ces deux sociétés. Ce qui caractérise cette œuvre magistralement écrite, c'est une sûreté remarquable de doctrine et un souci constant des intérêts actuels et du point de vue pratique. Nous signalons spécialement les paragraphes qui ont trait aux droits des laïques dans l'action religieuse, à la participation des fidèles aux élections ecclésiastiques, au pouvoir coercitif de l'Église, au pouvoir indirect, à l'inquisition, à la position prise par l'Église vis-à-vis des Juifs et en face du progrès et de la liberté. Mgr Paquet a eu le bonheur de voir plusieurs de ses opinions confirmées dans la récente encyclique sur le Sillon.

